



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>



A.C. 599 -

2 ave

Epist. 45<sup>3</sup>/<sub>1</sub>

Cicerius



A.C. 599-

2 ave

Epist. 45<sup>3</sup>/<sub>1</sub> Cicerius





FRANCISCI CICEREI

EPISTOLARUM LIBRI XII

ET ORATIONES QUATUOR.

M. MAPHÆI FILII

EPISTOLARUM LIBER SINGULARIS

ET ALIORUM VARIA

QUE OMNIA EX MSS. CODICIBUS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODEUNT

ADJECTIS ILLUSTRATIONIBUS


ET FRANCISCI VITA

CURA ET STUDIO

D. POMPEII CASATI

ABBATIS CISTERCIENSIS ET DIPLOMATICUS PROFESSORIS.


VOLUMEN PRIMUM.



MEDIOLANI. MDCCCLXXXII.

---

TYPIS IMPERIALIS MONASTERII S. AMBROSII MAJORIS.  
CUM APPROBATIONE.



# ALBERICO XII

BARBIANEO BELGIOJOSIO ATESTINO  
VICECOMITI TRIVULTIO  
SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI CELSISS.  
EX PRIMARIIS HISPANIARUM MAGNATIBUS  
REI BELLICÆ ET PRÆTORIANIS  
JOSEPHI II. AUGUSTI  
CUSTODIÆQUE CORPORIS  
FERDINANDI AUSTRIÆ ARCHIDUCIS  
PRÆFECTO  
REGIÆ BONARUM ARTIUM ACADEMIÆ  
PRÆSIDI

D. POMPEIUS CASATI ABBAS CISTERCIENSIS

FELICITATEM.


LITTERARIUM opus, quod e domestico typographeio  
prodit, Tibi inscriptum mitto, Princeps Celsissime,  
... *qui nominibus cum sis generosus avitis,*  
*Exsuperas morum nobilitate genus. (a)*

(a) Trist. 4. Eleg. 4.

Epistolæ, & Qrationes sunt non ob rerum minus pondera, ac varietatem, quam styli nitorem commendandæ, ab doctissimi olim in publico Mediolani Lyceo humaniorum litterarum professoris Francisci Cicereii calamo, ingenioque profectæ, paucis Maphæi filii epistolis additis, quas inter manuscripta hactenus delitescentes ad communem lucem, utilitatemque nunc profero. Non alio autem quam præclari tui nominis præsidio munita emitti hæc omnino oportebat. Cum enim latinas Francisci Cicereii lucubrations publici juris facere vellem, quod una mecum eruditissimi hujusce Urbis viri, quorum amicitia, & consuetudine fruor, vehementer optarent, id factum humanitate tua est, ac benigna literariam rempublicam juvandi voluntate, ut quædam ipsius autographæ tum Epistolæ, tum Orationes apud Te extantes, quibus nos carebamus, evulgandæ una cum aliis mihi tribuerentur. Accedit quod Bibliotheca, quæ splendidis Aedibus magno sumptu, summaque elegantia per Te extructis non parvum addit decorem,

quamque plurimis conquisitissimis libris, optimæ notæ codicibus, vetustisque membranis pro tuo erga optimas artes affectu eximio augere, ac ditare curasti, & in dies curas, multa cognitu dignissima, atque ad rem meam in annotationibus conficiendis maxime opportuna mihi suppeditavit. Tanta enim fuit comitas, atque benignitas, tantumque litteras, conatusque meos juvandi studium, ut Bibliotheca, ac Tabulario tuo uti frui concederis, codices omnes per otium perlustrandi, quæque exinde vellem exscribendi potestatem feceris. Quare universum hoc opus tot nominibus Tibi obstitutum, Tibi etiam dicari sponte sua flagitat, totoque jure Te Mœcenatem, Te Auspicem, ac Patronum vindicat. Neque heic mihi, quod erga alios plerumque fit, singulares virtutes tuas necesse est stylo persequi, cum eæ splendore ipsæ sint suo, sine cujusquam oratione satis illustres; quis enim in Te pietatem cum prudentia, comitatem cum gravitate, politices, reique militaris peritiam una cum summa eruditione, ad instar veterum

inclytì nominis Romanorum conjunctam non agnoscat? Reliquum est, ut meam hanc in Cicereum operam, quam gratissimo animo Tibi debitam offero, tua cum humanitate tractes, ac tuendam suscipias rogem, meque in iis habere velis, quos Tui noris esse studiosissimos.



## *CONSILIIUM OPERIS.*

**G**RAVITER, meritoque non pauci conqueri solent, doctas lucubrationes, quas multis vigiliis summi viri elaborarunt, in Bibliothecarum forulis occlusas latere, ac plerumque etiam magno litterarum damno blattis, tineisque pabulum infeliciter cedere. Ne itaque hujusmodi de nobis querimonia fiat, quibus una cum satis locuplete librorum impressorum copia multi etiam probæ notæ manuscripti codices ex majorum nostrorum studio adservati fuere, èo mentem cogitationemque converti, ut excellentiorem ex his aliquem haudquaquam editum publica luce donarem. Et sane quis se ad colendas bonas artes, ac pro virili juvandas excitatum non sentiet hoc tempore, quo res supremo moderatur imperio JOSEPHUS II. PIUS FELIX AUGUSTUS, Insubriamque ejus nomine sapienter regit FERDINANDUS FRATER, qui tum pro insito, quo fertur erga scientias, & optima quæque amore, tum ut Augusti Cæsar is votis, studiisque obsequatur, liberales artes singulari favore prosequitur, auctoritate, ac patrocinio tuetur? quod præclare etiam præstat egregius item litterarum fautor (a) Joannes Joseph

(a) Præclarissimum opus *Le Forche Caudine Illustrate*, Caserta 1778, ære proprio fieri curavit, ac Bibliothecis pluribus, nostræque etiam munifice largitus est.

S.R.I. Comes de Wilzeck in eadem hac Insubria plena cum potestate Administer. Nobis autem ex Ambrosiani Cœnobii familia peculiarem studiorum curam demandatam esse perquam honorifice agnoscimus; quibus tot commoda, rationesque ad earum culturam, novisque ingenii monumentis litterariam ditandi rempublicam ex singulari erga nos supremi Regiminis beneficentia, & provida cura, concessa sunt, adeo ut non solum perfectioris chartæ officium, ipsumque typographeion, verum etiam binas rei Diplomaticæ Cathedras commiserit, quarum alteram pro mea scientiæ, atque ingenii tenuitate sustineo. Mei itaque officii ratione tum aliis, quæ mox attigi, incitamentis adductus litterarum aliquod anecdoton monumentum typis nostris statui consignandum. Visum est autem doctas, cultoque sermone exaratas Francisci Cicereii epistolas, orationesque edere, quas autographi codices nostri maxima ex parte suppeditarunt, nonnullas vero idiographi pariter codices Archivi Belgiosiani, quas mihi exinde exscribendas, simulque evulgandas ad perfectam operis exēdōν faciendam Princeps Albericus XII. longe humanissimus tribuit. Eodem in nostro, quo Cicereii epistolæ continentur, Codice sunt & ejusdem intermixta carmina, a quibus tamen edendis abstineo; propterea quod eorum alia inabsoluta sint, alia limam nondum, manumque experta ultimam, atque iccirco, ut omnia proferre operæ pretium non fuisset, sic nulla de iis in vulgus mittendis mihi cura fuit.

Francisci Cicereii, qui sæculo post Christum natum sextodecimo, felici illa ætate præclaris artibus maxime efflorescente, eximiam sibi latinæ eloquentiæ laudem peperit, vix aliquod publicam lucem asperxit: duæ nimirum dumtaxat, quod sciam, epistolæ impressæ haec tenus, ac litterario orbi sunt cognitæ, quas una cum aliis veterum evulgavit monumentis Cl. Augustinus Bandinius Bibliothecæ

thecæ Laurentianæ Præfectus. En autem tibi, erudite lector, complures ejusdem epistolæ, & quotquot plane nancisci, & colligere potui.

Clarorum hominum ad Franciscum Cicereium apud Marquardum Gudium excusæ leguntur epistolæ, quibus omnibus fere vel responsoriæ hic exhibentur, vel e converso quæ illic sunt, responsionem hic habent. Ejusmodi vero in universum Cicereianæ sunt epistolæ, ut & delectationi, & fructui legentibus esse possint, quod nitido in primis, cultoque sermone, qui ad Tullianum accedit, sint scriptæ, quod historiam sui temporis illustrent, quod varia sint eruditione referitæ, deque rebus ad doctrinam spectantibus aliquæ etiam ex instituto agant, quod denique ad præstantiores, qui ea ætate floruerunt, litteratura viros sint datæ, Paulum Manutium, Hieronymum Cardanum, Carolum Sigonium, Andream Alciatum, Joannem Oporinum, Octavianum Ferrarium, Aonium Palearium, Lilium, & Cynthium Gyraldos, aliosque pari fama, ac celebritate insignes.

Francisci Cicereii operibus adjungere collibitum est aliquas M. Maphæi ejus filii epistolas, quas ex codice autographo hausimus; qui unus e multis est, quos ab Joanne Baptista Blanchino in Mediolanensium litteratorum fastis apud Picinellum, & Argelatum claro, ex supremis ipsius tabulis legatos possidemus.

Porro in codicibus hisce emittendis illud lectors nostros humanissimos certo habere velim, me summa cum fide auctorum verba, prout in textu sunt, exhibuisse, nec mihi usurpare aliud, nisi litteram, aut voculam immutare aliquam; vel addere ubi errantis calami mendum in codice irreplisse manifestissime patuit; lacunas vero quæ quandoque occurrunt, nonnullorum punctorum serie signavi.

Hæc autem omnia, quæ nunc primùm e manuscriptis Codib

cibus eruta in manus eruditorum protrahor, multiplici auctario locupletare volui. Ac in primis, cum eorum, quorum ingenium, doctrinamque admiramus, mores etiam, ac gesta nosse plerumque exoptemus, Francisci Cicereii, cuius opera præcipuam hic vindicant partem, vitam exhibeo; tum ipsius operum indicem, ac diserta clarorum virorum de eodem elogia adjungo. Plura veterum testimonia tum in epistolis, tum in orationibus adlata, quoniam apud ipsos loco habeantur, sicut ipse inquirere, ac nosse curavi, ita & aliis ad calcem paginæ indicandum duxi. Unicuique epistolæ suum lemma, seu summam præfixi, ut facile unoque veluti obtutu, quæ in iis sunt dicta, lector minus otii abundans intelligat, græcas dictiones, periodos, totasque etiam epistolas in latinum idioma converti eorum gratia, qui græca litteratura carent.

Majorem vero in eo locavi operam, ut Cicereiana undequaque scripta illustrationibus, quoad fieri potuit, eruditione conspersis instruerem, additis etiam nonnullis celebriorum auctorum anecdotis, quibus suas etiam illustrationes desiderari non sum passus. Jam vero adnotationibus meis conflandis multum profuit, plurimos codices hac illac per urbem in museis variis servatos consulere, ac præsertim codices Ambrosianæ Bibliothecæ, & Archivi Belgiojosiani, itemque eos, quos in Biblioteca nostra quotidie præ manibus habere, ac versare potui. Multa vero exinde nondum ad communem notitiam perducta ediscere licuit, quæ ad historiam tum patriam, tum exteram, ad litteratorum, aliorumque illustrium virorum vitam, ad rem bibliographicam, atque alia pertinent.

Jam sane cum Francisci Cicereii epistolæ multos patriæ nostræ præclaros doctrina, honoribus, rebusve gestis viros suæ ætatis laudent, vel ad ipsos quoque sint scriptæ, mihi in res patrias ex-

currendi aditus se se præbuit, ubi sane patræ ipsius amor facere me induxit, ut plura, quæ ad eam illustrandam spectare deprehenderim, traderem, quanquam eorum aliqua extra rem prolatas videri cuiquam possint. Sic autem doctos litteratosque viros, qui Mediolani floruerunt, expono, ut simul aliquatenus augeam; atque emendem etiam Scriptorum Mediolanensium Bibliothecam (nam in historicis hisce rebus vix etiam diligentissimi quique ab omni penitus errore cavere queunt) Cl. viri Philippi Argelati opera, studioque collectam. Dum enim reconditores libros, codicesque perlustro, multa opera Scriptorum nostrorum literaturæ fama illustrium tum manuscripta, tum edita, antehac fere incognita detegere, novosque etiam Scriptores Mediolanensium doctorum fastis adjungere, benigna mihi fors obtulit. Quæ autem Scriptorum nostrorum opera, aut aliorum, qui de iisdem agunt, ab Argelato omissa enuncio, ne saepius idem, quod Lectoribus tædio esset, repeterem, & compendii gratia, asterisco adnotare volui.

Præterea multa scitu digna operi addenda sponte mihi communicarunt nonnulli doctrina præstantes hujuscè urbis viri, officiis & consuetudine mihi conjuncti, quorum suo loco honorifica, ut par est, & grata fiet commemoratio. Unus tamen, quem præ ceteris concitatorem nescio an magis adjutorem habuerim, laudandus priore loco heic est D. Joseph Vaylate de Carcanis, illustribus ingenii & animi præditus ornamenti juvenis, multiplici eruditione præfertim patria, jurisprudentia, cui sedulo studuit, ac singulari morum integritate commendatus. Quantopere, quamque mirum in modum in hac Cicereii edendi, illustrandi cura me adjuverit, quicumque nos norit, apprime novit. Biennio, & amplius quo in hoc opus incumbo, perpetuus is studiorum socius, ac laborum particeps fuit. Nunquam fere Bibliothecas, aut Archiva adi-

bam, quin mihi se se comitem adjungeret, atque in consulendis  
libris, evolvendis codicibus, parandisque quæ ad rem pertinerent,  
communem operam præberet. Pro cuius tanto, in me merito, sin-  
gularique studio gratias publice ago, habeoque, iisque ab omni-  
bus, quibus hujusc libri lectio accepta, utilisve fuerit, gratias  
haberi velim.



# FRANCISCI CICEREII

## V I T A.

**N**ON multum mihi operæ ponendum, studiique fuit, ut hanc, quam exhibeo, Francisci Cicereii vitam conscriberem; quandoquidem peracto alieno hac in re labore frui feliciter mihi est datum, ejusdem nempe italico sermone exaratam vitam inspicere, atque evolvere, Cicereiano nostro epistolarum codici adjunctam, quam consultis, expensisque iisdem epistolis docte admodum, ac diligenter confecit, qui litterariis aliis ingenii sui operibus etiam in lucem editis est clarus, Revñus D. Angelus Fumagalli per insignis Cœnobii Claravallensis Abbas; hic enim, cum celeberrimus Brixiensis Comes Joannes Mazzuchellius unde quaque monumenta colligeret, ut ingens suum de Scriptoribus Italicis adoraret opus, Cicereii nostri vitam anno MDCCCLVIII ad ipsum misserat, ex qua ea decerperet, quæ ad instituti sui rationem conducere nosset. Verum fato præceptus Mazzuchellius eò usque opus perducere non potuit, ut quæ de Francisco Cicereio acceperat, publicam in lucem emitteret. Quæ itaque ex præfato scripto de Francisci Cicereii gestis edidici, aliaque mihi aliunde de eodem explorata meum hunc conficient Cicereianæ vitæ commentarium.

Maphæus Cicereius Valentini (a) filius, & Elisabeth Carentana, ad quam nonnullæ hic sunt epistolæ, Franciscum nostrum genuere. (b) Fuit Maphæus ex Turno pago, (c) quem licet duplitem esse comperiam, alium in Glarea Abduæ, (d) aliumque ad lacum Larium, (e) haud dubius tamen sum quin Turnum istud in agro Comensi Maphæi patria fuerit, cum Comensem gentem suam non semel dicat Franciscus suis in epistolis, nunquam Abduanam.

(a) Cod. epistol. Cicereii in Archiv. Belgiojof. pag. 278.

(b) V. Vol. II. lib. 10. epist. 23.

(c) Dicto Cod. Belgiojof. ibid.

(d) Ex Josepho Benalio in Elencho Famil. Insign. Mediol.

(e) Tatti Annali di Como tom. 1. pag. 29.

Turno natali relicto solo , in quo prius degebat , ad Helvetiorum incolendam regionem Maphæus discessit (a) tempore bellis infesto. (b) Tenui censu , & conditione erat , ac fabrūm præfētūm gerebat ; quo in officio Franciso Sfortiæ II. Duci Mediolani deserviit apud Mongutium Incinæ Plebis oppidum (c). Quid autem bellicæ rei ad Mongutium a Sfortianis actum sit , nos docet Galeatius Capella de bello Mussiaco , (d) atque pro Mediolanensi nostra patria mortem , ita scribente Franciso Cicereio , (e) oppetere non dubitavit . Quod vero facti hoc fuerit , aliud nihil præterea scio .

Lugani ortus est Franciscus , non autem Comi , ut Cl. Hieronymus Tiraboschius scribit , (f) neque Mediolani , ut Philippus Argelatus , (g) & Philippus Picinellus , (h) qui ambo eundem in Mediolanensium Scriptorum classem accensuerunt ; Luganum enim patriam suam , & Luganenses cives suos sæpe sepius , ac diserte idem appellat (i) . Neque quicquam de Luganensi Francisci patria dubitare fas est , quod is ipse Comum etiam patriam suam vocet (k) . Licet enim Lugani natus , Comum etiam patriæ nomine compellare potuit , vel quod parentem habuerit in pago Turno Comensis territorii ortum , vel quatenus Comum Dioecesana urbs est , atque Episcopi sedes , cui in iis , quæ spiritale regimen spectant , Luganenses etiam subsunt . Quod si Mediolanensem civem se alicubi vocat , veluti in epistola ad Paulum Manutium , (l) ejusmodi se dicit *lege* , privilegio scilicet , vel diplomate , quo Civitate Mediolanensi donatus fuit . Qua de re eidem respondens meminit quoque Manutius (m) inquiens : *largita est tibi sua jura Civitas Mediolanensis* . Hoc autem vel uno , quod Mediolanensis dicitur ex gratia civis

(a) V. epist. Cicer. Cod. Belgiojof. pag. 7.

(b) Turnum bellis vexatum vide apud Ericium Puteanum Hist. Cisalp. lib. 1. pag. 16.

(c) V. Vol. II. lib. 12. epist. 5.

(d) Pag. 159.

(e) V. Volum. II. , cit. loco .

(f) Storia della Letteratura Italiana tom. 7. par. 1. pag. 205.

(g) Biblioth. Scriptor. Mediol.

(h) Ateneo de' Letterati Milanesi .

(i) V. hic pag. 14. , 113. , & alibi .

(k) Pag. 170.

(l) Collect. Veter. Moniment. per Angel. M. Bandin. , Arreti 1732.

(m) Manutii epist. 3. lib. x.

factus Cicereius, natales suos hic minime fortitum eundem fuisse, perspicuum fit.

Anno reparatæ salutis MDXXVII. lucem primam aspexit; hic autem natalitus Cicereii annus exinde eruitur, quod, cum idem data epistola MDLV. tertio Kal. Maji (a) scribat se tunc jam a viginti quatuor annis patre suo orbatum fuisse, seque quartum egisse annum cum patrem amiserit, exploratum inde redditur vigesimum octavum ætatis suæ Cicereium numerasse anno illo MDLV., quo vero ipse in lucem editus, alium fuisse annum MDXXVII.

Cicereius dictus etiam Cicerinus legitur, aut etiam Cæsarinus; Cicerinum ipsemet passim, ac promiscue se appellat in hisce, quas emittimus, epistolis. Cæsarignum dictum videas apud Franciscum Zavam, (b) Paulum Morigiam, (c) Gasparem Bugatum (d). Ita vero ex hac nominum diversitate deceptus fuit Placidus Piciellus, (e) ut Cicereium, & Cæsarignum duos fecerit Scriptores.

Fratrem habuit Franciscus Cæsarem natu minorem, quem puerum scilicet ipsemet (f) nominat. Fuit autem & Cæsar humioribus litteris deditus, veterumque Scriptorum, quorum dicenditatem admiramus, lectione deletabatur. Sic nempe de eo loquitur Sigismundus Folianus: (g) *Cæsar vero Cicereius amicus meus Plauti, & Terentii in primis studiosus*; quum vero Cæsaris interitum rescivit, gravissimum animi dolorem se concepisse affirmavit. (h) Calligraphiae etiam studio Cæsar se se exercuit, multamque exinde peritiam graphice, ac pulchre pingendi litterarum formulas adsecutus est (i). Alios Francisci Cicereii propinquos sparsim in opere dignosces.

Lugani in patria prima litterarum suarum tyrocinia posuit, magistro usus Joanne Menabeno, qui nedum humanitatis studio, la-

(a) Vol. II. epist. 14. lib. x.

(b) Epistola ad eundem fol. 237.

(c) *Della Nobiltà di Milano* lib. 3. pag. 254.

(d) *Storia* lib. 7. pag. 1124.

(e) *Ateneo de' Milanesi*.

(f) Vide hic pag. 18.

(g) Epist. 12. lib. 3.

(h) Ibidem.

(i) Vide hic pag. 16., & alibi.

tinæque linguae cognitione erat excultus, sed etiam medicæ arti addictus. (a) Pluribus deinde præclaris aliis Præceptoribus, cum extra patriam degeret, ac præsertim Mediolani, ubi diutius quæm alibi dies suos transegit, operam dedit. En ipsemet Cicereius longam Præceptorum suorum connumerans seriem in Oratione de Octavianio Ferrario.

Othonis Lupani Casalensis in elegantioribus literis diuturnus auditor fuit primum, deinde longo post tempore successor. Josephus Niger Othonis civis, & socius in privato docendi labore, quem etiam alibi una cum eo nominavimus, me grecè docuit. Cornelius Siculus Messanensis Franciscani Ordinis Philosophus, atque Theologus me cùm privatim, tum etiam publice in dialecticis exercuerunt. Ludovicus Ferrarius Bononiensis.... me in mathematicis eruditus. M. Antonius Majoragius.... privatim docendi laboris particeps, ac socius me docendi præceptis instituit. Ludovicus Codebos... metaphysicæ auscultationis rudem esse non est passus.

Jam vero primis adolescentiæ suæ annis multum sibi tum scientiæ, tum prudentiæ nomen conciliaverat Cicereius. Factum est autem, ut Petri Albutii magni nominis Physici commendatione (b) apud illustrem Comitem Joannem Baptistam Vicecomitem, Sommæ, ac Lonati Puteoli Comitem, ut hic Cicereio filios suos litteris, & bonis moribus instituendos traderet.

Inclyta Vicecomitum propago ex hoc Joanne Baptista descendientium floret adhuc (c) in duabus familiis, ex quarum altera Comes D. Nicolaus Vicecomes, amicitia mihi devinctus, honorificis in Patria muneribus magna cum laude perfunctus, nunc Regii Tabularii Præfecturam gerit.

Paternas itaque ædes reliquit Cicereius, cum annus circiter christiane salutis esset MDLIV., atque Lonatum Puteolum, vel Pozoldum, nominare ut aliis placet, petiit, atque in contubernium admissus dicti Joannis Baptistæ Vicecomitis, ut hujuscce filios litterarum disciplinis imbueret. Oppidum non ignobile Lonatum Mediolano

(a) V. hic pag. 78.  
(b) V. pag. 39.

(c) V. Cl. Guid. Ferrat. *Diffr. 6.*

Iano distat milliaribus circiter xxiv., atque in media fere regione Insubrum positum, quæ oppidis, & vicis frequens summam fertilitatis, & opportunitatis obtinet claritatem. Lonati degens non solum Vicecomitis heri sui, sed alios etiam ejus loci incolarum pueros disciplinæ suæ creditos bonis litteris instituere satagebat, (a) atque Virgilii, Terentii, Ciceronis lectionibus solebat exercere, quos quidem celebratissimos Auctores eis se prælegere fatus est iussione Francisci Jerargi, quem ut eximium patronum ac Mæcenatem suum identidem suis in epistolis prædicare solet.

Paucos menses Lonati constituit Cicereius: quamvis enim summo tum honori, tum commodo sibi esset Baptista Vicecomiti servitutis præstare officium, quo neque *nobilorem*, nec *ampliorem*, nec *honestiorem* nancisci se potuisse profitetur; (b) illud tamen ægre admodum ferebat, quod Lonati degens longe a doctorum hominum consuetudine abesset: conquerebatur etenim, quod ibi nullum prælegentem audire, nullum æmulari in litteris discendis, nullum denique habere queat, quicum de litteris agat, communicit, certet. (c)

Petita itaque a Baptista Vicecomite discessus venia Mediolanum concessit, ubi Francisci Jerargi, & M. Antonii Leontini opera Præceptoris officium consecutus est apud Pium Advocatum, virum & *bonum*, & *nobilem*, cuiusmodi honorificis eum exornat appellationibus Cicereius; (d) atque in ejus ædes fuit admissus: sitæ hæ erant prope nostrum S. Ambrosii Templum, juxtaque januam Cœnobii S. Michaelis *supra dorsum* dicti. (e) Tres erant liberi Pio Advocato, Cæsar, Pompeius, & Antonius, quorum duo tantum curæ, & eruditioni Cicereii concrediti; (f) nam natu maximus Cæsar græcas litteras, Rheticæ præcepta, atque Dialecticam satis recte callebat, eidemque Cicorio ad Fratres alias litteris imbuendos non parvo erat adjumento. Interim vero quod sibi supererat temporis, publica gymnasia adeundo insumebat, conveniendoque quotidie eruditos, doctrinaque præcellentes viros. Quomodo autem studiis tem-

(a) V. hic pag. 17., & 61.

(d) Pag. 193.

(b) Pag. 40.

(e) Pag. 46.

(c) Pag. 37.

(f) Ibid.

pus transigeret, ipse met aperit: (a) *Quotidie quantum datur per occupationes, me in paradigmatis verborum græcorum, & in Ciceroniana lectione exerceo.* Bono mane Othonem Lupanum audio, Tullianas orationes, & Æneid. secundum publice lectitatem, vigesima vero tertia hora Lascaris institutiones in græca lingua a Josepho Nigro interpretatas. Quid? quod diebus festis intersum lectioni Arithmetices ex Euclide, & sphaeræ ex Sacrobusto.

Uno dumtaxat anno, vel paullò amplius Mediolani tunc egit Cicereius; hinc enim, qua nescio de causa, abiit, ac Luganum profectus est. Quò semel ac appulit, gravi corripitur morbo, ita ut de ejus salute omnem fere spem Medici abjecerint; sed verò solerti cura, ac summa in medendo diligentia Andreæ Camutii effectum est, (b) ut morbo exemptus pristinæ redditus fuerit sanitati. Ut primum convaluit, litterarium ludum Lugani aperuit, atque Joanni Menabeno, cujus ipse prius auditor, in eodem successit docendi munere, (c) discipulique ipsius numero ad quinque & viginti fuerant. Ad sui vero gymnasii usum, cum librum quendam grammaticæ libri Oporinianis typis impressi fuere, trecenta horum exemplaria Cicereius exceptit. (d) Porro cum hunc grammaticæ libellum Cicereii cura, & jussione typis commissum cernere vehementer cuperem, nullibi eum comperire mihi datum est; sed nec priorem grammaticam per Gryphium excusam, nec aliam per Oporinum denuo typis mandatam uspiam locorum conspexi: puerorum enim manibus contrita omnia fortasse exemplaria jamdiu periere.

Cum Lugani tunc degeret Cicereius præfationem illam (sic ipse nominat, dissertationem verius dixerim) composuit doctrina, & eruditione refertam *de Ciceronis imitatione*, quam hic vides pag. 132, & sequentibus. Quæ quidem, quanti habendum sit Cice-

(a) V. hic pag. 62.  
(b) Pag. 78.

(c) Ibid.  
(d) Pag. 85.

reii ingenium , satis manifeste cuique ostendit , eò vel magis , si animo advertatur , vigesimum ætatis annum vix attigisse , cum dissertationem illam elucubravit . Lugani pariter orationem conscripsit , quam in morte Josephi Ossutii , civis , & amici sui , se habuisse finxit ; (a) hæc autem oratio nullo , quod sciam , scripto servatur .

Itaque cum fama jam doctrinæ Cicereii , ceteratumque ingenii ejus dotium longe , lateque spargeretur , eum ad se accersere continebant nonnulli erudiendæ juventutis gratia . Sic sane docendi provinciam ei sponte , ac benigne obtulerunt Novocomenses . (b) Verum cum eodem plane tempore a M. Antonio Majoragio celeberrimo humaniorum litterarum Mediolani institutore per litteras postulatus fuisset , an secum degere , suorumque scholæ laborum particeps esse vellet , rejecta Novocomensium conditione cum Majoragio agere satius esse duxit ; de stipendio tamen haudquaquam solicitum se esse professus est , satis abunde magnam laborum suorum mercedem assecuturum existimans , si cum eo vixerit , cuius opera in dies fieri doctior poterit ; (c) Majoragius vero quinquaginta annuos eidem nummos aureos persolvebat . (d)

Mediolanum accessit Cicereius , domumque Majoragii admissus anno MDXLVIII. mense Julii . Ea autem , quam incolebat , Majoragii domus in vico sita erat dicto *delle Cornacchie* . Comperta hæc mihi sunt ex duabus Cicereii italicis epistolis apud Principem Bellgiofum , altera ad Franciscum Curtium humanitatis institutorem Ticini , scriptaque die Augusti III. MDXLVIII. , quæ hisce exorditur verbis : *Sono già alquanti giorni che sto qui in Milano con il Sig. Majoragio lettore pubblico della lingua greca e latina ; & ex epistola alia , nescio cui scripta , x. Augusti eodem anno , in qua hæc Cicereius de se : In casa del Sig. M. Antonio Majoragio nella contrada delle Cornacchie .*

Triennio mansit cum Majoragio Cicereius (e) operam ei præstans , unaque cum ipso instruendæ juventutis sustinens onus ; tunc

(a) V. hic pag. 99.  
(b) Pag. 153.  
(c) Pag. 179.

(d) Pag. 202.  
(e) V. ep. 14. lib. 2.

etiam curam suscepit, ut aliqua Majoragii opera per Joannem Oporinum Basileensem egregium typographum imprimarentur, ut ex litteris ad ipsum liquet, quas infra lector inspiciet. Pariter cum Oporino egit, ut Mediolanensis historia Bernardini Arluni, cuius autographum in Bibliotheca nostra servatur, typis mandaretur, quæ tamen historia cudi tantummodo cæpta est, nec potuit ad existum deduci, pecuniarum deficiente subsidio ad absolutam typorum impressionem.

A Majoragio recessit Cicereius sub finem anni MDL., cum nempe tunc is gymnasium litterarium dimiserat: alium vero scholasticum ludum ipsem aperuit; (a) puerosque suos doctrina imbuendos, nobiliores etiam hujusce urbis viri ad eumce mittebant. Nec huic spartæ tantum operam dabat, sed quo eorum in litteris profectui, bonisque moribus magis consuleret, eos etiam testo suo, mensaque excipiebat. Qua de re plenius edocemur ex epistola ejusdem italica ad Hieronymum Cottam in Archivo Belgiojosoiano xxi. Septembris MDLIV. : *Quelli che stanno in donzena in casa mia pagano tre mesi in tre mesi nove scudi d'oro avanti tratto, portano seco letto fornito con lettiera ec.*

Domum eandem Mediolani tunc simul cum Francisco Cicereio incolebant ejus genitrix Elisabeth, ac frater Cæsar; (b) atque hic insuper in erudienda juventute Francisco fratri auxiliarem, communemque operam præstabat, ut iu epistola M. Maphæi Cicereii, quæ est VIII. inter hujus epistolæ. Data hæc est anno MDLXXXII., in eademque dicitur, in instruenda non parva adolescentium turba assidue occupatum fuisse patrem ejus Franciscum. Quare inde constat usque ad id temporis saltem, domi suæ pueris instituendis allaborasse; quamvis tunc publicum simul ageret eloquentiæ professorem, ut paulò post dicemus. Sane septuagesimo tertio ejus sæculi anno juvenes, quos domi aleret, simulque litteris imbueret, ab eo fuisse exceptos, epistola ostendit in Archivo Belgiojosoiano servata, quam eo anno x. Septembris Franciscus scripsit ad Tullium Cicerium.

Ex quo a Majoragii contubernio discessit Cicereius, non eo-

(a) V. hic pag. 232.

(b) Ibid.

dem semper loco in hac urbe constituit. De mutandis ædibus cogitaverat anno MDLI.; (a) anno vero MDLIV. (b) domum habitavit in vico S. Viti, quem *del Carrobio* vocant, e regione Templi. Anno demum MBLVI. de domo emenda egit. (c) Hæc fortasse illa eadem fuit, quam usque ad extremum vitæ incoluit, (d) sitam in vico, qui dicitur *Rugabella*, e regione antiquæ domus illustris Sfondratorum Familiæ, (e)

Cum Franciscus Cicereius ætatis suæ annum ageret circiter XXXII., qui in annum incidit MDLX., ad uxorem ducendam animum adjecit, seque cum Dareia Pyrrhogalla connubio junxit. (f) Duobus fere exactis abhinc annis filium ab ea suscepit (g), quem M. Maphæum, cuius epistolas infra vulgamus, fuisset arbitrator, nam unicum hunc sibi filium esse dicit Franciscus. (h) De M. Maphæo Cicereo, quem una cum Patre in litteratorum Mediolanensium classem retulerunt Picinellus, & Argelatus, pauca mæmoriæ prodita sunt; nec aliud mihi innotuit, nisi quòd Gymnasium Ticinense adjerit sub Octaviani Ferrarii disciplina, ædibus, vietiisque usus Bartholomæi Capræ, (i) in Cæsaris Rovidii Academiam adscitus, (k) quòdque medicæ facultati operam dederit. (l)

Jam ut ad Franciscum nostrum redeam, ad publicam eloquentiæ cathedram adsumptus est anno MDLXI., dieque nona Octobris ejus anni Professorum albo (m) adscriptus, successitque Othoni Lupano (n), ducentis aureis ei pro stipendio adsignatis (o). Ut autem id muneris obtineret a Mediolanensi Senatu, ma-

(a) V. epist. Cicer. Cod. Belgiojof. pag. 492.

(b) Ejusdem Cod. epist. ad Hieronymum Cottam pag. 267.

(c) Ejusdem Cod. epist. ad Joannem Baptistam Magum a Julii 1556. pag. 277.

(d) Ejusdem Cod. epist. ad Aloysium colonum Theodori Abdus, Mediol. 14 Novemb. 1593.

(e) Epistola italica Cicereii ad Filium suum in Cod. Belgiojof. pag. 165.

(f) Ep. 1. lib. 12.

(g) Ep. 3. lib. 12.

(h) Epistol. ad Philipp. Cicer. Codice Belgiojof. pag. 392.

(i) Ep. 2. ejusdem M. Maphæi.

(k) Epist. 3. ejusdi. & Argelat. *Biblioth.* pag. 1248.

(l) Epist. Franc. ad Maphæum filium Cod. Belgiojof. pag. 571.

(m) Ibid. epist. ejus anni, & diei ad M. Antonium Venustum pag. 307.

(n) V. Vol. II. epist. 39. lib. 12. & Praefat. Primi Comitis in *Rhetoricam Majoragii*.

(o) Cod. Belgiojof. epist. ad Thomam Cicereum pag. 307.

xime egerunt, fautoresque fuere Danesius Filiodonus, (a) Antonellus, & Octavianus Arcimboldi Fratres; (b) tum Octavianus Ferrarius, Annibal Cruceius, & Bartholomæus Capra, tres ea ætate facile doctissimi. (c)

Publicus professor institutus collegam primum habuit, ac novem annos Aonium Palearium, (d) simulque Damianum Arrigonum: ac Palearius quidem, & Arrigonius latine docebant, Cicereius autem græce; (e) deinde vero & alios in oratorio docendi munere socios sortitus est, nempe Joannem Petrum Marchesonium, Augustinum Bonacinam, & Lucilium Terzagum; cum his autem docens vel latinam, vel latinam simul, & græcam eloquentiam profitebatur. (f)

Ut vero, quod ante dixi, perciperet stipendium Cicereius, cura, operaque factum est Annibalis Cruceii, qui a secretis erat Senatus nostri. Is enim primum egit (g) cum Senatu, AEdili, & XII. Decurionibus, ut, licet ~~civis~~ Mediolanensis esset ex gratia, ipsi fuerit immunitas data; deinde ut æquam eidem constituerent laborum mercedem. Singulari vero beneficentia erga Cicereum usus est Bartholomæus Capra, qui ex propria pecunia cc. aureos per triennium ei obtulerat, (h) eosque publicis tabulis ei cavere paratus erat, Cicereius tamen hominis liberalitate uti noluit. (i)

Decimum post annum a publico docendi munere, primum obtinuit oratoriam in Cathedra profitentis locum, (k) post Palearii nempe ex hac urbe discessum. Vigesimo autem, quo docuerat anno auctum ei ex Senatus beneficentia stipendium fuit, additis supra priorem summam libris cxxv. imperialibus. (l) Eloquentiam Mediolani triginta, & amplius annos publice professus Cicereius est,

(a) V. Vol. 2. epist. 39. lib. 12.

(b) V. Prefationem Primi Comitis in *Rhetorica Majoragii*.

(c) Orat. Cicerei de Paulo Manutio.

(d) Ex Precibus Cicerei ad Senat. Mediol. Cod. Belgiojof. pag. 498.

(e) Ex Precibus Lucilii Terzagi ad Senatum impensis, quibus ostendit lectionem græcam semper Mediolani suis se junctam a latina, Cod. apud nos 260.

(f) Ex iisdem Precibus.

(g) Epist. Cicerei ad Paulum Manut. *Vetus. Monum.* Bandini pag. 127.

(h) Ibidem pag. 126.

(i) V. Cicerei Orat. de Barthol. Capra.

(k) Cod. epistol. Cicer. in Archivo Belgiojof. epist. ad Senatum pag. 442.

(l) Ibid.

atque ad postremam fortasse vitæ suæ metam; anno namque MDXCIII, post quod temporis non diu amplius inter homines egit, oratoriæ artis professorem se nuncupat. (a)

Sic autem publico docendi officio vacabat, ut multam simul quoque privatæ scriptioni operam daret, plurimasque lucubratiōnes conficeret. Anno, a quo professor publicus inauguratus erat, undecimo tot epistolas, orationes, declamationes, ejusque generis scriptiones effecerat, ut quatuordecim implerit volumina. (b) Quām multa sint ejusdem litteraria opera, horum index infra subiiciendus ostendit, licet hīc ea tantum ipsius ingenii monumenta, quæ superfuerunt, quæ ad nos usque superatis temporum injuriis transmis̄a sunt, comprehendat; satis vero intelligi exinde licet, quām ampla & multipli eruditione polleret, quòd nimirum oratoriæ, poetices, latinarum litterarum, diplomatices, inscriptionum, reique nummariae scientia fuerit instructus.

Præterea conscribere statuerat Cicereius de Lacu Luganensi historiam, cui perficiendæ multa jam collegerat monumenta, (c) an autem istud animi sui consilium re præstiterit, absolveritque mihi neutiquam constat. Orationes, quas scripsit, nonnullas etiam publice habuit Cicereius, veluti orationem in funere Bartholomæi Capræ, quam in templo S. Mariæ a Rosa pronuntiavit, aliamque de Paullo Manutio ait ipse (d) *in magna amplissimorum virorum, & nobilissimorum civium frequentia confessaque de more recitasse*. Cum vero orationem hanc plures quām maxime expeterent, ac luce dignam existimaverint, ad Christophorum Plantinum celebrem Antuerpiensem typographum excudendam misit. Impressa autem nec ne ea fuerit, haētenus mihi ignotum.

Tantam vero doctrinæ famam sibi comparaverat, ut plures, atque insigniores etiam eruditionis nomine ejus temporis viri de rebus ad rem litterariam spectantibus illum consilii causa adjerint. Consultus fuit de rebus grammaticis, antiquariis, numismatibus, latinis locutionibus; & quidem de latinis quibusdam castigatoribus

(a) In eodem Cod. pag. 560.  
(b) V. Vol. 2. lib. 12. epist. 5.

(c) Epist. 33. lib. 2.  
(d) Ex epist. 16. lib. 12.

loquendi formulis ab eo edoceri petiit doctissimus ejus ætatis vir Hieronymus Cardanus. (a) Ejusdem judicio, ac censuræ carmina sua Augustinus Planta, (b) quædam sua scripta Franciscus Castoreus, (c) libellum suum Ferdinandus Abduensis, (d) atque oðto suos epistol. libros Franciscus Zava (e) subiecta esse voluerunt. His adde epistles, epigrammata, emblemata, inscriptiones, aliaque hujusmodi aliorum rogatu confecta; visunturque adhuc tum Mediolani, tum alibi locorum inscriptiones a Cicereii ingenio profectæ, ceu in S. Nazarii Basilica, (f) in oppido Corbettæ, (g) atque in alio S. Floriani, (h) in Templo hujus inclyti Martyris nomini consecrato.

Quemadmodum annum, quo ex hac vita cessit Maphæus, Francisei Cicereii Pater, utique novimus; ita etiam, quo tempore Elisabeth ejus mater oculos in mortem clauerit, non ignoramus: obiit nimirum anno quinquagesimo quinto supra millesimum, & quingentesimum. Summa vera observantia, ac pietate genitores suos tum viventes, tum defunctos prosequutus est Cicereius; quanta enim viventes complexus fuerit veneratione, ac obsequio, illud indicio sit, quod fratri Cæfari scribens inquit: (i) *Scis quantum ei (Matri) debeamus; quæ omnia vitæ suæ commoda nostræ educationi posthabuit.* Pro iis vero vita functis sollicitus fuit plura Missæ Sacra fieri (k) in Basilica S. Eustorgii, ubi eorum cineres conditi fuere.

Ceteros quod spectat Cicereii mores, vir fuit apprime religiosus, & probus, nam alios equidem, et præsertim Filium, ac Discipulos suos ad religionem, piaque vivendi instituta, quibus ipse non deerat, identidem, atque impense excitare non prætermittebat. (l) Lenis indole erat, atque injurias patienti animo ferens; ab Discipulo enim conviciis aliquando, atque dæteriis lacessitus neullo quidem paullò acriori utens verbo se defendit. (m) Peramanter,

&amp;

(a) Epist. 2. lib. 11.

(b) V. hic pag. 127.

(c) V. pag. 131.

(d) Pag. 214.

(e) *Oration. epistol., & corm. ejusd. p. 238.*

(f) V. Vol. II. ep. x. lib. xx.

(g) Ep. 15. ejusd.

(h) Ep. 14. ejusd.

(i) V. hic pag. 33.

(k) V. ep. 23. l. x. &amp; in Cod. Belgiojof. epistolam ad Codebovem pag. 365., &amp; alibi.

(l) V. hic pag. 236.

(m) Epist. 6. lib. 11.

& officiose erga amicos se gerebat , & accepta beneficia grati animi sensu persequebatur . Diligens quam maxime temporis custos , pretiosissimum cum Theophrasto ejusce sumptum esse judicabat , (a) dolebatque summopere , quum parum temporis sibi ad ea interdum superesset , per negotia , quibus distringetur .

Quo anno Franciscus Cicereius mortem objerit , Picinellus & Argelatus , quòd plane ignorarent , litteris non consignarunt . Etsi vero ad amissim statui iste nequeat , ad eum tamen quam proxime accedere licet , lumen aliquod fermentibus manuscriptis Bibliothecæ nostræ Codicibus . Cicereum enim inter vivos novimus an. MDXCIV. ad finem vergente ; nam in ea oratione , quam Nonis Novembris hujus anni habuit in Scholis Mediolanensis Palatinis Augustinus Bonacina de Pietate & Literis , (b) Cicereum memorat veluti adhuc viventem ; verum in altera biennio post ibidem habita , quinta scilicet Novembris an. MDXCVI. , quæ est de Rerum cognitione , atque Verborum perceptione , (c) Cicereius inter defunctos recensetur . Itaque intra biennium istud vitæ finem posuit Franciscus Cicereius , cuius mortales exuvias in Basilica S. Eustorgii Mediolani repositas , est quòd meritò existimemus . Ipse enim de parando ibi sepulchro sibi , suisque vivens cogitaverat , (d) dumque adhuc viribus ac juventute polleret , quod ipsius laudi utique cedit ; mortis enim , ac rerum novissimarum cogitatio , quam is mente versabat , magnam vim , & momentum adfert ad vitia effugienda , complectendasque virtutes .

(a) V. hic pag. 200. , & alibi .

(b) Cod. 260.

(c) In eod. Cod.

(d) V. epist. 23. lib. 20.

E L E N C H U S O P E R U M  
F R A N C I S C I C I C E R E I I .

I. EPISTOLA ad Paulum Manutium, Mediolani Kal. Septembris MDLXIX. Extat in *Collectione Veterum aliquot Monimentorum Angeli M. Bandinii, Arreti* MDCCCLII.

II. Epistola ad Petrum Victorium, Mediolani Kal. Septembris MDLXXVIII. In *Clarorum Italorum, & Germanorum Epistolis*, cum animadversionibus Angeli Mariæ Bandinii, Florentiae MDCCLVIII.

III. Epistolæ latinæ, inter quas græcæ duæ, & carmina varia latina. In Codice autographo, n. 52., Bibliothecæ nostræ S. Ambrosii.

IV. *De monumento marmoreo Paulo Manutio Aldi filio faciendo ad Mediolanenses*, Oratio, post quam Epistolæ duæ, alia ejusdem Cicerei ad Paulum Manutium impressa Arreti, ut supra, alia Manutii ad Cicereum impressa inter Manutianas. In Codice ejusdem Bibliothecæ, num. 49.

V. *Antiquorum Monumentorum Urbis Mediolani ab Alciato prætermisso* libri duo. Codex autographus in Archivo Principis Belgiojosii, ejusdem exemplar in Biblioth. nostra, in Biblioth. Ambrosiana, apud Hæredes Joannis Baptista Sitoni, & in Biblioteca Vaticana ex epistola Cl. Francisci Antonii Zaccariæ. (a)

VI. Commentarius in Euripidis Oresten. Codex in Biblioth. Ambrosiana, sign. X. num. 47.

VII. Adnotationes variæ in Terentii Comœdias. Codex pergamenus in fol. in eadem Biblioth., signat. D. num. 79.

(a) Opuscoli Scientif., e Filolog. T. 41.

VIII. Adnotationes aliæ in *Præcepta ad Rheticam pertinentia*  
Bartholini de Valvassoribus de Laude. Codex pergamenus in eadem  
Bibliotheca, signat. Q. num. 26.

IX. Satyra de *Lucilii versibus judicium* ad Julianum Gozeli-  
num Philippi Hispaniarum Regis a Secretis, ubi Epistola præcedit  
ad eundem. Codex autographus in Archivo Belgiojosoiano.

X. Narrationes variæ. Codex autographus in eodem Archivo.

XI. Epistolæ partim italicæ, partim latinæ. Codex auto-  
graphus ibidem.

XII. Epistolæ duæ ad Octavianum Ferrarium.

XIII. *Philippus, vel de Iosocratis in laudando ratione, Oratio.*

XIV. *De vita & moribus Octaviani Ferrarii, Oratio.*

XV. *De vita & moribus Bartholomæi Capræ, Oratio.* In  
Codice autographo ejusdem Archivi.

XVI. Adnotationes marginales in Diplomata aliqua nostri  
Archivi. Codex autographus in eodem Archivo.

XVII. *Inscriptionum antiquarum, & sepulcralium Mediolani,  
Modoetiae, & Novocomi Collectanea.* Codex apud. Hæredes Joannis  
Baptistæ Sitoni.

XVIII. Numismatum expositio, ac animadversiones in numis-  
matum explicationem a Sebastiano Ericio factam. Codex autogra-  
phus apud D. Joannem Recalcati.

XIX. Epistolæ latinæ in Bibliotheca olim Maruardi Gudii.  
Ex Morhofio *Polyhistor*, Tom. I. pag. 316.

ILLUSTRIUM VIRORUM  
DE FRANCISCO CICEREIO  
TESTIMONIA.

**H**IERNYMONS CARDANUS epistola ad Franciscum Cicereium in Marquardi Gudii, aliorumque *Epistolis*, Ultrajecti MDCXCVII.

*Requisitus Franciscus Cicereius doctissimus, atque in domo Majorpii, si non educatus, saltem factus se ipso politior.*

JOANNES OPORINUS epistola ad Franciscum Cicereium, Basileæ XII. Novembris MDXLVII., apud eundem Gudium, pag. 63.

*Agnosco singularem erga me benevolentiam tuam, optime, atque doctissime Cicerine.*

FRANCISCUS ZAVA *Oration. Epist. Carminum, Cremonæ MDLXVIII. Epistola ad Franciscum Cæsarinum* (sic enim etiam dictus Cicereius, ut in Vita) pag. 239.

*Vox tua disertissima, & clarissima ad hujus aures, dum in explicatione rerum arduarum, & illustrium illo cum carissimo fratre commorantis versaris, deferri poterat.*

PAULUS MANUTIUS epistola 10. lib. x. ad Franciscum Cicereium.

*Quam vereor, optime, & doctissime Cicerei, quia serius epistolæ tuæ respondeo, ne quid suspicere de me durius.*

GASPAR BUGATUS *Storia Universale*, lib. 7. pag. 1024  
*Milano MDLXX.*

*Segnalati uomini ... di belle lettere greche, e latine Primo de Conti, Marc' Antonio Majoragio, Francesco Cesarino, Fran Visconti, Annibale della Croce.*

PRIMUS COMES *Præfatione in Majoragii Comment. Rhetorice Aristotelis, Venetiis 1571.*

*Mitto dicere, quæ vos ipsi (Arcimboldi Fratres Antonellus, & Joannes) nuper in Francicum Cicereum, qui Othoni successit, Majoragii amitini mei, de quo jam dicam, discipulum, qui nunquam cessat commemorare vestra in se beneficia, qui ait, se præcipue a vobis adjutum fuisse in parando interpretandi munere, in obtinendis, adipiscendisque, in augendis suorum laborum præmiis, in suis denique rebus omnibus ad vos configere consueuisse.*

**JOANNES PETRUS MARCHESONIUS** in *Oratione de Laudibus Senatus Mediolanensis*. Mediolani MDLXXXIII.

*Sunt quidem certe minime pauci in civitate, qui hoc onus scipere, (texendæ scilicet Mediolani historiæ) & suscepturn pulcherri me sustinere possunt. Sed ex iis tamen omnibus, si me audietis, Francicum Cicereum collegam meum eligitis, si vult potest, si potest, non nolle etiam debet.*

**IDEA** in MS. *Oratione*, Codice nostro, n. 260., quomodo Mediolano provisum sit de re frumentaria.

*In hanc curam nobilem, atque præclaram (nempe eloquentiam docendi) assidue incumbit Franciscus Cicereius.*

**JACOBUS CRITONIUS SCOTUS** de *Musarum, ac Poetarum in primis illustrium autoritate*. Mediolani MDLXXXV.

*Quisquis nunc Aganippidem Magistrum  
Vult audire frequens, lyræ potentem  
Thymbræum, & faciles sequi Sorores  
Spernens agmina negligentiorum.  
Is mecum hendecasyllabis Camænis  
Francicum colat hunc pie Magistrum;  
Quem permulta probant bonum piumque,  
Doctorem vigilem, suosque amantem.*

**JOANNES BAPTISTA VICECOMES** *Distichor. Libell. Mediol.* MDLXXXV.

*Ceu vere es Cicero Cicereii nomine, reque,  
Ille es Franciscus nomine, reque simul.*

SIGISMUNDUS FOLIANUS *Oration.*, & *epistolæ*, Venetiis  
MDLXXXVII. pag. 112.

*Ecquos hic habeo Cicereios, Marchesonios, Gazonios, Theophilos, quorum aures nactus vel unius ambulationis sermone omnes mihi solicitudines videar exhaudire?*

IDE<sup>M</sup> pag. 94. Epistola ad Franciscum Cicereium.

*Has ad te literas dedi, quæ non solum meum in communi causa dolorem testarentur, sed etiam a te viro amicissimo, & sapienti peterent medicinam.*

LUCILIUS TERZAGUS in Epistola ad Cæsarem Rovidium, Mediolani III. Nonas Februarii MDLXXXVIII. Cod. apud nos 260.

*Franciscus Cicereius, vir literatissimus tuam ad se epistolam mihi legit.*

IDE<sup>M</sup> in oratione in laudem linguae grecæ, Codice eodem.

*Sunt Franciscus Cicereius, & Petrus Marchesonius publice legendi munus profientes, qui ea quæ a Græcis, & quæ a nostris prodita sunt, præclare tenent, qui non nostra solum, sed etiam græca monumenta omnia optime noverunt.*

AUGUSTINUS BONACINA Oratione, Cod. eod. 260., in qua gratias agit Senatui Mediolanensi, quod in publico docendi munere Petri Marchesonii in locum sit suffectus.

*Habetis Franciscum Cicereium virum honoratissimum, atque eruditissimum, cuius singula verba, tanquam quædam de arte dicendi oracula sunt existimanda. Hic summus & Rhetor, & Orator, nullis neque animi, neque corporis laboribus defatigatus, ut vos alumnos disciplinæ suæ ea facultate excultos reddat, cui nunquam in bene constitutis civitatibus præmia, & honores defuerunt.*

JACOBUS CORTELLIA. Epistola ad Cæsarem fratrem pag. 124., in libro, cui titulus: *In Lauræ Nasæ Virginis ornatissimæ tumulum diversorum Poetarum Epigrammata per Jacobum*

*Cortelliam Liburnensem edita, accedit ejusdem oratio, carmina, epistolæ &c. Augustæ Taurinorum MDLXXXIX.*

*Kalend. Novembris orationem habuit Cicereius, in locum Othonis Lupani suffectus, nescio industriam ne an ingenium plus laudem, non in umbratili declamandi, sed in verissimo dicendi genere dix multumque versatus esse videtur, adeo mirabiliter excelluit, non potest non gravi judicio, multaque arte se in hoc genere exercuisse, cuius si ingenium spectes, vix locum ad laudem habet industria, sin contra industriam intueare, vix ingenio, quod in eo alioquin summum est, gratia habenda esse videatur. Hanc tantam hominis excellentiam non potui silentio præterire. Cave enim existimes quicquam aut cultius aut ornatius dici potuisse; ita demum e cancellis discessit, ut omnium linguis, atque animis magnam sui admirationem reliquerit. Vale.*

**HIERONYMUS BORSIERIUS** *Supplimento della Nobiltà di Milano, cap. 1. pag. 2. Milano MDCXIX.*

*Francesco Cicereio volgarmente detto il Cesarini, già lettore di Rettorica fra Milanesi molto stimato.*

**PAULUS MORIGIA** *della Nobiltà di Milano, lib. 3. cap. 17 pag. 57. Milano MDCXIX.*

*Vive ancora con gran gloria nella nostra Città il famoso Francesco Cesario. Questo è de' primi dotti Umanisti ch' abbia lo Stato di Milano.*

**HIERONYMUS BOSSIUS** *Centuria selectarum Epistolarum, Ticini Regii MDCXX. Præfat. ad Senatum Mediolanensem.*

*Summam in eo semper gloriam posicam arbitratus sum, quod eadem omnino provincia mihi decreta fuerit, quam Parrhasius, Majoragius, Cicereius, Puteanus, Copinius, & alii quamplurimi invidia majores viri virtute, fama, & factis clarissimi tanta cum dignitate sustinuerunt, ut eosdem*

*. . . . hæc via sola superbum*

*Ad decus, & summas laudum perduxerit arces.*

*Orationes Selectæ Lugd. Batav. MDCCXXXIII. Orat. ad Senatum Mediol. in gratiarum actionem pro titulo professorio.*

*Merulam, Majoragum, & Cicereum meminimus, viros eruditione, & industria magnos.*

**JOANNES ANTONIUS CASTILLIONÆUS** *Antiquit. Basil. Vincent. pag. 12., Mediolani MDCCXXV.*

*Nuspiam offendisse eruditissimum civem ejusdem urbis alterum Franciscum Cicereum, qui se adeo studiose prætermissa ab aliis, atque ab ipso potissimum Alciato in eo genere collegisse professus est.*

**PLACIDUS PICINELLUS**, *Ateneo de' Letterati, Mil. MDCLXX.*

*Francesco Ciceri .... soggetto di copiosa erudizione.*

**JOSEPHUS RUSCA** *de Viris illustribus Comensibus MS. in Archivo Belgiojosoiano.*

**Epigramma.**

*Floridus eloquio Latii Cicereius abundat,*

*Unde Palatinas allicit ore Scholas.*

*Arpini orator Tiberinæ lingua Suadæ*

*Franciscum jactet sanguinis esse sui.*

*Iste etiam Rhetor Romano a stipite natus*

*Facundus pronepos Tullius alter erat.*

**DANIEL GEORGIUS MORHOFIUS**, *Polyhistor Literar. lib. 1. cap. 25., Lubeccæ MDCCXXXII.*

*Francisci Cicereii illic quoque epistolæ sunt, item Bembi, Lazar Bonamici, Romuli Amasæi, quorum magna suo tempore in latinis literis gloria fuit; horum enim cura, & industria res literaria crevit, eorum exemplis, & præceptionibus præcipue ad eloquentiæ studia incitati sunt, qui postea ad hæc animum applicuerunt.*

**PETRUS GRATIOLIUS** *de Præclaris Mediolani Aedificiis, pag. 131., Mediolani MDCCXXXV.*

*Multa congerit (Franciscus Cicereius ex Poetis) ad hujus fabulæ illustrationem, dignissima illius eruditione.*

# FRANCISCI CICEREI EPISTOLARUM LIBRI XII.

---

L I B E R I.

E P I S T O L A I.

ANTONIO LUPIONI (I) S. P. D.

**A**RGUM. *Excusat responsi tarditatem. Ceteris firmior amicitia, quæ a virtute, studiisque litterarum oritur. Cur græcas dictiones scriptis suis, quod rogatus fuerat, non admiscuerit, dicit. Laudatum se im-merito subdit; ast Lupionem invicem laudat. De ejus absentia est, quod doleat, simulque etiam, quod lætetur.*

**B**INAS literas tuas jam pridem accepi humanitatis quidem, & summae benevolentiae plenas, quarum priores multò longiores, & pleniores erant posterioribus: quanquam his plurima carmina, & eadem satis pulchra essent annexa. Quibus quidem literis tandiū respondere nolui, quandiu fuisti præsens, & tua non minus grata, quam jucunda consuetudine frui, ne dicam uti, licuit: nihil enim scriptis opus est præsentibus amicis. Quod autem tibi absenti celerius non responderim, in caussa fuit mea profectio: siquidem nuper redii a domesticis visendis. Itaque non satis adhuc apud me redii immodico itineris labore defessus. Sed ordine procedam; antiquioribus enim prius respondebo. Quod mea scripta grata tibi fuerint, nihil est quod mirer; verum stultus ero, si id evenisse credidero, quod aliquid jucunditatis haberent, aut elegantiarum, unde fructum cepisse te dicis. Mea enim epistolaris dictio non ea est, ut te delectare possit. Itaque illud tu quoque affirmas, si lubet, incredibilem tuam benevolentiam effecisse, ut ea tibi perplacuisse, & grata tibi fuisse dixeris; sed pluribus in locis literarum tuarum est cognoscere, quam tibi sit cordi isthic noster mutuus amor, quamque reverenter observandum esse duxeris, & auctiorem reddere cupias. Id quod valde mihi gratum est, præsertim

A

cum non modò scriptis perspexerim, verum etiam coram clarum & perspicuum fuerit. Nec tu me hujus sententiæ dissimilem, ut puto, unquam cognovisti. Nec immerito; id enim requirit tam vehemens caussa amicitiæ inter nos cœptæ. Quod enim est præstantius, firmiusque necessitudinis genus, quam quod à virtute, pulcherrimiisque studiis habuerit initium? Quippe novimus affinitatis copulam divertio dirimi, cognatorum charitatem simultate rescindi, beneficiis conflatam benevolentiam alterutrius ingratitudine in odium verti solere, eam demum copulam, quam virtutis admiratio conjunxit, quemadmodum virtus, & ipsam immortalem esse. Hoc igitur nostrum amoris vinculum, cum non mutuis beneficiis, cuiusmodi est debile & infirmum, sed mutua virtutis admiratione jam pactum sit, jure durare debet, & cum ipsa virtutis admiratione, unde originem duxit, simul accrescere, & in dies arctius fieri. Id quod compertum inter nos factum fuisse, & in præsentia minime prætermitti, adjuvantibus Superis, in posterum, quamvis absentes, cognoscemus. Neque enim ea est nostra amicitia, ut propter absentiam minui patiatur. Quamquam Erasmus dixit: *non sunt amici, amici qui degunt procul.* Et illud vulgo dictum est:

*Qui procul est oculis, procul est a lumine mentis.*

Sed hæc hac de animorum conjunctione non dicta fuisse sentio, eum omnes cæteras firmitate præstet, & in perpetuum duret. Sed de hoc satis. Voculas aliquas græcas meis scriptis admiserem, ut tibi id cupienti morem gererem. At vereor, ne sint tamquam pennæ pavonis in cornicula; itaque id prudens obmitto. Sed serid magis id dicam. Non tu quidem ignarus es, quod adhuc id in discendis literis græcis non profeci, ut id quod petis, tibi præstare possim. Sed illud mehercule doleo, quod hac in re tibi obsequi non liceat; licebit in posterum, ut spero. Quod autem mihi tot carmina, quot disticho abs te petieram, mittere non liceat, seu potius nolis, noli laborare. Nonne illud satis est, nonne quod volebam consequutus sum, si disticho pluribus in locis claudicanti octo bellissimis carminibus respondisti? Sed jam posterioribus tuis respondendum est. De laudibus, quas mihi plena manu tribuis, nihil, nisi quod me amas, accipio; amas enim vehementer, & me plurimi facis, cum me ex omnibus familiaribus tuis, cui familiariter scribas, unum elegeris. Quamobrem & tu de me sic velim existimes, te quidem plures amicos, sed, cui Cicerinus tuus cedat, habere neminem. Quod scripta, & stylum tuum extenuas, facis tu quidem, ut humanissimum decet; ego tamen, ni timerem ne me assentationis crimine damnares, dicerem quid de illis sentirem. Attamen illud de te tacere nequeo:

*Tempora si fuerint longæ tibi congrua vitæ,  
Nason, & Arpinas tunc, reor, unus eris.*

Quippe nihil iam legi in prosaica oratione tua, quod vere Ciceronianum dici non possit, nihil in carminibus vidi, quod ad decorum, & versus mensuram non faciat. Cur tibi (ut ad id, quod est reliquum, respondeam) non obsequar, qui petis, ut ad te sæpe scribam; cum id absentia nostra exigat? Imo cur te non orem, ut & tu idem facias, cum tua consuetudine nihil gratius, neque jucundius unquam fuit, est, & erit? Scriptis enim (ut & tu pulcherrimis carminibus lusisti) & colloqui, & fere præsentes esse poterimus. Ego te a nobis abesse, & doleo quod careo fructu jucundissimæ consuetudinis tuæ, & hætor quod, cum absens in tanta doctissimorum & studiosorum hominum consuetudine verseris, nihil tibi ad solidam eruditionem consequendam deesse intueor. Doleo tamen, quod hi bellici tumultus tandem non sedentur, & tempora sint placidiora, & Musis aptiora. Sed hoc, ut spero, te a literarum studiis non deterrebit. Salvebit a me officiose & accurate S. (2) Franciscus Jerargus, vir non minus integer quam doctus. Bene vale, qui vere meus es; nam qui te mihi sit charior, neque jucundior, habeo neminem. Lonati ex ædibus Jo. Baptistæ Vicecomitis (3), viri insignis, idibus Maji anno a salute mortalibus restituta MDXLIV.

(1) Vetusta Mediolani Lupionum gens est, eorumque nomina in antiquis hujuscemodi urbis lapidibus insculpta pañim cernuntur, teste Joanne Petro Crescentio. (*Anfiteatro Romano* parte prima; altera autem pars MS. adhuc servatur in lectissima Bibliotheca Princip. Belgiosii) Si quidem Lupioni iidem ac Luponi sunt, paucissimos reperies, qui antiquitate originis comparari possint. Nam Luponus aliquos membranæ Archivi nostri vetustiores exhibent. Sic de quodam Lupone sermo est in charta anni 859, & in charta anni 932 memoratur *Lupone fil. qd. Aribilie de loco Sicudi vico qui dicitur Cresonio*, isque comunitasse afferitur bona quædam cum Monasterio nostro Ambrosiano, in alia vero anni 941 alias Luponus de vico Glassiate idem præstissime dignoscitur. Denique in charta venditionis anni 962 occurunt Ragimpaldus, & Lafrancus germani filii quondam Luponi de vico Calbonate, qui profitentur se vivere lege Langobardorum.

(2) S. Intellige Sacer, quippe Cicereius ad eundem scribens epist. XIV. hujus lib. verba hæc ex integro apponit *Sacro Jerargo*. Fuit hic autem liberalium artium professor, ut ex eadem epistola, necnon ex XXVI. ejusdem, atque in hac quidem Mediolanensem Institutoren eum vocat, ex patria ne, an ex munere non dicens. Jerargum Mediolani ortum habuisse non constat, Mediolani autem ipsum docuisse innuitur pluribus in locis, præsertim vero epistola X. lib. III., ubi Muginus, qui in hac urbe (4) degebatur, inter ejus auditores recensetur.

(a) V. Ep. 18. lib. 3. & alibi.

Mediolanensibus typis 1543 impressum est Jerargi opus, quod in Bibliotheca Ambrosiana inspexi hocce titulo insignitum: *Exercitamenta pro declinatione nominum & verborum.* Sequitur vero ejusdem *Nova vocabulorum introduc<sup>tio</sup>.* Sunt autem quædam latinæ rerum nomenclaturæ. Utrumque hoc opus designatum vide ep. XXXI. hujus & ep. XIV. lib. II. Elucubravit etiam Jerargus *Institutiones Graeco-Latinas* (a). An vero hæ publica luce donatae sint, plane ignoro. Non dubitaverim tamen Jerargo adscribere epigramma illud, quod Aurelii Albutii Christianis *Institutionibus* Mediolani excusis 1544 præmissum legitur sub hoc nomine R. Jeragii Francisci senioris. Quod enim hic *Jeragii* pro *Jerargi* legatur, typographorum oscitantia tribuendum est, sicut & alia menda, quibus libellus ipse abunde scatet.

(3) Qui filius Antonii Senatoris, ac Magdalena Trivultiæ ex Vicecomitibus Dominis Sonæ, Cistelaghi, Mottæ &c., uxorem habuit Veturiam filiam Ambrosii Vicecomitis (b). Avunculus fuit Gregorii XIV., frater nempe Anna Vicecomitis (c), quæ eum genuit. Vicecomites hi ab Uberto descendunt Matthæi Magni fratre (d). Joannis Baptiste Vicecomitis mentionem exhibet Eustorgianæ Basilicæ inscriptio, quam post D. Placidum Puccinelli (e) assert Cl. P. M. Joseph Allegrantia (f), eruditio conspicuus, mihiique amicitia conjunctus. Pariter Joannis Baptiste, simulque Veturiæ uxoris leguntur nomina in inscriptione alia ejusdem Basilicæ, quæ apud citatos Scriptores exhibetur.

(a) Vide ep. 25. l. 4.

(b) Ita ex serie *Chronologica Vicecomitum* per Joannem Baptistam Blanchinum Cod. nostre sum. 144.

(c) V. Crescentium Anfr.

(d) V. dictum Blanchinum & Cl. Guidonem Ferrarium in dissert. *de Vicecomit. orig., princip. propag.*

(e) Mem. antiche di Milano pag. 88.

(f) De Sepulcris Christianis pag. 101.

## E P I S T O L A II.

JOANNI FRANCISCO VICEDOMINO (I) S. P. D.

*ARGUM. Cur antea non scripserit, se purgat, suamque exinde erga Vicedominum observantiam quidpiam imminutam esse, ne existimet, persuadere conatur.*

Cum mecum coram familiariter egeris, incredibilemque in me amorem ostenderis, meritò quidem mirari potes, quod hactenus ne schedulam quidem, quæ (uti par est) meam testetur obligationem, & summam in te observantiam, tibi jandiu a nobis absenti miserim. Hujus tamen rei, quæ caussa fuerit, te latere non patiar. Sæpe quæsivi de familia-ribus tuis, an isthic (Comi) es: negabant. Quare ad te scribere de-

sistebam: ob id enim, ubi essem, penitus ignorabam. Sed posteaquam ad Franciscum Vicecomitem (2) discipulum meum scripsisti, te in patria tua, hoc est Comi, esse cognovi; statim digitos ad chartam appuli, ut me, quod erga te non fuerim officiosus, expurgarem. Cognosti meam expurgationem. Illud tamen tibi velim persuadeas, quamquam nil literarum unquam ad te darem, meam tamen memoriam tuæ summæ probitatis & humanitatis eam esse, ut, quamvis vita mihi esset longior quam olim Nestori, omnique tempore nihil biberem aliud nisi Lethæi fluminis latices, deleri tamen nequiret. Me igitur semper habebis, cuius operâ, ubicumque opus erit, libere uti poteris. Sum enim tibi devinctissimus. Salvebunt a me non minus docti quam nobiles adolescentes, Basilius Pallavicinus (3), Janinus, & Marcus Cigalonus (4). Bene vale suavissime Francisce, meque, ut assoles, ama. Lonati xviii Kal. Junii MDXLIV.

(1) Francisci hujus Vicedomini typis editæ extant Comi 1623 epistolæ italicico fernione exaratæ.

(2) Joannis Baptiste Vicecomitis, cognomento Hæredis, filium, qui honorificis in patria muneribus functus est, quæ prodidit Jo. Baptista Sitonus (a). Affinitate aliqua inter se conjuncti erant Franciscus Vicecomes, & Vicecomes alter Jo. Baptista, in cuius ædibus Institutoris officium gerens versabatur Cicereius. Is enim Joannes Baptista Hæres, Francisci genitor, amitus erat Veturiæ, quæ alterius Joannis Baptiste conjux (b).

(3) Comensem hunc fuisse docet Ballarinus (c), eundemque commiemorat fuisse Medicinæ consultum, nonnulla typis consignasse, vitaque defunctum an. 1606. Thomas Porcacchi (d) fuisse inquit ecclente Medico, ed Astrologo, e piacevole dicitore in verbi latini e volgari. De eodem plura Cl. Comes Joseph Antonius Rezzonicus (e).

(4) Fratres hi fuerunt, ac Novocomum natale solum sortiti, quibus jungi debet frater alter Paulus: Qualis fuerit vir Joannes, seu Joanninus, vel ut Longobardico idiotismo enuntiari solet Zaninus, colligere licet ex epitaphio, quod Marcus J. C., & Paulus Medicus illius fratres in majori Comi Templo eidem posuerunt:

ZANINO CIGALINO FRANCISCI F.  
MEDICO SCIENTIA VSV FELICITATEQVE  
AC DISCIPLINARVM OMNIVM COGNITIONE SINGVLARI  
MARCVS I. C. ET PAVLVS MEDICVS  
FRATRI OPTIMO P. P. MDLXII  
VIXIT ANNOS XXXIV MENS. VIII DIES IV

(a) V. Chronic. Insign. Coll. J. PP., Judic. &c. Mediol., Crescent. Anst. & alios.

(b) V. Crescent. ibid.; & Blanchin. Cod. 144.

(c) Croniche di Como pag. 244.

(d) Della Nobiltà di Como lib. 1. pag. 76.

(e) Disquisit. Plin.

Zaninus dialogum composuit contra Astrologos Franciso II. Sfortiæ dica tum. cuius meminit Ballarinus (*a*), qui tamen silentio præterit illius *Vaticinium*, seu de *Anni eventu* Mediol. impressum per Moschenium 1553, cuius editionis exemplar extat in Bibliotheca Ambrosiana.

Paulus Cigalinus Joannis, & Marci frater, primarium egit Medicinæ professorem in Ticinensi studiorum Lyceo (*b*). Præter quædam ingenii ipsius monumenta, quæ luce publica gaudent, MS. quoddam apud nos Codice 251 extat Pauli de re Medica, quod in hæc distribuitur capita. I. De morbo magno apud Galenum. II. Utrum omnis morbus acutus sit, & magnus. III. De scopo venæ secundæ. IV. De Revulsione quam Græci *antispasim* vocant. V. An in pueris ante 14 annum liceat emittere sanguinem.

Ad Cigalini Paulum est sequens epigramma Bernardini Baldini (*c*).

*Phabo te genitum dicens Academia sentit.*

*Aegri te credunt Pæone Paule satum.*

Celebre est etiam nomen Francisci Cigalini, horum, quos hucusque lavavimus, patris, quem ætate sua in vivis agentem commendat Benedictus Jovius (*d*). Francisci hujus nullum opus, nec Ballarinus, nec Tatti commemorant; verum extat liber in Ambrosiana *De numero & motibus corporum cælestium*, & *Voleurenus de mathematica præfensione per Marcum Cigalimum auctoris abnepotem e tenebris erutus*, Comi ex typographia Nicolai Carpani 1655. Hic autem silentio non transligami epistolam Benedicti Jovii ad Franciscum Cigalimum, quam una cum aliis Jovii collectaneis nondum vulgatis extare vidi apud Revinum D. Carolum Masnagum Coenobii S. Simpliciani Casinensis Mediolani Abbatem, doctrina ac morum probitate præstantem. In *Monumentis Italiz* Schraderi epitaphium refertur Francisci Cigalini, ceu in templo Comi primario existens, quod tamen ibi videre non licuit.

(*a*) *Croniche di Como* pag. 200.

(*b*) V. eundem, *Ghilini Teatro d' letterati*, & alios.

(*c*) In *Lusibus* pag. 112.

(*d*) *Hist. Novocom.* lib. 2.

### EPISTOLA III.

ELISABETH MATRI INDULGENTISS. (*1*)  
ET BAPTISTÆ PATRUO OBSERVANDISS. (*2*) S. P. D.

ARGUM. *De valetudine, ac rebus suis scribit, quidpiam adjungit de turbis bellicis.*

**H**æ literæ èdò vobis missæ sunt, ut certiores fiantis iis de rebus, quæ hic per ora hominum propter hos tumultus bellicos (*3*) versantur. Sed libet, ut qua valetudine teneat, prius cognoscatis. Bene valeo gratiâ CHRISTI JESU Domini nostri; ideoque non parvo desiderio tenor, ut idem de vobis quamprimum audiam. Jandiu enim nihil

prorsus de vobis audivi. Herus meus ferme x. dies Mediolano absuit, herique vesperi idem redit; quare narravit Marchionem Mediolanensem (4) cavisse, ne quis (5) audeat alicujus generis artium opifices conducere, ut omnes armis cincti ad propugnacula stent pro urbe tuerenda; siquidem unicuique portæ custodiendæ singulum Ducem creavit: jussisse etiam ædes omnes, quæ extra propugnacula eis sunt propinquæ, prorsus destrui, & prosterni; id quod iis etiam fiet, quæ post mœnia fluminibus, per quæ ducuntur naves, adjacent: Gallos deinde (6) nudius tertius Abduam flumen transivisse, & in oppidum quoddam concessisse, quod Mediolanenses Picighitonum (7) appellant; distat enim a Mediolano (8) xxxiiii. lapide. Hodie verò mihi nuntiatum est nonnullos Gallorum equites Mediolanum usque incurrisse. Ajunt Gallorum exercitum hominum x. millia (9) continere: ideoque Mediolanenses multis in miseriis versantur. Quamobrem non pauci sunt ex ingenuis, & nobilibus, qui urbem relinquunt, & aliò profiscantur, ut sint in tuto. Nos igitur, cum in urbe non simus, vobis aliquanto tutiores videmur: Herus tamen meus, si imminebit, sc̄ cum tota domo sua Aronam profici... (a) Hoc (ut scitis) est oppidum juxta Verbanum lacum; libentius tamen isthuc (Luganum) concederet, ut ipse affirmavit, ni sibi maximo esset incommodo pedestris itineris longitudo. Non enim isthuc posset ea facilitate iter facere per colles, quæ Aronam per Ticinum se conferret; quapropter nequaquam est Somam (10) iturus, quippe timet, ne sibi noceat, si se castello, quamvis munito, cinxerit. Si quid præterea novi acciderit, quod auribus meis increbuerit, vos dubio procul quamprimum faciam certiores. Quare ne me doleatis, precor, quod in his temporibus minus placidis absim. V. Lonati xiv. Kalend. Junii MDXLIV.

(a) fortasse statuisse innuit.

(1) Carentana Elisabeth, ad quam italica epistola est ejusdem Francisci Cicereii in Codice epittolarum apud Principem Belgiosium, in cuius Bibliothecam cum ceteris codicibus, qui olim ad March. Fratres Vicecomites spectabant, inlatus est, penes quos sua ætate extantes sèpè laudavit Argelati. Familia Carentana antiqua Mediolanensis occurrit in Catalogo nongentorum Consilii, tempore Joannis Galeatii Ducus; in genuino enini horum catalogo, qui in Archivo hujus Urbis servatur, sub Parochia S. Domnini ad Clavam nominatur, una cum aliis, Ambrosius Carentanus. In genuino, inquam; in eo enim, qui est apud Morigiam (4) ac plus satis mendorosus est, pro Carentano legitur Carcinatano, & pro S. Domnini legitur S. Damiani.

(2) Ad hunc epistola italica Francisci Cicereii est in Cod. Belgiosiano.

(3) Gerebat eo tempore in Italia bellum Cæsar Carolus V. cum Rege Gal-

(a) *Storia di Milano* lib. 4. cap. 44.

liarum Francisco I., ipsoque hoc anno, nec multo ante quam hanc scripscerit Cicereius epistolam, celebris ad Ceresolam vicum facta est pugna, cuius descriptionem una cum iconē geographicā loci, ubi certamen commissum est, impressam anno 1544. 14 Aprilis habes in Bibliotheca nostra.

(4) Alphonsum Davalum Vastium Marchionem designatum hic a Cicereio arbitror, quem Mediolanensem Marchionem dixit, non jam origine, sed quia Cæsaris nomine Mediolani imperabat totius Cisalpiniæ Galliæ præfeturam gerens, & Cæsariani exercitus Dux. Viglebani obiit anno 1546; sed ejus corpus Mediolanum translatum est, ac in Templo majori conditum (a).

(5) De quo Paulus Jovius *Histor.* lib. postremo, ac *Supplemento Sabellici* lib. 27. pag. 653.

(6) Non Galli natione hi fuere, sed Itali Gallicas partes secuti, quorum ductor extiterat Petrus Strozza, qui eos apud Mirandulam coegerat, deque sua conscripscerat pecunia. Ita Paulus Jovius cit. *Histor.* lib. postremo.

(7) Ubi nunc jacet oppidum istud, Acerræ olim erant antiquis Scriptoribus celebratae. V. doctam hac de re epistolam Guidonis Ferrarii vol. 2. *Inscript.*, *Epist.*, *Differ.*

(8) Urbium nominibus præpositionem *a*, vel *ab* adjungi, vix imitandum, non tamen omnino reprehendendum est. V. Voissii *Syntaxin latinam* pag. 49.

(9) Paulus Jovius *Histor.* lib. postr. septem millibus tantum illum perhibet constitisse exercitum.

(10) Locus hic est, quem pro eo, qui *Summada* dicitur in chartis nostris primò acceperat Comes Georgius Julinus (b) de re litteraria, deque Patriæ monumens, quām qui alias unquam civium nostrorum benemeritus, quem anno 1780, VIII. Kal. Januarii ex hac vita sublatum boni, doctique omnes doluerunt. Cumque in charta nostra an. 807. 14 Martii, aliaque an. 848 intellexerit *Summadam* esse in Comitatu Stationensi, seu Angleriæ, hæc ad Summann retulit; verum, re melius perpensa, aliisque chartis inspectis, aliter sensit in correctionibus (c) existimans nempe, locum alium prope Stationam *Sommare* (d) vocatum eum esse, qui in chartis nostris *Summada* dicitur, eumque esse, qui pertineat ad Comitatum Stationensem, Summam vero sitam esse in Comitatu Sepriensi. Somam, vel Summam fuisse caput Seprii jurisdictionis, probat Guido Ferrarius (e). Feudum nunc Soma est, quo plures Illustr. Vicecomites, aliquique ab his descendentes potiuntur. Quam antiquum sit, quamque olim excellens in id oppidum Vicecomitum jus, vide eundem Ferrarium (f).

(a) V. Gasparum Bagatti *Istor. univ.* pag. 948., & Paulum Jovium *Vit. viror. illust.*

(b) *Memorie di Milano* vol. 1. pag. 94.

(c) Vol. 9. pag. 11.

(d) Sic vocat Julinus, quamvis *Sommade* communiter dicatur.

(e) *Differ.* 5. pag. 86.

(f) *Ibid.* pag. 93.

## EPISTOLA IV.

ANDREÆ CARANTANO COGNATO SUO S. P. D.

**ARGUM.** *Prope Mediolani mœnia adflare hostes, quæque in urbis tu-  
telam gerebantur, enarrat.*

Ego antehac ad te scripsissem his de rebus, quæ hic propter hosce tumultus bellicos audiuntur; at nullum unquam scivi, quem ad te per-venturum putarem. Hæc nuper mihi nuntiata sunt, Marchionem Mediolanensem cavisse, ne quis conducat artifices ad aliquod artium genus, ut armati pro urbe tuerenda ad propugnacula mittantur, propterea quod unicuique urbis portæ singulum Ducem constituit, domos omnes, quæ propugnaculis extra adjacent, & quæ post mœnia fluminibus, per quæ naves ducuntur, adhærent, penitus erui, & deleri jussisse; nudius tertius Gallorum non minus x. m. Abduam transivisse, & in oppidum quoddam (Picighitonum dicunt) concessisse, quod triginta milli-ribus a Mediolano distat; imo sunt qui dicant, heri nonnullos Gallo-rum equites Mediolanum usque incurrisse, magnasque copias (1) in Cæsaris auxilium expectari. Quapropter multi ex urbe profugiunt. Quod est reliquum, me tibi commendatum habebis, habebit & Elisa-beth uxor tua, matronaque sane pudica. Hæc Lonati, ante diem xiv. Kal. Junii MDXLIII.

(1) Et certe duo millia veteranorum peditum Mediolanum misit Cosmus Etruriæ Dux, ut labantem hujus urbis statum opportuno tempore erigeret, ar-que firmaret. V. Jovium *Histor.* lib. ultimo.

## EPISTOLA V.

ELISABETH MATRI, ET BAPTISTÆ PATRUO S. P. D.

**ARGUM.** *Nihil sibi, ubi degit, ab hostili excursu timendum af-  
firmat.*

LITERA, quas a vobis proxime accepi, & gratissimæ fuerunt, quod vos ex illis bene valere cognovi, id quod vobis sit perpetuum pre-cor; quandoquidem ego quoque (Superis gratia) recte valeo, & mo-

leflissimæ mihi fuerunt, quod mihi indicarunt, vos non modo dolere, quod hisce temporibus a vobis absim, hīcque morer in tot bellorum tumultibus, verū etiam mirari, cum multa de bello audiatis, quod collectis sarcinulis me adhuc ad vos non receperim; quod quanquam nullo modo facere debetis, id ego tamen boni consulo, cum unde is timor proveniat, non ignorem; proficiscitur enim a vestra in me amoris magnitudine. Nam quamvis periculum non immineat, iis rebus tamen, quæ nobis charissimæ sunt, semper timemus. Quare facilè ostendam nihil esse, quod propter hosce tumultus bellicos mihi timeatis. Primum enim non dubito, quin illud credatis, Hero meo liberos, uxorem, matrem esse charissimas. Quid igitur, si quid periculi imminere compertum haberet, eum remoraretur, ne hinc profugeret, & alibi in tuto esset? Deinde illud vobis polliceor, si me his in locis non satis salvum esse cognovero, continuò salutato hospite istuc esse venturum, si tamen imminente periculo aliquid Herum meum retardaret, aut se commovere non curaret. Sed nihil est, quod hoc futurum verear; est enim is vir sane prudens ac diligens in omnibus rebus, quæ ad ejus familiæ salutem, & ad servandam rem spectant, ut superius dixi. Illud postremò velim pro certo habeatis, nihil hactenus hic nuntiatum fuisse, quare hinc cedere debeam. Quamobrem dicetis: non tibi nuntiata sunt quæ nos hīc audivimus. Facile crediderim, vobis nuntiatum fuisse, hostes imminere, & nos esse in summo belli discrimine. Atqui quæ nuntiantur non omnia vera sunt, nec iccirco credenda. Nam si vera essent, quæ istuc hoc de bello perlata sunt, nonne præscivisset Herus meus, quem nihil his de rebus latet, qui que habet Novariæ, Mediolani certos & fidos amicos, qui eum scriptis de omnibus admonent? Quod autem scribitis, isthic multos esse ex Mediolanensibus, qui metu perterriti ex urbe profugerunt, non iccirco mihi timere debetis; nam huc quoque ex illis multæ familiæ sunt profectæ, & salvas se putant. Cognovistis, qui res meæ fese habeant. Quare unum illud oro, ne mihi timeatis, neque me his temporibus abesse dolbatis. Bene valete. Lonati VIII. Kal. Junii MDXLIV.

## EPISTOLA VI.

CÆSARI FRATRI (i) AMANTIIS. S. P. D.

**ARGUM.** *Sat ruto in loco se esse, longeque ab omni hostilis injuriæ periculo significat. Fratris curam in studiis proficiendi laudat, atque, ut pergit, hortatur.*

LITERÆ tuæ ed mihi gratiores fuerunt, quod te & Matrem bene valere mihi indicarunt. Quare scias velim, me quoque (gratia Superis) non male valere. Quod doles hæc tempora minus esse placida, & Marti, quam Mūsis aptiora, id tu quidem facis pro tua in me benevolentia, qui hos bellicos tumultus tandem sedari cuperes, ut Mediolani esse possem, & solidam eruditionem mihi consequerer. Tu tamen Matrem consolaberis, quæ me istis ipsis temporibus abesse laborat: tuatores enim sumus, quam putaretis. Quod autem latine mihi rescripsisti, facis, ut decet; quandoquidem ex tuis illis scriptis eruditionem tibi cordi esse cognovi, eamque manibus, & pedibus (quod ajunt) consequi conari. Quare non jam vereor, quin meam de te expectationem vincas, modò hanc tuam sententiam non mutes, &, ut cœpisti, pergas. Quod adjiciam præterea nihil habeo, nisi ut ad cæteras meas literas, quas te accepisse dicis, quamprimum respondeas. Salutem ex me dicio Matri, cæterisque domesticis omnibus. Vale Frater charissime. Lonati ad viii. Kal. Junii MDXLIV.

(i) Sigismundi Foliani ad hunc epistola est, & alia ad Cæsarem, & Franciscum Cicereios conjunctim in *Epiſtolis* ipsius Foliani Mediolani primùm editis 1579. lib. I. pag. 1., & pag. 11. Librum hujuscē editionis non alibi inspexi, quam in Bibliotheca Monasterii S. Lucæ, cui præf Revm̄us Abbas, nostræque Congregationis Procuratōr D. Innocentius Maria Belcredius, ingenio, prudentia, rerumque agendarum dexteritate conspicuus.

## EPISTOLA VII.

JOSEPHO MUGINO (i) S. P. D.

**ARGUM.** *Muginum bene valere, studioque litterarum incumbere lætatur, se quoque valetudine frui nuntiat.*

DELECTARUNT me tuæ literæ, cùm quod ex illis te bona valetudine teneri cognovi, tum quod in discendis literis in dies te magis proficere plane perspexi. Quare propediem, faventibus Superis, Medio-

lani mecum esse, & solidam eruditionem tibi parare poteris, dummodo abinceptis studiis interim non desistas. Quod scribis, tibi molestum esse quod absim, id sane proficiscitur a tui in me amoris magnitudine, qui mecum semper esse euperes. Quod autem certiorem fieri cupis de valetudine mea, id scias velim me, gratia Superis, bene valere, id quod & tibi sit perpetuum precor. Joannem Menabenum (2) præceptorem nostrum ex me salutato. VIII. Kal. Junii MDXLIV. Lonati Pozoldi.

(1) Josephus Muginus Luganensis fuit, cuius sequens liber est *Trattato breve sopra la preservazione e cura della peste*, Mediol. per Jo. Bapt. Bidelli 1628 in 8. Ira ex MS. Josephi Ruscae, qui ineunte hoc saeculo vixit, *De viris illustribus Comenibus* in Archivo Belgiojosoano. Eundem librum Mediolani impressum 1577 per Jo. Mariam Medam vidi in Bibliotheca Ambrosiana. Atque hic obiter monitum Lectorem volo, cum Bibliotheca hujus nostri Monasterii S. Ambrosii Ambrosiana pariter dici queat, lapsuni nonnaeninem exterorum fuisse, unam pro alia laudando Bibliothecam: illa quidem MSS. Codicum, editorumque librorum supelleatili illius, haec vero antiquorum Diplomatatum copia præstantior. Is tamen, qui ceteros inter Ambrosianæ Codices eminet antiquitate, & æstimatione Flavii Josephi in Aegyptiaca philyra Codex, olim ad nostram pertinuit Bibliothecam, quem Abbas S. Ambrosii, unacum Cisterciensibus Monachis, Cardinali Archiepiscopo Friderico Borromæo, Bortoniæus Ambrosianæ dono dedit.

(2) Cicerei in humanitatis studio Lugani præceptor fuit Menabenus, cui postmodum in eodem docendi officio ibidem Cicereus ipse successit (a).

(a) Ep. 2. lib. 3.

## E P I S T O L A VIII.

ELISABETH MATRI OPTIMÆ, ET BAPTISTÆ  
PATRUO OBSERVANDISS. S. P. D.

ARGUM. Nullum sibi a militaribus copiis periculum imminere confirmat.

**S**i vos, cæterique bene valetis, ego quoque valeo; at scio vos non satis lætos esse, cum me, cui timetis, in his temporibus abesse doleatis; iccirco & ego esse lætus nequeo. Si mihi timetis, & absentia mea doletis, sane objurgandi estis, cum id temere, & immerito faciatis; saepissime enim, quo in statu sim, scriptis vobis indicavi. Neque his litteris idem prætermitto, vos non dolere debere cognoscatis. Non enim

in eo belli discrimine sumus , in quo superioribus diebus nos fuisse cognovisti. Siquidem Galli Padum transivere, ut trans alpes redeant; nuntiatur tamen , horum bonam partem in Monte Ferrato esse commorata , eamque ibi cepisse oppidum , (Felizanum (1) appellant) quod nunc muro, valloque muniunt . Sed hoc nihil periculi est . Reliquum est , ut bene valeatis. Lonati Kal. Junii MDXLIV.

(1) Eadem ferme legis apud Jovium (2), & Secundum Curionem (3). licet anib[us] Felizanum non memorent. Est autem Felizanum Montis Ferrati oppidum in Alexandrinorum , & Astenium confinio . Juris olim erat Abbatis , & Monasterii S. Ambrosii , ubi domos etiam , & prædia possidebat . Curtem Feliciani Monasterio Diplomate concesserunt Augusti Hugo & Lotharius anno 942 , eandemque ipsi confirmarunt Diplomata Othonis anni 997 , Henrici Francorum , & Longobardorum Regis anni 1005 , Henrici item Romanorum Regis anni 1110 , quibus accedunt Diplomata Summorum Pontificum Gregorii V. anni 998 , & Paschalis II. anni 1103 . Hæc autem omnia ex Archivo nostro vulgarunt Puricellius Monum. Ambrosi , & Aresius Privileg. , & Diplom. ejusdem Monasterii .

(2) Lib. 45. Historia .

(3) Supplemento Sabellici lib. 27.

## E P I S T O L A IX.

### P E T R O PA U L O C A S T A N E O GALLI JUDICI (1) M E D I O L A N I S. P. D.

**ARGUM.** *Omissi hacenus litterarum officii se excusat , de dignitate adsecuta gratulatur , Fratrem ejus laudat , cuius gratissimas sibi , quas accepit litteras , fuisse proficeret .*

**P**OSSES tu quidem mirari , Paule Judicum incorruptissime , summisque virtutibus ornate , quod , cum jandiu absens sim , ne schedulam quidem tibi miserim , ut tui memor esse viderer ; tui inquam , cui plus quam Parentibus ipsis debeo . Cujus tamen rei caussam non mihi adscribas velim , qui ne horam quidem vivo , quin tuæ in me benevolentiae recordatio mihi in mentem veniat ; sed his locis , in quibus , cum de multis , ubi ageres , literis quæsivissem , nihil unquam de te mihi renuntiatum est , quare , cui ad te literas darem , adhuc nescivi , nesciremque & hodie , ni , cum nuper in patriam visendorum domesticorum gratia me contulisset , factus essem certior , te Mediolani esse , magni-

sicumque munus Galli Judicis assequutum fuisse. Hoc mehercule mihi gratissimum fuit, quod ad te scribere mihi licuerit, & me expurgare potuerim, quod tui immemor extitisse visus sum, illud vero multò gratius, & jucundius. Quod autem talem dignitatem consequutus sis, tibi gratulor, & mihi gaudeo; nec miror, cum iis sis virtutibus præditus, ut multò majori ornari merearis. Cum autem superioribus annis in Ticinensi Academia summis honoribus perfunctus sis, nunc magnis fungaris, & majoribus, ut spero, sis functurus, nemo unquam fuit, qui majorem gloriam, nec honorem Lugano patriæ nostræ, quam tu, attulerit. Meritò igitur nostrates omnes tibi multum debent; at ego plurimum. Siquidem præterea tot ac tantis beneficiis me tibi devinctum reddidisti, ut nullo pacto pares gratias tibi referre possim. Quare saltem, ut Vergilianis (2) verbis (a) utar,

*In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ  
Lustrabunt, convexa polus dum sydera pascat,  
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt,  
Quæ me cunque vocant terræ...*

Licet igitur (ut ad prima redeam) nunquam ad te scriptissimè, nulla tamen oblivio meam meritorum tuorum memoriam delere potuisset. Sed de hoc satis. Franciscus frater tuus qui brevi, adjuvantibus Superis, & eruditione, & morum probitate tui similis erit, pridie Kalendas Novembri ad me de statu suo perhumaniter scripsit. Quæ quidem literæ mihi gratissimæ fuerunt, tum quod de statu Pyladis mei factus sum certior, tum quod illis mihi non modo indicavit, quantum in Medicinæ studiis proficere possit, sed etiam in humanioribus his nostris profecerit. Erant enim hæ literæ dictione elegantissima conscriptæ, pulcherrimoque ordine confectæ. Verum non mediocri dolore afficior, quod propter locorum intervallum ad eum rescribere haec tenus non potuerim. Lætor tamen, quod hoc tempore ad te scribere licuerit, qui pro tuis in me beneficiis non gravaberis literas, quas ad illum scripti, ad eum Tabellario tuo dare: sunt enim his adnexæ. Nihil est quod præterea adscriptum velim, nisi ut tibi persuadeas neminem esse, qui de me melius meritus sit, quam tu, & Franciscus frater tuus. Bene vale Cicerini Mecænas. Lonati ex ædibus Illust. viri Baptiste Vicecomitis xv. Kalend. Julii MDXLIV.

(a) Æneid. 1.

(1) Intellige unum ex duobus Judicibus Fori Prætoriani, quorum alter ad signum Galli, alter ad signum Equi, seu Caballi appellabatur. Ambo, officia

& doctrina in hunc usque diem clarent, eorumque plurimum nomina habes apud Sitonum de J. PP. Coll. Ad eundem Paulum Castaneum epistolam italico sermone conscriptam dedit ipse Franciscus Cicereius, quæ extat in Codice Belgio-johano.

(2) Virgilius cum ist scribatur, vulgatior consuetudo fuit. Mirum est autem quam acriter hoc de nomine, scribendum ne sit per i, an per e, digladiatum fuerit, ut qui *Virgilium* scribendum existimarent, a virendo, qui *Vergilium*, a verendo nomen istud descendere contenderint (2). Minutior certe res, quam quæ bona ingenia dñtias distorquat.

(2) V. Angeli Politiani Epistol. lib. 5., Despauterii Grammatici, & alios.

## E P I S T O L A X.

### FRANCISCO CASTANEO S. P. D.

**ARGUM.** Serò respondit Tabellarii defectu; de Fratre ejus honorificam mentionem facit, quem dignitate ornatum fuisse literatur; Mediolani, quò hæc scribit, se cito adfuturum significat.

POSTRIDIE illius dici, quo ad me perhumaniter scripsisti, ad tuas literas respoudi. At nullum scivi, qui illas meas literas Jacobo Verzelchino ad te daret; nullum enim habebam, qui eas tibi misisset præter hunc communem amicum. Tertio vero nonas Februarii illas transcripti: sperabam enim mercatorem quendam familiarem meum, qui Verzelchini Herum noverat, eum conventurum, literasque datum; at mercator, postquam Mediolano rediit, renuntiat illum Mediolani non esse. Quare literæ ad te hac tenus perferti non posuerunt. Nuper enim, ut & domesticos, & amicos viserem, in patriam profectus sum, ubi cum convenissem matrem tuam, matronam non minus integrum, quam nobilem, ea mihi indicavit, fratrem tuum D. Petrum Paulum Mediolani esse, magnificumque munus Galli Judicis adeptum fuisse. Quo quidem nuncio valde literatus sum: eram enim adhuc hujus rei ignarus propter locorum distantiam. Non autem admiratione detentus sum, quod frater tuus talem dignitatem consequutus sit, cum ijs moribus, & ea doctrina sit ornatus, ut quavis maxima dignitate ornari mereatur; sed iccirco (ut ad rem redeam) fratrem tuum Mediolani esse cognovi. Itaque ad eum scripsi, ut æquum erat, measque ad te literas illis, quæ mittebantur, ad eum adnexui: teguntur enim hisce receptoribus. Sed ad alia transeamus. Kal. Septemb., adjvantibus Superis, Mediolanum tandem redibo, ubi per literas fere presentes

esse poterimus. Quanquam & hic non penitus abesse videris; versaris enim mihi ante oculos dies noctesque, Siquidem adeo mihi grata & jucunda semper fuit tua consuetudo, ut quamvis jam fere biennium absuerim, tecum tamen semper loqui; de literis (ut solebamus) agere, & mellite jocari videar; quippe, qui te mihi sit charior, cuique plus quam tibi debeam, habeo neminem. Ergo bene vale Francisce mellitissime, meque, ut assoles, ama. LONATI XIX. KAL. JULII. MDXLIV.

## EPISTOLA XI.

## CÆSARI FRATRI AMANTISSIMO S. P. D.

**ARGUM.** *De acceptis liueris gratum animi sensum exhibet. Peritiam ejus laudat polite eleganterque literarum characteres effingendi, sequitur etiam in majusculis describendis nonnullam posuisse operam, significat. Cognati invaleitudinem nuntiat.*

**S**i centum coronatos (1) mihi dono misisses, haud gratioreſ fuissent, quam literæ tuæ, cum quia te, & Matrem nostram indulgentissimam bene valere significaveront, tum quia ex illis cognovi, te nihil aliud efficerem magis cohari, quam ut optatis meis respondeas, hoc est, ut in discendis literis virtutem consequaris. Scibis tibi gratam fuisse pingendarum, locandarumque mēam majuscularum formulam; hoc nichil culé tibi non crederem, nisi idem ex tuarum literarum scriptione planè perspexisse: in his enim proximis probe tu quidem majusculas pinxisti. Ed igitur tibi verius grata fuit, quod te ex ea jam fructum cepisse cognovit. Quod quidem mihi non mediocrem voluptatem adserit, siquidem modò ab instituto tuo non desistas, propediem, adjutavitibus Superis, ita graphicè, polite, & eleganter literas scriperis, ut nemo e nostris sit, cui invideas scriptoris peritiam, aut æmuleris. Quod autem superioribus diebus, cum in bellicis tumultibus versaremur, me ad vos non contulerim, nihit est, quod mireris. Nunquam enim in id belli discrimen devenimus, ut hinc profugere debuerim, alioqui quis me remoratus fuisset? Quod nondum accepisses literas, quas ante octavum Kalendas Junii Paulo Plantanidæ cognato nostro ad te dederam, nulla prorsus admiratione detineti debueras, cum id illius negligentiæ non accidisset, at potius invaleitudine; tum enim febre non leviter laboravit, nec adhuc (ut mihi nuntiatum est) satis recte vallet.

let. Alioqui literæ non tam serò ad te perlatæ fuissent. (non enim dubito, quin adhuc illas acceperis) Siquidem nosti, quam hac in re semper diligens fuerit, & in nos officiosus. Nihil est præterea quod adjunctum velim, nisi ut me lætari scias, quod labor hortandi, teque accendendi ad virtutem mihi præceptus sit; nam ad eam adipiscendam te inflammatissimum re ipsa esse cognovi: itaque equo alacriter currenti non sunt addenda calcaria. Matrem meis verbis salutato, & domesticos omnes. Nollem tamen Joannem Menabenum institutorem nostrum, & Josephum Ossutium (2), singularem amicum meum, insalutatos relinqueres. Bene vale, & eruditionem omnibus rebus præfer. Lonati xi. Kalend. Julii MDXLIV.

(1) Coronati nummi a monetæ nota sic dicti, unde etiam eleganter dicimus scutatos, solatos, ac similes. Sigismundus Folianus ætate illa Cicereii, atque in eadem Insubria nostra scribens nos docet, coronatum aureum fuisse nummum drachmali pondere; namque ait (a) paulò fuisse graviores aureis, qui tunc in Italia percutiebantur, hosce autem paulò leviores eo fuisse pondere.

(2) Ad hunc, queni Luganensem fuisse intelliges epist. VII. lib. IV., & professione Causidicum epist. XII. lib. II, epistolas aliquas a Cicereio scriptas hæc infra offendes, unamque ejusdem Cicereii ad ipsum italicice scriptam comperi in Codice Belgiojosiano.

(a) Epist. 3. lib. 2. edit. Ven.

## EPISTOLA XII.

JOSEPHO MUGINO DISCIPULO SUO S. P. D.

*ARGUM. Quod suis moram gerat consiliis, sedulamque studio operam impendat, lætatur. Ruri manet, ut longe a tumultibus bellicis urbem divexantibus sit.*

QUANQUAM tuus in me amor mihi sane cognitus est, tu tamen quantus sit, proxime literis expressisti. In illis enim ne clausulam quidem legi, quæ singularem tuam in me benevolentiam non testaretur. Ed tamen majorem ostendisti, qui tam pulchre consiliis meis pareas, & optatis respondeas. Gnaviter tu quidem in literas incumbis. Quare tibi gratulor, & mihi gaudeo, cum iecirco tuis omnibus gratissimus sis futurus. Sed hæc alias pluribus. Ego certe, mi Josephe, te consolabor, qui me consolari cupis, qui doleas, quod hic me invitum esse intellexeris, quod urbe Mediolano caream. Mihi mehercule haud molestum est, quod jam pridem urbem reliquerim, at potius lætor, qui

C

cum receptui (ut ajunt) cecinerim, in illis bellicis tumultibus minime versatus sim. Quos cum audiam fere sedatos esse, Kalend. Septemb. Mediolanum redire decrevi, id quod si forte citius facere constituero, te latere non patiar. Sed tu interim ad me s̄epissime scribe, & assidue (quod facis) stude. Vale, quem unice diligo. Saluta D. Joannem Menabenum praeceptorem nostrum observandissimum. Vale iterum. Hæc raptim Lonati scripsi XII. Kalend. Julii MDXLIV.

## EPISTOLA XIII.

ELISABETH MATRI OPTIMÆ, ET BAPTISTÆ  
PATRUO OBSERVANDISS. S. P. D.

**ARGUM.** *Cur paulò infrequentius quam antea scribat, caussam prodit; quædam de Cæsare fratre; de reditu in urbem faciendo sibi adhuc constitutum non esse.*

POSTEA quam mihi nunciatum est, Paulum Plantanidam graviter febre laborare, plane ab instituto destiti, ut qui octavo quoque die ad vos scribere solebam, nunc duos & viginti dies nihil prorsus ad vos scripserim: nullum enim, qui pertulisset literas, præter hunc habebam. Interim autem unas literas a vobis accepi manu Cæsaris fratris scriptas, quæ mihi & gratæ fuerunt, quod vos bene valere mihi indicaverunt, & jucundæ, quod fratrem Cæsarem tempus haud in cassum conterere significarunt. Nam non parum adhuc in discendis literis, & in pingendis literarum formulis (ut perspexi ex ipsa literarum dictione, & scriptione) profecit. Quare vestrum est eum hortari, ut ad me crebrius scribat; siquidem hoc pacto & ad conficiendas latinas epistolas promptior fiet, & ad pingendas literas aptior. Ego mehercule non dubito, quin is puer nostram omnium expectationem sit victurus. Sed de hoc plura aliæs. Non mihi in dubium venit, quin nunc mihi nihil timeatis, cum tandem istos bellicos tumultus sedatos esse audiatis. Illud tamen sic habetote me nunquam ad id belli periculum adductum fuisse, ut mei timore vos affici oportuerit. Verum unum restat, quod vobis dolori esse non ignoro, hoc est, me ab urbe Mediolano tandem absuisse, & hic commorari, ubi gnaviter in literas incumbere non datur. At ego facilime vos consolabor; nam Herus meus se Mediolanum ocyus quam Kal. Octobris redire nolle decrevit. Si cum de-

serere voluero, & celerius in urbe esse, non male mecum actum fuerit; quippe mihi statim aliqua erudiendorum puerorum provincia offeretur, & urbe frui licebit. Sin ejus redditum expectare mihi placuerit, id prudenter instituero. Primum quod me amat plurimum; neque tamen hic apud eum tempus in cassum contero; deinde quoties volvlero, meum mihi salarium libere pendetur. Quare cum in urbe versabor, libros mihi coemere potuero. Quandiu enim in urbe agam, majori mihi curæ erit eruditionem consequi, & si quam habeo, potius conabor eam solidam, & auctam mihi reddere, quam in quæstum conferre. Itaque quid agam, adhuc minime mihi certum est. Quare si quid constituero, continuò ad vos scribam. Illud unum scio, utrum horum facere decrevero, mecum, faventibus Superis, bene actum iri, nec peccaturum esse. Quare bene valete. Lonati XII. Kal. Julii  
MDXLIV.

## E P I S T O L A XIV.

SACRO FRANCISCO JERARGO  
LIBERALIUM ARTIUM PROFESSORI S. P. D.

**ARGUM.** *Ægre se ruri agere scribit procul ibi degens ab omni doctrinæ virorum commercio, curaturum propterea, ut Mediolanum rebeat, suumque ibi domicilium statuat. Tum verba habet de professu, quem in doctrina capiunt adolescentes suæ fidei, & disciplinæ concreti.*

**Q**UANTUS sit amor tuus in bonarum literarum studiosos, vel ex me intelligi potest, quem cum e patria Mediolanum studiorum caussa me contulisse, Hero nobili viro conjunxisti, & apud eum summa commendatione egisti. Quare factum est, ut opera mea semper ei grata fuerit, & ego acceptus extiterim. At postea quam vidisti me apud hunc diutius rusticari, quare mihi non datur literis inservire, non modo dojuisti, sed eum hortatus es, ut ad urbem rediret, & mea studia respiceret. Nunc autem doles non parum, quod me tandiu rure invitum detineat. Quæ quidem pro tua in me benevolentia proxime scripsisti. Quare illud ita habeto, me hic invitum esse, cum non detur id consequi, quare a patria discessi, hoc est literis græcis, & latinis sedulam operam navare. Nec immerito; qui censes me libenter hic esse posse, cum nullum habeam, quem emuler, quem audiam, quicum de lite-

C ij

ris agam, cum denique ne scioli quidem congressu stui, ne dicam uti, possim? Quæ tamen omnia tolerabilia semper mihi visa sunt, non propter pollicitationes, quæ multæ sunt, at nihil ad me, sed propter tuam summam probitatem, & solidam eruditionem, quod sperem aliquando sub te merere posse, & in gymnasio tuo tecum versari. Quapropter non deseram hos pueros mihi creditos hinc ad Kal. Augusti, ut amanter mihi persuades; sed certe Kal. Septemb., si optata urbe necdum fruar; non enim licet diutius rusticari. Sed ne quatuor quidem menses his in locis operam meam Hero præstissem, ni ea caussa, quam tibi commemoravi, me remorata fuisset. At tum ultra hanc metam progredi non potero: non enim id tu mihi approbabis, nec præterea mei juris est. Mater enim, & Patruus mei quotidie me literis increpant, nedum accusant, qui ita ruri agam, & Mediolanum non redeam, ubi, si istis provinciis mecum male actum erit, querere constituerunt doctum virum aliquem, qui me in contubernium admittat, & in urbe sim. Non enim ignorant quam magni referat, si bonam adullescenciarum (1) meæ partem, qua nulla ætas est literarum studiis aptior, nec magis idonea, in ista tanta doctissimorum hominum frequentia contrivero. Itaque his in locis jandiu sum ab illorum voluntate dissentiens. Id tamen feci & facio, ut aliquando tecum esse possim, & aliquo pacto meam in te observantiam declarem, quo nemo unquam fuit eruditionis meæ studiosior. Hac spe igitur commotus ea diligenter, & studio utor in erudiendis his pueris, qua possum. Quod cum tu cognoveris, & exploratum habueris, supra modum lætor. Nemini enim hac in re gratificari studeo magis quam tibi. Quocirca proficiunt omnes, ut mihi videntur. Nicolaus (2) enim comparativorum, superlativorum, & patronymicorum nominum formationem, horumque syntaxin adhuc didicit. Quid? quod pauculas aliquot clausulas quotidie scribendo conjungit, quod tibi fiet perspicuum ex illis literulis, quas tibi paulo ante exaravit. Franciscus quotidie aliqua satis scite componit, & orationem illam M. T. Ciceronis pro P. Quintio auspicatus est; quæ cum non satis apte a me enarretur, & ipse non satis percipiat; doleo. Id tamen scias non omnino factum consilio meo. Sed, ut spero, oleum & operam non perdemus. Saltem enim verborum significata, rerumque copiam, & clausularum juncturam ex hoc dicendi optimo artifice haurire poterit, & ego, qui paucula quædam Rhetorica præcepta didici.... exercendo ea memoriarum firmius inculcabantur. Duos minores autem nunc primùm in concordantiis, quas appellant, exerceo. Sunt mehercule docili ingenio, non dubito, quin ad soli-

dam eruditionem perveniant, & quod fere hoc sæculo obsoletum est, divites sint, nobiles, & docti. Sed de his plura aliâs. Quare ad prima redeo. Ego te ad Kal. Octobris videbo, sive istuc cum Hero, sive solus remigrabo. Sed mallem cum Hero: dolebo enim pro tua in me benevolentia, si hos pueros per te mihi creditos cogar deserere. Petrus Muginus, & Joseph filius, brevi discipulus tuus futurus, & apud te victurus, te salutant. Sed is puer gnaviter in Grammatices rudimenta incumbit, ut apud te ad majora provehatur. Te salvere cupit Joannes Menabenus olim præceptor meus, tuique amantissimus; hos enim invisi, cum nuper in patria fuerim. Superioribus diebus regulas tuas minores accepimus, & verborum vocabula, quæ nobis ita grata fuerunt, ut a docto viro, nostrique amantissimo proficiscebantur; quare, si majores miseris, non erunt ingratæ. Bene vale doctrinæ, morumque parens, & hujus sæculi decus. Vale, & salve Cicerini Mæcœnas. Lonati Nonis Julii MDXLIV.

(1) Prisco more scribere Epistolographus voluit *adulescentiæ* cum u, veluti in Virgiliano *Cyri* legitur:

*At levis ille Deus, cui semper adolescentium &c.*

Et certe sæpenumero u pro o ponebant veteres, sic *Upilio pro Opilio, Sacerdos pro Sacerdos, epistulis pro epistolis* scribebant (a).

(2) Vicecomes nempe Joannis Baptista filius, in cuius ædibus diversabatur Cicereius. Fuit porro Nicolaus J. CC. Mediolani Collegio adscriptus, Abbas S. Petri in Herba amara, ac varias præfecturas in Pontificia ditione gessit. Obiit anno 1581. (b) Gentilium suorum sepulcrum in Basilica S. Eustorgii instauravit, ut ex inscriptione, quæ inibi extat, intelligitur, quæque legi potest apud Allegrantiam (c).

(a) V. Despauth. *Comment. Grammat.*, Politian. *Epist.*, aliosque.

(b) V. Siron. *de J. PP. Coll.* pag. 226. & Morigiam *Nobilis di Mileno* pag. 193.

(c) *De Sepulcr. Chriſt.* pag. 100.

## EPISTOLA XV.

### MELCHIONI VICOMERCATO S. P. D.

**ARGUM.** *Mutuis officiis augendam, fovendamque secum amicitiam exoptat. Quendam alumnum suum non mediocri cum fructu studiis incumbere adseverat. Jandiu se invitum Mediolano abesse, citumque nunc illuc reditum parare. Litteras alias Vicomercato ad alium mittit..*

**C**UM tuæ literæ mihi redditæ sunt, èis πυρέον (a) incideram, cuius quidem morbi feritate sæpe labore, cum quandiu ab ista doctissimorum hominum, & studiosorum adolescentium frequentia absuerim, mihi in

(a) *In febris.*

mentem venit. Illarum tamen lectione ita delectatus sum, & recreatus, ut (non mentior) eo dolore levatus fuerim. Ego certe ad illas mellitissimas ocyus respondissem, ni mihi quædam animi perturbationes impedimento fuissent. Quod amicitia nuper inter nos cœpta adeo tibi (ut ex literis tuis intelligo) cordi est, ut eam in dies crescere, & ardentorem fieri cupias, valde mihi gratum est. Sed velim, idem & tu de me existimes. Non enim noster utriusque animus alius existimandus est ab iis, quæ inter nos scribuntur; quanquam enim hanc nostram amicitiam absentes, & ignoti cōivimus, coram tamen non minorem esse cognosces, quam si tot annos tecum conjunctissime & amantissime vivissem, quot abfui menses, ex quo te mei amantissimum esse perspexi. Omnibus enim officiis faciam, ut, quæ inter nos pridem contracta est, eam confirmemus, confirmatam adaugeamus, auctam observantissime excolamus. Sed quid pluribus opus est? Ego ad Kal. Septemb. istuc remigrabo, & tecum, approbantibus Superis, esse potero. Quare facile intelliges, quanti te faciam & ego; quod tibi charus sim, ut semper credidi, valde lætabor. Nolles te latere, & ut ad me scribis, quam gnaviter Franciscus noster in literas incumbat. Quare scito eum quotidie epistolia aliqua conscribere, non ita tamen inornate, quippe qui M. T. Ciceronis epistolas, ut eas imitetur, diurna nocturnaque manu verset; deinde exercet se in Vergili, Terentiique lectionibus, in regulis majoribus grammaticalibus, & orationem M. T. Ciceronis pro P. Quintio auspicatus est, qui quidem autores, jussu Jerargi nostri observandissimi, illi a me præleguntur. Illud vero multò maximum est, quod hæc ita facit, ut tempus, quo nihil preciosius, in cassum minime conterendum existimet, sed certe consumendum in consequenda virtute, qua nihil pulchrius est, aut laudabilius. His literis tandem cognovisti, quod pro tua in me incredibili benevolentia cupiebas, hoc est, quando ad vos sim redditurus, dixi Kal. Septemb. O felicem, & vere jucundum hunc diem, quo te videre & nosse, ut spero, licebit! Profectò miro me desiderio Urbs afficit, Jerargus præceptor tuus & Mecœnas meus, & Antonius Caymus (1) juvenis ut doctus, ita optimis moribus imbutus, omnes denique mei, sed tu in primis. Quapropter nequaquam mihi videor esse hic commoratus 52. dies, antequam discessus mei metam perveniam, sed certe 52 annos. Vale interim Melchion suavissime, & me, ut afoles, ama. Quorum videndorum desiderio me teneri commemoravi, eos ex me salutato diligenter. Vale iterum. Sed heus tu mane paulisper, nam est aliud quod adjiciam. Ego non jam te oro, sed audaciter abs te peto, ut eas meas li-

teras, quas cum his conjunxi, ad Galli Judicem dandas cures. Doleo mehercule nihil mihi majus hoc nunc esse, quod abs te exorarem: pe-  
terem & id impudenter, nec me iccirco peccare existimarem. Ita enim  
facere solent qui amicitiaz jura tenent, & perdidicerunt. Hoc tamen  
nihil mihi gratius erit. Vale tertio. Lonati VII. Idus Julii MDXLIV.

(1) Non aliis plane ac M. Antonius Caymus ætate illa celeberrimus J.C., atque ad Senatoriam dignitatem a Carolo V. elevatus an. 1555 (a). Nec quenquam moveat Antonium tantum, non præmisso alio Marci nomine, Caymum in epistola dictum; nam non semel observavi a Scriptoribus pluribus, tum ab eodem met Cicereio viros eosdem nunc uno, nunc duplici prænomine compellatos. Sic in his epistolis Menabenus idem Antonius (b), & M. Antonius (c) dicitur. In Cicereiano epistolarum Codice apud Principem Belgiosos Jacobus Cicereius ejus patruelis, aliquando legitur Jo. Jacobus.

Jam autem summis laudibus Antonium Caymum a synchronis Scriptoribus exornatum videoas. Paulus Manutius (d) eum enumerat inter quatuor Jurisconsul-  
torum lumina sui temporis; & Marcus Litta (e): *Est Marcus Antonius Caymus inquit subtilissimus, eruditissimusque J.C., qui & apud Gallos, & in Ticineni Aca-  
demia summo cum honore jus civile interpretatus est: tum carmen in ejus laudem  
subjungit. Gaudentius Merula in MS. ejus Chronica de Claris Italorum, aliarum-  
que gentium Familias, quæ apud nos servatur Cod. 136. manu Joannis Baptiste  
Blanchini exarata, de Caymis, & Marco Antonio signanter, hæc inter alia habet:  
Hac ætate florentissimi sunt Caymi, vel uno Marco Antonio Juris peritissimo, qui  
& apud Gallos, & apud Germanos, Insubresque, & Ticini sacras leges publice est  
interpretatus. Quædam ejus opera de Jure civili in lucem sunt edita, quæ Arge-  
lati, & Picinelli commemorant.*

Caymus Alexander Antonii frater apud Mantuanos, & Ferrarienses Duces non ignobilis Imperator fuit, cuius Numisma cernere est in Museo Mazzucheliano. Fratrum horumque leguntur nomina in monumento, quod patri suo Petro Paulo in Templo S. Angeli ipsi posuere, attulitque Argelati (f).

Dicitis Caymis fratribus conjunctus erat sanguine (g) Hieronymus Caymus apud Hispaniarum Reges Philippum III., & IV., Italiæ, totiusque Monarchias Consiliarius, cuius vitam, quæ tamen exordium vix excedit, scribere aggressus est Carolus Antonius Belcredius. Fragmentum hoc extat in MSS. nostris, Co-  
dice 251.

- (a) *Sitton. de J. PP. Collegio.*
- (b) *Ep. 19. lib. 2.*
- (c) *Ep. 9. ejusdem.*
- (d) *Lib. de Leg. Rom.*
- (e) *De Urbe Mediol.*
- (f) *Bibliotheca pag. 260.*
- (g) *V. Crescent. Ans. Rom.*

## EPISTOLA XVI.

ANTONIO CAYMO S. P. D.

**ARGUM.** *De suo Mediolanum redditu nuntiat, tunc autem fore, ut testatoria benevolentiae signa praesens exhibeat; interim rogat, ut paulo longiores litteras mittat.*

ILLUD verò quis non credit, Antoni mellitissime, te magno me vivendi desiderio teneri, cum me tibi charissimum esse nuper intellexerim? Sed illud quis neget, me graviter angit, quod a vobis omnibus mei amantissimis, sed abs te in primis tandem absim? nemo profecto, cum amicitia non facile patiatur inter absentes esse. Hujus tamen tui desiderii, meique mæroris solarium est, quod ad vos Kal. Septemb. redibo, teque osculari, & amplecti potero. Tum certe coram verius intelliges, quanti te faciam: non enim puto scriptis ullis meam in te benevolentiam posse satis declarari; & ego magis labor, quod tales amicum nactus sim. Quanquam antehac nunquam addubitavi, quin me in tuorum numero receperis, & inter chariores, magisque præcipuos collocaveris. De meo ad vos redditu jam satis habes; quare reliquum est, ut cætera cognoscas. Nihil est quod de literarum tuarum brevitate, aut longitudine differas; quippe quæ ed gratiore mihi erunt, & jucundiores, quod longiores miseris. Plurimum enim illarum lectione delector, cum quod a te mei amantissimo proficiuntur, tum propter illarum opacitatem, (a) quæ mehercule mihi arridet; de qua, quæ sentiam, cætera omitto, nec dicere audeo, quandoquidem vereor, ne me iecirco deformi admodum assentationis labe damnares. Nihil præterea mihi succurrit, quod hilce literis adjunctum velim, nisi ut Jerargum præceptorem tuum, meum Mæcænatem, & Melchionem Vicomercatum, juvenem non minus eruditione præditum quam nobilem, ex me plurima salute impartias. Bene vale, quo nemo mihi charior est, neque jucundior. Lonati vi. Idus Julii MDXLIV.

(a) Proferim seu locutionem.

EPI.

## EPISTOLA XVII.

BARPTHOLOMÆO QUADRIO SUO (1)  
ΕΥ ΔΙΑΓΕΙΝ (a) EXOPTAT.

*ARGUM. Nihil scriptu dignum occurrisse, litteras proinde intermissas; Mediolanum se iturum nuntiat.*

**N**O LI mirari suavissime Barptholomæe, quod, cum abs te discedens pollicitus sim me tibi diligentissime perscripturum, si quid hic novi nunciatum esset, nihil adhuc ad te scripserim. Nihil enim unquam auribus meis increbuit, quod dignum existimarim, ut tibi nuntiaretur; restabat, ut de mea erga te benevolentia te scriptis admonerem? Nihil minus. Non enim nostra vetus necessitudo scriptis eget, quæ eam testentur; quippe qui satis exploratum habeas, qui sit meus in te animus, & ego, quanti me facias, cognoverim. Nunc ad te scribere volui, ut tibi indicarem me hinc Kal. Septemb., adiuvantibus Superis, Mediolanum esse profecturum. Quare, si meā operā uti volueris, me admoneas velim, hanc tu in omnibus rebus ad commoda tua semper apparatissimam habebis, sum enim χριστει, κατ χριστει (b) tuus. His in literis τὸν λαχωνισμὸν (c) usus sum, siquidem in scribendo τὰς Λάχωνες (d) sæpe imitor. Bene vale. Salutem ex me dicio M. Antonio Turbino, & Cæsari Somatio (2) mei amantissimis. Vale iterum. Lonati VII. Idus Julii MDXLIV.

(a) *Bene agere, seu felicitatem.*

(b) Eadem hæc græca verba vides in Epist. Cicer. ad Famil., quæ est 29. lib. 7., significant usū &amp; possessione.

(c) *Brevitate sermonis.* Usurpat hoc idem Cicero Famil. Epist. lib. xi. epist. 25.(d) *Lacones.*

(1) Cum hisce annotationibus scriptitandis operam darem, forte in unam incidi ex multis, copiosisque illustrationibus, quas ad Julium Pogianum non ita pridem a se vulgatum adjecit Cl. Hieronymus Lagomarinius, ubi nempe apposite ad vocem *Barptholomæus* sic scriptam, se hanc ipsam similiter scribere solitum fuisse asserit, cum putaret, eum, qui *Barptholomæus* diceretur, esse filium Ptholomæi, *Bar* enim *Hebræis filium* sonat; verum se in errore versatum subinde agnoscisse, huncque sibi errorē ab Angelo Caniaio Orientalium linguarum peritissimo eruptum fuisse, cum hæc ejus verba (a) legisset: *Bartholomæus non est filius Ptholomæi, sed filius Thalmæi, quod nomen in Bibliis legitur multis ante seculis, quam ullus Ptholomæus natus esset.*

(a) In Comment. in loca Sacrae Scripturae Hebreæ cap. 13.

(2) Suspicari licet Luganensem hunc fuisse, ac fortasse ex ea Somatiorum gente, ex qua floruit Jo. Jacobus Somatius strenuus militum duxtor sub Francisco I. Gall. Rege in Neapolitano, quod gestum est, bello, anno 1540, summam tunc Regii exercitus imperii tenente Lautrecho (a).

(a) V. Ballarin. *Cronica di Como* pag. 266.

## E P I S T O L A X V I I I .

### JACOBO FRATRI PATRUELI CHARISSIMO S. P. D.

**ARGUM.** *Consilium ejus non admittit; de ejusdem invaleitudine angitur; tum quidpiam de Fratre suo Cæsare.*

**E**x literis, quas ex te heri accepi, facile perspexi, te mihi non esse fratrem patruelem, sed certe fratrem optimum, qui me tam amanter admoneas, & horteris, & omnia te facturum dicis, ut me Patavium ad publica studia conferam. Quod tu quidem facis, ut ego facilius expectationi tuæ respondere possem. Sed hoc non est instituti mei, siquidem decrevi bonarum literarum studiis vacare sine domesticarum facultatum dispendio, quo quidem pacto in eum virum spero me evasurum, quem vos speratis. Studebo Mediolani, faventibus Superis, sum enim illuc Kal. Septemb. dubio procul redditurus; nec minus cupio ocyus proficisci, jam enim duos menses publicæ lectionis fiet intermissio. De his rebus longiore sermone vobiscum coram agam, si, ut spero, priusquam hinc Mediolanum discedam, ad vos advolabo, quos & videre, & amplecti cupio. Quod mihi de valetudine tua nuncias, vix crederes quam mihi sit molestum; sed illud me consolatur, quod novi te bonæ valetudinis studiosum. Quod autem de bello mihi nuncias, id mihi ingratum extitisse non putato. Putaram me hodie ad Cæsarem fratrem rescripturum, sed non licet, cum ad Mediolanenses aliquot scribendum sit. Sed lator non parum, quod is brevi (modo ab inceptis non desistat) literarum scriptionem pulchre tenebit, quippe qui nudius tertius quasdam ab eo literas accepimus, quæ adeo graphice erant scriptæ, ut non facile crediderim, illas ab eo ipsius manu confectas fuisse. Is, qui has literas reddet a Menasio, est homo quidem bonus, & patris mei amantissimus, quare eum invites precor. Salutem ex me dico Laurentio Ruscæ, qui cum Patavium, ut tu scribis, Baptistam fratrem adibit, illum meis verbis salvere jubebit. Fac valetudinem tuam cures, ego enim gratiâ Christi bene valeo. Lonati VII. Idus Julii MDXLIV.

## EPISTOLA XIX.

JOSEPHO MUGINO DISCIPULO S. P. D.

**ARGUM.** *Eum laudat, de reditu suo nunciat, ad scribendum excitat, de valetudine sua certiorem facit.*

**Q**UOTIES ad ludi Magistrum Mediolanensem literas exaro, toties de te diligentissime scribo, & apud eum, profectum & studium tuum laudo. Et meritò; ex tuis enim scriptis facile perspicio te eniti, ut in dies magis, magisque in descendis literis proficias, & expectationem vincas, quam non parvam sustines; quocirca tu ipse scis, quam charus omnibus tuis sis futurus. Ego ad Kalend. Septemb. Mediolanum redibo, approbantibus tamen Superis; quamobrem interim te in istis studiis contine, & ad me sèpissime scribe, quod si feceris, brevi dignus eris, qui in illa tam florenti Urbe mecum milites, & in illa tanta doctissimorum hominum frequentia verseris. Quod hortaris me, ut animo bene valerem, ut corpore possim, scias velim, me non minus animo quam corpore, gratia Superis, firmum, & valentem esse. Ergo bene vale & tu, Josephe suavissime, & illud existima, quanti eruditionem feceris, me tanti a te fieri, esse judicaturum. Salutem ex me dico D. Petro patri, D. Baptistinæ honestissimæ matronæ matri, & Antoniò fratri tuo. Sed quid? insalutatum relinques D. Joannem Menabenum, ejusque uxorem cum tota prole, cuius operâ & studio, si qua didici, omnia consequutus sum, & tu in præsentia non parum proficis? Nequaquam. Eum igitur salutato, non gravaberis etiam D. Josephum Ossucium, quandoquidem mei, seu potius nostri est amantissimus. Lonati vii. Idus Julii MDXLIV.

## EPISTOLA XX.

CÆSARI ΑΔΕΓΦΟ SUO ΕΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ (a) EXOPTAT.

**ARGUM.** *De scriptionis peritia laudat, interceptas fuisse suas ad eum epistolás, eoque tardius perlatas.*

**Q**UANQUAM hodie nihil ad te scribere decreveram, eram enim scripturus ad quosdam Mediolanenses, tamen non potui facere, quin ad eas tuas literulas, quas nudius tertius accepi, breviter responde-

(e) Fratri bene agere.

D ij

rim, quas tu quidem ita graphicè pinxisti, ut cum primùm aperuissem, & eas legissim, non facilè adductus sum, ut eas manu tua scriptas crediderim. Quamobrem &, quod tu mihi pollicitus es, prope diem præstabis, hoc est, te brevi multum prosectorum in pingendis literarum formulis, & expectationi meæ satisfacies, qui futurum spero, ut hac re ita excellas, ut nullus sit e nostratibus, cui invideas scriptoris peritiam. Næ tu quidem profecisti parvo temporis curriculo. Quare tibi gratulor, & mihi gaudeo, &, ut pergas, oro; quid enim virtute pulchrius? quid honestius? quid denique laudabilius, aut utilius illa esse potest? Sed cesso, cum te re ipsa ad eam adipiscendam inflammatissimum esse cognoverim. Quod meas epistolas, quæ Varisii detinebantur, acceperis, id sane mihi gratum est; scias tamen, hoc in valetudine nostri Andreæ Plantanidæ, non negligentia accidisse. Quoniam vis, ut ad te scribam, si quid mihi opus est, nihil est quod mihi opus sit, nisi ut & tu, & Mater bene valeatis. Bene vale igitur, & Matrem nostram indulgentiss. saluta, idem etiam facito, cum cæteros domesticos adibis. Lonati vii. Idus Julii MDXLIV.

## E P I S T O L A XXI.

ELISABETH MATRÌ OPTIMÆ, ET JACOBO FRATRI  
PATRUELI CHARISSIMO S. P. D.

ARGUM. *Brevi se Mediolanum prosectorum significat.*

**N**IHILO prorsus habeo quod ad vos scribam, nisi fortassis voluero; hæc eadem, quæ ad vos aliâs jam sâpe scripsi, hisce literis vobis indicare, & tamen unum illud maximum habeo, quod vobis indicem id, quod præter cætera vobis per me significari semper studiisti, hoc est me & animo, & corpore, gratia Superis, valentem esse, quod & de vobis audire brevi cupio. Non puto amplius mihi ad vos scribendum esse, me dies noctesque, manibus & pedibus conari, ut vestram omnium spem superem, quam de me habetis. Nam cum hac in re mea potius res agatur, quam vestra, quin id faciam, vobis in dubium venire nequaquam potest. Brevi adest, cum hinc mihi est discedendum, quare non mediocri lætitia afficio. Quarto enim Nonas Septembbris, aut tertio, adjuvantibus Superis, ero Mediolani, ubi, amicis gratia, multæ erudiendorum puerorum provinciæ, & eædem opti-

mæ, modò sumere voluero, mihi offerentur. Herus meus hinc se movere non curat; at sic quidem res mea non agitur, qui in urbe versari debedo, & mihi solidam eruditionem consequi. Sed hinc ita, ut spero, discedam, ut nullum prorsus jurgium intercedat, & illius in me amoris nulla diminutio fiat. Sed primum meum vestrum videndorum desiderium explebo: vos enim omnes invisam propediem, quos & animo, & corpore bene valentes vidisse valde lætabor. Quare vestrum est curare, ut interim bene valeatis. Vos nihil vellem hunc meum discessum curare, ego enim, ut omnia recte fiant, videro. Reliquos domesticos omnes salutabitis, sed præsertim Patruum meum observandiss. Bonæ valetudini incubite. Lonati III. Nonas Augosti  
**MDXLIV.**

## E P I S T O L A XXII.

**ANTONIO MARIÆ MENABENO CAUSIDICO,  
ET LUDI MAGISTRO ERUDITISSIMO S. P. D.**

**ARGUM.** *Hypodidascalum, licet diligenter a se inquisitum, invenisse neminem, se, ut Mediolanum petat, firmum in sententia manere.*

**Q**UONIAM superioribus diebus, cum istuc domesticorum, & amicorum visendorum gratia me contulisset, mihi injunxisti, ut his in locis tibi Hypodidascalum quererem, ego mehercule de multis quæsivi præcipue de Bustiensibus, (1) qui maxime huic artium generi se tradunt; at nihil profeci, inveni enim neminem. Quare vellem istam provinciam suscipere, & hac in re meam omnem operam tibi præstare posse; id enim sedulò facerem, ut par esset. Sed non te latet, quæ sit mea deliberatio, qui aliora modò, ut possim, petere decrevi, & in urbibus relicta patria versari constitui. Itaque Kal. Septemb., adjuvantibus Superis, Mediolanum redibo, ubi meâ operâ melius uti potueris, non solum in ista re, sed in omnibus, & ubicunque volueris; quod si feceris, eam semper apparatissimam ad commoda tua habebis. Siquidem nihil habeo, quod non magis amicorum esse cupiam, quam meum, præsertim tuum, qui illorum arcem tenes. Verum non hisce in literis scribendum esse arbitror, quantum tibi pro summis in me beneficiis debeam; epistola enim, quæ ex Φαλαρίδος (a) sententia, bre-

(a) Phalaridis.

vis esse debet, supra limites excederet. Illud tamen non tacebo, me tot ac tantis beneficiis tibi devinctum esse, ut nunquam solvendo dissolvi queam. Ergo semper ero tibi obligatissimus; quare bene vale, eruditissime Antoni, & me, quod facis, ama. Lonati VII. Idus Augusti MDXLIV.

(1) *Bustum est oppidum* (paucā hæc excerpere visum est ex MS. nostro n. 260, cui titulus: *Magni oppidi Busti descriptio*, cuique nulla nec Auctoris, nec temporis nota adscribitur, crediderim tamen sæculo XVI. fuisse exaratum, quod cum styli elegantia arguit, tum quod inter alias ejusdem ætatis lucubrations immixtum, simulque colligatum extet) in spatio agro situm, cuius ambitus mille colligit passus, multis est aggeribus circumseptum, quorum pars ab antiquitate diruta, pars humana vi adæquata: & pars soliditate firmata, quatuor habet portas.... Saluberrima est aeris temperies, ut omnes, qui diuturno morbo affecti, viribusque infirmi, valetudinis causâ, in illud conveniunt, quas cupiunt vires, illas brevi colligant. Magna est puerorum manus, quibus præsertim eruditis humaniorum literarum Professores assidua diligentia invigilant, Christianisque præceptis imbuunt E&c.

### E P I S T O L A XXIII.

#### JOSEPHO MUGINO OMIATH. (a) SALUTEM.

**ARGUM.** *D. Laurentii celebritati ne interesset, sibi per occupationes non licuisse. De eadem sibi, cum de aliis nuntiari postulat.*

**E**go certe ad tuas mellitissimas literulas hodie respondere non decreveram: eram enim quibusdam negotiis impeditus. Sed illud me ad scribendum invitavit, quod sciebam, te heri me omnino expectasse, ut Divi Laurentii solemnitati interessem. Itaque cum ad te advolare, ut decreveram, non potuerim, volui, ut hoc tempore saltem aliqua scripta ex me recepisses. Prope adest, cum Mediolanum redibo, cum Hero ne, an solus nescio. Unum illud scio me propediem Mediolani futurum, tecumque ibi literarum studiis invigilaturum: quapropter, quod te decet, interim id facito, spero tamen me istuc venturum antequam illuc discedam. Cæterum quid isthic Divi Laurentii solemnitati æctum est, quod scitu dignum existimes, id quam primùm mihi signifies velim. Scis enim, ut ait Cœlius ad Ciceron., (b) quam omnibus peregrinantibus gratum sit, minimarum quoque rerum, quæ

(a) Discipulo, seu contubernali.

(b) Epist. Famil. 1. lib. 8.

domi gerantur, fieri certiores. Quid præterea adiunctum velim nescio, nisi ut domesticos tuos omnes, & Præceptorem nostrum omnibus modis observandum salutes. Vale, sed mane paulisper: ferme animo exciderat, quod maxime adscriptum vellem. Cupio mihi nunciari, an Hieronymus Præceptoris nostri filius crimine, de quo nefarie accusabatur Palantiæ, (1) adhuc absolutus sit, & iccirco isthic sit Franciscus noster, idem hujus frater. Vale iterum, ac stude, quo, cum a Matre, & Fratre discessi, mihi charior, neque jucundior est nemo. Lognati Feriis D. Laurentii MDXLIV.

(1) Insigne oppidum ad Verhani lacus oram jacens, de cuius *Orig.*, *Antiq.*, *Nobil.*, & *Incremento* MS. in Archivo nostro Cod. 318. dissertatio est Jo. Baptista Blanchini Palantiensis.

## EPISTOLA XXIV.

ELISABETH MATRI OPTIMÆ S. P. D.

**ARGUM.** *Morbo exemptam lætatur. De sua Mediolanum brevi futura profectione nuntiat, deque suo consilio, ut Fratrem optimæ alicui arti addicat.*

CUM XI. die Augusti mihi nunciatum esset, Grammatophorum fasciculum literarum, nomine vestro, Varisio mihi asportasse, magna cum lætitia statim me ad eum contuli. Quare cum acceptas literas legi, lætitia illa adeo ingens in maximum dolorem est immutata. Ex illis enim te superioribus diebus pessime valuisse intellexi, quod quantum doloris mihi attulit, tantum postea lætatus sum, qui nunc te bene valere ex eisdem cognoverim, id quod tibi perpetuum sit, Superos precor. Tu jam lætior vivere deberes, depositis tandem illis curis, quibus nostri caussa semper sollicitata es. Ego enim abhinc ad annum unum in eum virum, faventibus Superis, evadam, quem semper cupivisti, tecumque, ut spero, &, ut æquum est, feliciter vivam; nam mihi necessum est, ut eruditionis aliquid comparem, id temporis Mediolani agere. Quod procul dubio Feriis Divi Michaelis cum hoc Hero remigabo. Sed inde rediens ad te, ut mihi constitutum est, Cæsarem fratrem amantissimum alicui optimo artium generi emancipabo, ut & ipse mecum honeste vivere possit. De quo minime dubitare debes, quin ad bonam frugem non perveniat, & tibi magnam voluptatem allaturus sit,

probe enim se gerit in ediscendis literis, satis pulchre literarum formulas pingit, neque parum adhuc in supputandi peritia profecit, quæ quidem ex illius literis plane perspexi. Præterea aliquot minas (1) habeo, quas ad te mittere cupio, sed, cui eas recte committam, nullum habeo. Eas igitur ego tibi deferam, decrevi enim ad te advolare, priusquam hinc Mediolanum discedam. Quod cum primū licebit, fiet. Quo circa illud velim cures, quod vos latos offendam, te, & Fratrem bene valentem esse. Velim me certiorem facias, utrum Baptista patruus meus proximo mense Mediolanum sit futurus. Reliquum est, ut bene valeas, Mater optima, teque me habere existimes, qui, quantum tibi debeam, omnibus horis recorder, quique nihil aliud magis cupio, quam ut meam in te pietatem tibi declarem. Ex Lonato Fer. D. Barptholomæ MDXLIV.

(1) Quamvis varia fuerint apud anticos Græcos minarum genera, obser-vatum tamen est Budæo, aliisque, qui rem nummariam pertractant, consueuisse Latinos, cum minæ mentionem faciunt, eam intelligere, quæ 100 drachmis æqui-valet. Drachma autem computatur juxta Budæum tribus solidis, ac tribus denariolis Turenicis; si autem loquamur de Mediolanensi pecunia, & quidem tem-pore Cicerei, solidis Mediolanensisbus fere octo, & semissi, sicuti tradit Anonymus de Mensuris & Ponder., qui ad calcen legitur *Epitome Histor. Rom. Amstelodami* impreßæ an. 1625.

## E P I S T O L A XXV.

### CÆSARI FRATRI SUO S. P. D.

**ARGUM.** *De ægrotante Matre monitum non fuisse queritur. Plurimum filii genitoribus debent. Eò sibi cariorem esse Fratrem, quod summo semper studio Matrem coluerit; ne ad eum accedat occupationibus, quibus distinguitur, impediri.*

**P**OSTRIDIE illius dici, quo ad eas literas responderam, quas tu ad me xv. die Julii dederas, alteræ literæ mihi ex te redditæ fuerunt Kal. quidem Augusti scriptæ, ad quas cum me ad respondendum hodie ac-cinxissem, tertias tuo nomine accepi xvi. Kal. Augusti signatas, quæ duæ epistolæ mihi gratissimæ fuerunt, cùm quod a te mihi omnium charis-simo, & suavissimo proficisciabantur, tum quod te, & Matrem optimam nostram ex illis malæ valetudinis expertes esse cognovi. Sed ex illo non parum commotus sum, quod scribis eam superioribus diebus male  
se

se habuisse. Quare de te graviter possum conqueri, qui, cum eam ita valere videres, me nunquam admonueris. Quocirca posthac sic statuas velim, ut, quoties ad me scriperis, toties binas literas mittas; quarum alteræ tuæ sint, alteræ Matris nomine scriptæ, quibus præsertim de ejus valetudine certior fiam: scis enim, quantum ei debeamus, quæ omnia suæ vitæ commoda nostræ educationi posthabuit, ut interim taceam, quām quisque Matri suæ obligatus sit. Quamobrem illud est, quod mihi es charior, quod illi talem te semper præbueris, qualem te decere cognovisti. Tamen erga eam illud etiam facias velim, quod latior vivat, & in malam valetudinem non incidat. Multa te facturum pollicere, & brevi illius expectationem victurum te dicit. Multa tu quidem de te policeri potes, & ea facile præstabis, si tempus posthac ita contriveris, ac antehac consumplisti. Video enim (quare gaudeo) quam sis virtutis studiosus, qui non solum in descendis, sed etiam pingendis literis multum proficis. Cæterum eas literas, quas ad Matrem scripsi, & cum his tuis conjunxi, velim illi diligenter prælegas, nemine alio præsente. Quod cur faciam, si minime cognoris, illud saltem cognoscere ita mihi fieri placere. Quod Feriis D. Laurentii me tibi adfuturum sperabas, &, ut scribis, in dies expectas: illud scias velim, me brevi esse ad vos advolaturum. Jam mehercules vos invisisem, quod cupio, sed negotia quædam me quasi ab itinere jam cœpto abstraxerunt. Tu interea temporis bene vale, &, quod te decet, exerce. Matrem nostram optimam saluta. Ex Lonato Feriis D. Barpitholomæi MDXLIV.

## E P I S T O L A XXVI.

JOSEPHO MUGINO OLIM DISCIPULO SUO S. P. D.

**A**RGM. *Gratas sibi fuisse litteras testatur, scientiarum studio incumbere ut pergit, hortatur; de sua denique Mediolanum profectione serius protracta.*

**P**OSTRIDIE quam responderam ad tuas literas idibus Julii scriptas, iterum literæ ex te mihi redditæ sunt, quare te meis præceptis parere cognovi. Quibusdam enim scriptis (si bene meministi) tibi mandavi, ut crebro ad me scripisses. Itaque illud tibi persuade, quod scripta tua crebriora sunt, ed mihi esse gratiora. Verum proxima gratissima fuere, duabus quidem de cauulis, & quod te ex illis bene valentem esse cognovi, & quod illinc etiam te in dies doctiorem fieri, clarum & per-

E

spicuum mihi fuit; quare quod tibi nunciem habeo. Nudius tertius nobis præsto fuit eruditissimus noster Mediolanensis (*a*) Institutor, qui cum de te locutus sum, & tuas literas omnes legendas obtuli. Quamobrem institutum tuum laudavit, quod sis bonarum literarum studiosus. Quod autem ad contubernium attinet, recepit se admissum ire te a vindemiis, nec sententiam mutasse. Fac igitur, Josephe mi, ut qualem te hactenus in literis præbuisti, talem etiam interim te præbeas. Quoniam ad te scripsi superioribus diebus me constituisse Kalend. Septemb. Mediolanum remigrare, id scias velim me illius precibus a proposito abstractum esse. Non enim potuisse ab illius viri eruditissimi voluntate honeste dissentire, quandoquidem ei plurimum debeam. Hic igitur ero usque ad Fer. D. Michaelis. Tum temporis cum Hero Mediolanum redibo, sed interea temporis te invisam; quare longiori sermone quam scriptis exprimi possit, de rebus nostris commentabimur. Vale, & stude. Ex Lonato Fer. D. Barpholomai MDXLIV.

(*a*) Nempe Franciscus Jerargus, v. Ep. 28. hujus.

## E P I S T O L A XXVII.

### JACOBO FRATRI PATRUELI SUO S. P. D.

**ARGUM.** *Litteras ejus sibi gratissimas suisce; ne Mediolanum pergas, quædam sibi obſtaculo & impedimento eſſe.*

**A**D septimum Kalend. Septemb. litteras tuo nomine accepi datas quidem ad xv., quæ quidem literæ gratae mihi extiterunt, quod solent omnes, quæ a te mihi charissimo proficiscuntur, sed illæ etiæ jucundiores fuere quod illud intellexerim, quod jandiu didicisse cupiebam, nempe hujus anni nostratium agrorum fertilitatem, aut penuriam; qua in re, si frumentatio vobis minime satisfecit, doleo. Quod vindemia mala erit, vos admoneo, ut vino veteri, quod vobis esse scribis, parcatis, & dolium quandoque finatis, & a compotationibus abstineatis. Quod autem montes nostri castaneis abundant valde lætor, & ut ad maturitatem, tempestatibus intactæ, perveniant, Deos precor. Quod admiratione teneris, quod Feriis D. Laurentii istuc non advolarim, & vobis in celebrandis istis festivitatibus adjutor non fuerim, male facis: non enim poteram vos adjuvare, qui nec choreis, nec saltationibus adhiberi soleam; potuisse equidem nostris ludis interesse, & omnes ve-

stras, & Matris epulas, quippe qui sim πανθηγὸς, hoc est, omnia comedens. Sed, ut serio agamus, D. Laurentii Feriis ad vos venire non potui; multa namque negotia mihi obliterunt. Quam primum igitur mihi licebit, vos procul dubio invisam, saltem eo tempore, quo musum, & castaneas vestrates gustare potero. Feriis D. Bartholomai tuis literis responsum dedi, quas tu ix. die Augusti ad me dederas, quas quidem literas, ut opinor, acceperis. Quod ad Cæsarem fratrem attinet, cura, ut sedulam operam navet scriptio, & abaco; nec dubito, quin brevi graphice scribat, & supputandi scientiam teneat. Si quid vero temporis superfluerit, ne id in cassum conterat, eum in arte tua exerceas. Interea temporis ego isthic adero, & consulemus illius rebus; tu valetudinem cura. Salutem dic omnibus domesticis. Ex Lonato ad iv. Kal. Septemb. MDXLIV.

## EPISTOLA XXVIII.

## MELCHIONI VICOMERCATO S. P. D.

*ARGUM. Cur redditum suum distulerit, causam exhibet. Magna græcæ linguae utilitas, cui quod is gnavoriter incumbat, mirifice laudat.*

**K**ALEND. Septemb. literas accepi, quas tu ad me dederas Kalend. Augusti, quas, quoniam diu expectarem, avidius legi. Scribis te non mediocriter commotum fuisse, quod superioribus diebus me male habuerim, quare præfers incredibilem tuam in me benevolentiam, quam tibi esse semper intellexi. Quod de redditu meo nuper ad te scripsi, jam me id mutasse intelligis, qui adhuc me non videoas, & spe frustratus sis. Cur? inquis: quid tibi obstat? hoc audi: eruditissimus Jerargus præceptor tuus superioribus diebus, quod forte haud ignoras, nobiscum fuit; quem quidem diem adeo clarum, & lætum vidi, ut meritò dicere possim illum adventu suo gaudiorum Ἰαλασσῶν(α) nobis attulisse. Omnem enim mihi mœrem ademit, me in literarum studiis pigrum, oscitantem, somniculosum, ad ea inflammatissimum, & excitatissimum reddidit, spem denique parandæ eruditionis meæ, quæ antehac admodum fuit tenuis & exigua, mihi auxit, & magnam me habere jussit. Is igitur me hic ultra præstitutum tempus esse voluit. Ego certe ab ejus hominis de me bene meritissimi voluntate honeste dissentire non potui, idcoque hic commorabor usque ad Ferias D. Michaelis,

(α) Mare.

E ij

quo tempore tandem te videbo, & te mihi ignotum amplius esse nequaquam patiar. Quid enim est quod mihi magis in votis cedat, quam ut cognito tuo animo prorsus candido te etiam cognoscam? Verum hæc missa faciamus, ut cætera audias, quæ per eruditissimi Jerargi adventum magnam mihi voluptatem attulerunt. Etenim is me certiorem reddidit (quod etiam in tuis scriptis mihi clarum & perspicuum fuit) te in literis græcis etiam gnaviter incumbere, habereque in Præceptorem Leontinum ejus lingua, ut etiam Philosophia, callentissimum. Ego quoque superiori tempore ejusmodi literarum generi, sine quibus latinæ non satis possunt consistere, operam navabam. Sed non te latet, quid in illis assequi potuerim, cum præceptor mihi nullus contigerit, vivæ vocis intelligo, chartaceum sane habui, & eum Urbanum Bellunensem (1). Quamobrem tibi certe inviderem, ni te amarem, cui in utraque lingua contigerint duo tales Institutores, in quorum eruditionis laude consequenda Cicerone laudatore opus esset. Quin tibi, ut verius loquar, gratulor, & mihi, ut æquum est, gadeo, quod eos consequens sis, per quos ad solidam eruditionem brevi, facileque perveneris. Quod tuâ operâ literæ meæ recte perlatæ sint, immortales ago gratias, agamque dum vivam, teque precor, ut & tu operâ meâ audacter utaris ubicumque opus fuerit. Sed mehercules rideo, cum hæc profero; quid enim tibi, mi Melchion observande, ex hoc rure incultissimo, eodemque sordidissimo præstare possum? Ama tamen voluntatem. Sed quid reliquum est? Nihil mehercule, nisi ut Jerargum præceptorem tuum, cui, cum a Parentibus discessi, plusquam nemini mortalium debo, ex me salutes. Vale, & me, quod facis, ama. Ex Lonato III.  
Nonas Septemb. MDXLIV.

(1) Scilicet Urbanum Bolsarium Bellunensem Franciscani Ordinis, cuius *Institutio extat in Linguam Græcam & alia. V. Morhofium Polyhistor. tom. I., & Wadingh Scriptor. Ord. Min.*

## EPISTOLA XXIX.

JOANNI MENABENO INSTITUTORI SUO  
OBSERVANDISS. S. P. D.

**A**RGM. *Silentii se purgat, cuius rationem ampliter reddit. Duabus nunc caussis, ut ad eum scribat, moveri. Pro summis beneficiis multum eidem se debere profitetur.*

**A**DMIRATIONE detineri potes observandiss. Præceptor, quod, cum jam fere annum hic abs te absfuerim, ne semel quidem ad te scripserim. Hoc pacto enim videor id facere, quod solent perditi adulescentes, qui simul atque a scholis absoluti sunt, non solum Præceptorem suum flocci faciunt, sed etiam penitus obliviscuntur. Sed egone hoc conari quirem, quem perinde semper amasti ac si genuisses, & quem tam amanter instituisti, ut nihil amantius posse fieri putem? Scias igitur velim, id immerito non esse factum. Haud enim ignarus sum, te pro tua singulari in me benevolentia magnam spem cepisse de me, qui non vulgarem eruditionem essem consequuturus; ideoque hortatus es me, ut relicta Patria in urbibus versarer, & doctissimorum hominum, studiosorumque adulescentium consuetudine uterer; hoc enim potissimum ad illam parandam opus mihi esse videras. Tuo igitur hortatu me Médiolanum contuli, ubi propter temporum iniquitatem, & acerbitatem non diu consistere potui. Quare nunc quasi ab urbe relegatus in his locis sum, ubi nullum prælegentem audio, nullum æmular in ediscendis literis, nullum denique habeo, quicum de literis agam, communicem, certem. Quo itaque animo ad te aliquid literarum dare unquam potui? Magno quidem dolore te meis scriptis affecissem, cum iis compertum habuisses, me minime expectationi tuæ posse respondere, ne dum eam vincere, quod de me tibi sæpe pollicitus sum. Quæ res igitur me nunc impulit, ut ad te scriberem? Primum, quia sperem me hinc ad Ferias D. Michaelis extirpaturum esse, futurumque Mediolani, ubi non modo eruditionis meæ spem tuam exequar, verum etiam superabo; deinde quod mihi nuper nunciatum est, te isthinc brevi emigraturum, ut Intriæ profitearis; iccirco vellem, si datur, aliquam schedulam mitteres, ex qua, an id verum sit, plane perspicerem. Nam vix mihi verisimile fit, ut quos & literis, & moribus ingenuis in juven-

tute ornaſti, eos nunc in ſenectute prorsus relinquere conſtitueris: quanquam multis de cauſis moveri potes, ut id facias. Quibus qui- dem rebus utinam ita mederi poſſem, ut amanter doleo. Sed tuum eſt, ut & hoc tempore eo animo ſis, quo ſemper eſſe te cognovi. Turpe quidem tibi eſſet, ſi, cum de ſapientis animo, deque magnanimitate in ſcholis präcipere ſoleas, adverſā fortunā frangereris; imitareris enim malos Medicos, qui in alienis morbis profitentur ſe tenere Medicinæ ſcientiam, iþi ſe curare non poſſunt. Duabus igitur de cauſis, ut ad prima redeam, nunc tandem ad te ſcribendum eſſe putavi; quod quanquam brevi ad te advolare decrevi, ut meo desiderio ſatisfaciam, ut poterit qui te, totamque prolem tuam videre cupiam, id tamen prätermittere nolui, ut interim literarum aliiquid ex te habeam. Hoc certe nihil unquam eſſe poterit jucundiū, aut gratius. Sed hæc miſſa facia- mus: minime puto huic epistolæ adſcribendum eſſe quantum tibi pro ſummis in me beneficiis debeam; quippe ſi voluero, vix id conſequi potero. Quibus enim plus debemus, cum a Diis, & a Parentibus diſce- dimus, quam Inſtitutoribus noſtris? Qui enim de nobis melius mereri poſteſt, quam qui nos ex belluis homines reddit? Ego mehercules, ſi quid virtutis, cognitionis, & humanitatis conſequutus ſum, &, ſi quid unquam eruditionis aſſequar, id omne per te mihi paraffe ſemper pro- tebor, ut interim taceam tuum in me amorem, qui ſolus iſ eſt, ut me tibi obligatissimum facile redderet. Quapropter unum illud mihi dolendum eſt, quod meam in te pietatem tibi ſatis declarare nunquam poſui; quod ſi forte in posterum fiet, Diis mediufidius ingentes ha- bebo grarias. Id enim präſertim mihi in votis cedit. Cum tibi ade- ro, quod me, ut jam dixi, propediem facturum ſpero, multò lon- giori ſermone, quam id scriptis fieri queat, de rebus noſtris agemus. Tu interim bene vale hujus ſæculi ornementum, & Romanæ eloquen- tiæ decus, exiſtimaque te Cicerinum habere, qui non ſolum tibi, ſed etiam tuis omnibus plurimum perpetuū eſt debiturus. Ex Lonato No- niſ Septemb. MDXLIV.

## EPISTOLA XXX.

PETRO ALBUTIO (I) PHYSICO S. P. D.

**ARGUM.** *Tot sibi ab Albutio beneficia concessa, ut insolubili erga eum debito se teneri, agnoscat. Multis laudibus eundem exornat. Cur Hero suo infervire destiterit, causam manifestat.*

Ego quidem hinc discedens, Petre Albuti Medicorum princeps, non potui nihil literarum ad te dare, ex quibus, quo in te sim animo, perspicue cognosceres. Turpe enim esse existimavi, si tamquam Bárpaχos ἐξ Σερίφου (2) ab his locis me absolverem, nec ad te literas saltem mitterem, quæ μαρτυρίαν (a) præferrent meæ perpetuæ in te observantiaz, & obligationis insolubilis. Quis enim est, cum a Diis, & a Parentibus discedo, cui plusquam tibi debeam? Plurimis quidem de causis, ex quibus illas tacebo tanquam minus vehementes, quod meus conterraneus sis, & Jerargi Mœcenatis mei amantissimus. Illas autem adferam, quibus planum fiet me tibi tantum debere, quantum nunquam exolui queat. Primum enim propter innumerabilia tua in me beneficia, ex quibus tamen hæc numerari possunt: bis certe in gravissimam febrim incidi, & operâ tuâ in pristinam valetudinem quam primum restitutus sum. Quid, quod apud Herum meum Baptistam Vicecomitem, virum tum nobilem, tum honestum, & summis virtutibus prædictum me toties commendasti? Quare factum est, ut semper charus & acceptus ei fuerim. Horumne beneficiorum minima pars redderet quenquam tibi obligatissimum? Quid enim (de bonis corporeis loquor) majus est valetudine? Quid deinde homines magis appetunt, quam ut nobilissimis & amplissimis hominibus chari sint? Deinde tot ac tantæ sunt virtutes tuæ, ut omnes ad tui observantiam, & tibi debendum allicerent. Cur igitur me tibi plurimum debere, & te observare, ne dum colere, palam non profitear? Tanta est tua medendi peritia, ut meritò illud dicere possim, Aësculapium, & Galenum illum in te reviviscere. Præterea in Platonis, & Aristotelis libris tantam induxisti familiaritatem, ut, si eos tu edidisses, in eis non esses exercitator. Idem facis & in cuiuslibet alijs generis Autoribus, adeo ut nihil memoriaz proditum sit, quod te lateat. Sed quid de prudentia, iustitia, magnanimitate, & temperantia dicam; quæ virtutes adeo in te

(a) Testimonium.

splendent, ut tu illis, non illæ tibi honori esse videantur? Quid de moribus tuis facilimis? quid de civilitate, & urbanitate commemorabo? Ego certe eos dies lætissimos, & clarissimos hic (Lonati) vidi, cum apud Herum meum cœnabam, aut paullisper commorabar: tuos enim mores tam libenti animo observabam, & multa a te prudenter disputata, multa etiam breviter, acute, & commode dicta memoriae mandabam, ut nunquam, si fieri potuisset, a latere tuo discessisse. Sed quid plura? Vellem ingenio multum posse, ego mediusfidius ingenti volume, ut dignus es, te decantarem, & virtutes tuas exprimerem, quæ, cum tot ac tantæ sint, nullum marginem linearum expertem relinquerent. Habis igitur quantum tibi debeam. Quare, cum sciam me nunquam tibi solvendo futurum, perpetuoque debitum, salem habeo gratias maximas, &, ut Vergilianis versibus utar, (a)

*In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae  
Lustrabunt, convexa polus dum sydera pascet,  
Semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt.  
Quæ me cunque vocant terræ....*

Quare vale; sed mane. Unum restat quod te scire avertere cupio, quod precor legere digneris. Ne mirere, quod Baptista Vicecomiti, insigni viro, apud quem sæpe me commendasti, servire destiterim. Scias id in illius rem potius esse factum; nam satis compertum habui servitutem meam prodesse nihil posse ingenuis illius filiis, & bonis moribus, & literis instituendis. Alioquin, cui potius eam quantulamcumque præbuisset? credo nobiliori? ampliori? honestiori? aut alicui, qui majorem honorem filiorum suorum Institutori adferret? aut plus amaretur? Nequaquam. Hæc enim omnia, si quo sunt in homine, ille in se complectitur. Vale iterum. Ex Lonato die VIII. Septemb. MDXLIV. Idem tuus cliens.

(a) Æneid. I.

(1) Joannes Petrus Albutius hic a Picinello, Morigia, Curtio, Argelati, Mazzucchelli, ac denique Clariss. Joanne Alexandro Brambilla Josephi II. Augusti Cæsaris Chirurgo (a) laudatus. Non tantum Medicam arrem excoluit Albutius, sed onini etiam politioris litteraturæ genere exornatus fuit, quibus plane laudibus Albutium celebrat Cicereius, quem *conterraneum* suum, hoc est Luganensem vocat, cum cæteri Mediolanensem ipsum faciant; verum conciliari invicem possunt, si dixerimus, Albutium Luganensem fuisse origine, Mediolanensem vero diuturniori mora, qua in urbe hac degens magnum tibi nomen comparavit, ubi etiam decessit anno 1583. Ejus monumentum Mediolani prostat in Templo

(a) *Storia Fisico-Medico-Anatomico-Chirurgica*, tomo 2. parte 2.

plo S. Eustorgii, legendumque apud Allegrantiam. (a) Epigramma in Petri Albutii laudem indicat Argelati, auctore Andrea Cerruto Novariensi, quod est inter *Carmina Illustrium Poetarum* tom. 6., aliud vero epigramma \* ab Argelato minime proditum, quod proinde asterisco signamus, in obitu tum Petri Albutii, tum Nicolai Boldonii Medicorum, extat in Bernardini Baldini *Lusibus* pag. 66. In MS. nostro n. 136 Gaudentii Merulæ (b) sermo est etiam de Albutia gente, ex qua prisci duo commendantur doctrinæ laude præstantes, L. Albutius Silo, de quo Seneca, (c) Svetonius, (d) Quintilianus (e) loquuntur, & L. Albutius, cuius meminit Varro. (f) Recentior vero Aurelius Albutius Poeta Mediolanensis commendatur ætate sua florens, cuius illustria evulgata sunt opera. Hujuscce Aurelii MS. Orationem, *de Vita & gestis Jo. Jacobi Trivulpii*, in Archivo Belgiojosoiano conspexi, cuius quidem Orationis meminit Argelati. In eodem vero Archivo Carmen vidi ejusdem Aurelii Albutii, & quidem charactere scriptum Cicerei; quod Carmen consolatorium est ad Illust. Ambrosium Vicecomitem in morte Hermæ fratris sui.

(2) *Rana Scriphia*: proverbiale dictum, quod in homines mutos, aut vehementer silentiosos manavit; nam in Seriphō Insula, quæ una est Cycladum in mari Ægæo, ranæ prorsus mutæ traduntur (g).

(a) *De Sepulcr. Cbrifl.* pag. 71.  
 (b) *De Clær. Familias.*  
 (c) Lib. 3. *Controversiarum.*  
 (d) *De Clær. Orat.*

(e) *Institut.* lib. 2. cap. 5.  
 (f) Lib. 3. *de Agricultura.*  
 (g) V. Plin. lib. 8. cap. 58.

## EPISTOLA XXXI.

### SACRO FRANCISCO JERARGO S. P. D.

**ARGUM.** *Librum accepit: monita ejus bene cessere, plura cum eodem coram differet.*

**T**UUM Lexicon accepimus, quod quam gratum nobis extiterit, vix possem verbis consequi. Scias velim, admonitiones tuas non parum valuisse apud Franciscum nostrum; adeo enim mores immutavit, ut vix eum esse, qui erat, crederes. Adventum tuum avide expecto: is enim omnem mihi mœrorem adimet. Plura scribere non audeo, cum ea tecum coram agere magis cupiam. Vale Cicerini Mœcenas: in te enim omnis eruditionis meæ spes sita, & locata est. Lonati x. Septemb. MDLIV.

## EPISTOLA XXXII.

PRESBYTERO STEPHANO GALLO S. P. D.

**ARGUM.** *Cum Hero suo non amplius se permansurum ad nonet, multis nominibus Stephano se valde devinctum agnoscit. Brevi se Mediolani futurum nunciat.*

**C**UM hinc sim discessurus, meum esse existimavi, ut te certiorem facerem de meo in te animo, & obligatione, & te admonerem, cur nolim mihi amplius Baptiste Vicecomitis, viri tum nobilis, tum honesti, filiorum curam esse demandatam. Ego certe, si compertum haberem meam servitutem prodesse posse hujus filiis, optime & liberamente instituendis, eam illi multos annos praestarem. Et meritò; neque enim nobiliori, meliori, aut ampliori, aut qui majori honore afficiat filiorum suorum Institutorem, aut plus amet, servire me posse existimo, si enim cuiquam sunt, illi certe Magistri curæ sunt; est enim bonarum literarum studiosorum amantissimus. Cognosti igitur, cur hanc provinciam deserere constituerim: hoc ad te attinere intellexi, ut qui mihi gratulatus es, quod hanc tam pulchram & bonam conditionem essem nactus, habeas etiam, quare hujus expertem fieri cogar. Sed nunc eò venio, quòd me ducunt tua in me beneficia, meus amor, & perpetua in te observantia. Plurimum tibi debedo, & me tibi semper esse debitum profitebor, duabus quidem de caussis vehementissimis. Primum enim hæ sunt tuæ virtutes, ut quemque ad te amandum, & tibi debendum allicerent. Cur igitur me tibi devinctum esse non dicam, qui sum illarum admirator? Deinde illam esse vehementiorem caussam, cur tibi sim obligatissimus, quis neget? Cum enim abhinc fere annum huc migrasse, nec quenquam haberem, qui me ad literarum studia excitaret, tu pio & candido animo eam provinciam, ut prodessey tibi adhuc ignoto, sumpsiisti, & mè crebra scriptorum tuorum lectione fatigasti. Quare factum est, ut ad ea semper inflammatissimus fuerim, nec bonas literas per ignaviam perdiderim, & iccirco haud me pœniter, quod tandiu ab urbe absuerim. Illud igitur mihi semper dolendum erit, quod nunquam ad te venerim, nec te viderim, & mihi tuo colloquio frui non licuerit. Sed illud, ut opinor, me excusat, quod nosti, quæ cura mihi delegata esset.

Utinam ita tibi adesse licuisset, ut semper aventure cupivi. Verum quas literas ex te habui, quibus nihil mihi est neque charius, neque jucundius, neque dulcior quidquam, tui loco semper apud me erunt, & eas dissuaviabor, & exosculabor, & lætabor, quod a tali amico sint missæ. Velle mediussidius, quandiu hic fui, mihi oblata fuisse occasionem aliquam, quare meum erga te animum, re non scriptis declararem. Quod si forte in posterum fiet, majorem in modum lætabor: id enim maxime mihi in votis cedit. Quare tuum est, ubi ubi ero, libere in omnibus rebus, in quibus volueris, operâ meâ utaris; eam certe apparatissimam in commoda tua semper habebis. Brevi, ut spero, eruditionis consequendæ gratiâ ero Mediolani; postea, si dabitur, in patriam remigrabo, ea enim est Luganum. Tu, si utrobique mihi imperabis, sique omnia mea tam tua esse putabis, quam mea existimo, in dies me tibi obligatorem, & tui observantorem, & amantiorem reddideris. Restat, ut Cicerinum plurimum semper tibi debiturum existimes, gavisurumque, quod te amicum nactus sit. Quare te oro, ut cum me apud te omni tempore esse velis, qui hactenus fui. Vale R.<sup>de</sup>, Cæsaremque Vicecomitem (1) virtutum decus, & hujus sæculi ornamentum, dominumque meum meis verbis saluta. Cum videris Angelum Reposum, Antonium Casolum, & Antonium a Caudis, R.<sup>dos</sup> Præsbyteros, meique amantissimos, eos salvere ex me jube, dicque, precor, ut me sibi commendatos habeant. Vale iterum ac salve. Ex Lonato ad xiv. Kalend. Septemb. MDXLIV.

(1) Duo occurunt Cæsaris nomine eo tempore Vicecomites, unus filius Theobaldi ex Comitibus Somæ, Cistelaghi &c. (a) Cæsar alias, (b) filius Scaramutiæ ex Comitibus Carinati, & Riozzii, Eques Sacri Melitensis Ordinis, Commendatarius Sanctæ Mariæ Templi, seu S. Crucis Mediolani. Quenam vero horum indicaverit Cicereius, mihi certe conjectari non licet; sicuti, neque cui ex duobus hisce Vicecomitibus Tetraastichon emortuale inscripserit Bernardinus Baldinus in fine lib. 7. *Philosophia Aristot.* haud contempnendis carminibus expressæ. Incertum est etiam, utri ex iis duplarem dederit epistolam Hieronymus Fontana, quæ MS. extat in Archivo Belgiojosoiano.

(a) V. Biffum Stemm. Vicecomit.  
(b) V. Sitonum de J. PP. Collegio.

## EPISTOLA XXXIII.

PAULO PLANTANIDÆ COGNATO SUO S. P. D.

**ARGUM.** *Pergratum ei animum ostendit, cum de sua Mediolanum profectione.*

**A**NTEA multis nominibus tibi obligatus eram, sed posteaquam meorum, & domesticarum literarum recte preferendarum curam ultro sumpsisti, qua re nihil absentibus nobis gratius esse potuit, effecisti, ut perpetuo tibi multum sim debiturus, non modo hac caussa, verum etiam magis etiam, quod ea in re talem tuam in me voluntatem praetulisti, ut quæque maxima, si opus esset, pro me faceres. Propediem hinc me absolvam, & Mediolani agam, ut eruditionis aliquid consequar. Gratissimum igitur mihi feceris, si in omnibus rebus tuis, quæ per me effici poterunt, libere operâ meâ usus fueris, eam certe semper apparatissimam ad omnia commoda tua habebis, siquidem nihil mihi in votis magis cedit, quam ut aliquid tuâ caussâ faciam, quare meum in te animum exploratum habeas, sum enim tuus. Andream Carantanum nostrum salutabis. Ex Lonato die XVII. Septembbris MDXLIV.



## L I B E R II.

## E P I S T O L A I.

MARCO ANTONIO LEONTINO S. P. D.

*ARGUM. Litteras mittit, ut de iis judicium ferat, simul in observantiae testimonium.*

**E**N tui clientis literas adolescentium doctiss., de quibus, cum judicium adferre volueris, satis compertum & exploratum habeo, te non usum judicio tuo acerrimo, sed certe clementia, & tuorum morum facilitate. Si enim otii literarii alimenta mihi suppeditabuntur, brevi efficiam, ut mea scripta manibus tuis multo digniora existimes. Sed hasce literulas non solum iccirco tibi oblatas puta, ut de mea exigua eruditione censeas, verum magis etiam, ut tibi persuadeas precer, eas meæ perpetuæ in te observantiae testimonium fore. Sum enim perpetuæ tibi debiturus. Bene vale. Mediolani ex officina libraria Andreæ Novariensis, pridie Kal. Octobris MDXLIV.

## E P I S T O L A II.

ELISABETH MATRI OPTIMÆ S. P. D.

*ARGUM. Mediolani se degere, ibique bene habere significat; pacem nuntiat inter belligerantes Principes initam.*

**A**D tertium Kalend. Octobris Mediolanum applicui adeo quidem sero, ut vix urbem ingredi potuerim. Hic nunc bono in statu sum, Diis immortalibus gratia, bene enim valeo, & multo lætior vivo, quam Lonati solebam. Nec injuria; etenim his in locis quod cupio, & in animo semper habui, brevi efficere potero, quod te non latet, in literis aliquid proficere. Provinciam satis pulchram, & optimam habeo, quæ mihi in horam est successura. Ea est, per quam a Lonato avocatus sum, & accitus. Quod factum est a nonnullis mei amantissimis, qui, ut literis operam navem, & doctus evadam, maxime cupiunt. Cum primum igitur mihi consuluero, ad vos veniam; tu interea temporis fac bene valeas, meque cæteris domesticis quam officiosissime

commenda. Sed mane: pro certo habetur, pacem factam esse (1) a Galliæ Rege cum Cæsare. Attamen hic nondum voce Præconis eam declararunt. Mediolani ex officina libraria Petri Antonii Sessæ (2). Ad Kal. Octobris MDXLIV.

(1) Quæ nimirum sancta fuit XIV. Kal. Octobris ejus anni 1544. apud Crepinum in Svestionibus Castellum (a).

(2) Ad quem plures italicæ ejusdem Cicerei epistolæ sunt in Codice Belgiofiano.

(a) V. Supplement. Histor. Sabellici lib. 27. extremo.

### E P I S T O L A III.

#### ELISABETH MATRI OPTIMÆ S. P. D.

ARGUM. *Quid Mediolani agat, consiciam reddit.*

**P**OSTRIDIE quam de meo a Lonato discessu ad te scripsi, provincia, quam præ manibus, ut tibi significavi, habebam, mihi ex animi sententia successit, nempe apud modestissimum, & ingenuissimum virum pium Advocatum: (1) is enim duos filios mihi erudiendos tradidit, quanquam tres habet; sed natu maximus multò me est doctior. Itaque eo socio in studiis utor, & me plurimum amat; is præterea audiendæ publicæ lectionis, adeundique eruditos, doctrinaque præcellentes viros mihi copiam quotidie facit. Sum deinde cæteris ejus domesticis charifimus, quandoquidem nemo est, qui me non amet, & honore afficiat. Habes igitur de statu meo; qui cum talis sit, nihil est quod doleas, quod foris vitam degam, nec verear, quin brevi tempore solidam eruditionem mihi comparem, & expectationem tuam pulcherrime vincam. Supereft, ut tuam valetudinem cures quam diligentissime, hoc enim maxime mihi opus est. Cum primum licebit, ad vos advolabo, quod avertere cupio. Bene vale, meque tibi commendatum habe. Saluta Cæsarem Fratrem amantiss. Mediolani ex ædibus Pii Advocati apud D. Ambrosii, juxtaque januam Cœnobii D. Michaelis IV. Nonas Octobris MDXLIV.

(1) Cui uxor fuit Lucretia Barbavaria, ac tres genuit filios Cæsarem, Pompeium, Antonium, de quibus infra ep. I. lib. 7. Cæsar, qui natu major, uxorem sibi adiunxit Angelani Serenniam, genuitque Hieronymum (a). Idem Cæsar J. CC. Collegio Mediolani adscriptus fuit, deinde Urbis ejusdem Præfe-

(a) Ita ex Stemmat. Genealog. in Archivo Belgiof.

clus , ac post alia demum , quæ in Patria perfunctus est , munera , diem suum obiit 1585. (a) Ad eundem epistola est Stephanii Guazzi , alia Christiani Lazari , & Juliani Gofelini inter horum impressas , pariterque epistola S. Caroli Romæ scripta , in amplissima hujuscce S. Antistitis Epistolarum collectione , quæ in Ambrosiana Bibliotheca servatur . In idem Collegium J. CC. Mediolani cooptatus etiam fuit Pompeius , quem laudat Jacobus Philippus Besta in descriptione italica pestilentiae , quæ anno 1577 Mediolani grassata est , ibique inter eos recensetur , quibus peculiaris cura Lœmocomii extra portam Orientalem demandata erat . Decessit Mediolani 1589. (b) De Antonio nihil habeo dicere .

(a) Ex Sitono de J. PP. Collegio .  
(b) Ibidem .

## E P I S T O L A . IV.

ELISABETH MATRI OPTIMÆ , ET JACOBO FRATRI  
PATRUELI CHARISSIMO S. P. D.

**ARGUM.** *Quo minus ad eos accedat , negotiis impediri ; adventurum spondet ad Chriſti Natalem ; pacem vulgatam adſcribit .*

**T**RIDUO , quo huc me contuli , ad vos de statu meo scripsi : significavi enim vobis , quo tempore Mediolanum applicui , nempe tertio Kalend. Octobris vesperi ; vosque certiores reddidi , mihi provinciam præ manibus fuisse , hanc scilicet , quæ nunc mihi successit , ob eamque me a Lonato fuisse accitum . Ad quartum autem Octobris rursus ad vos scripsi , admonuique mihi provinciam feliciter successisse , deque ejus qualitate multa scripsi , cum mihi ad parandam eruditionem sit aptissima , quam quidem epistolam Thomæ Castaneo nostro dedi . Cum verear , ne eas binas literas acceperitis , mihi sane amicus literas e vobis mihi obtulit , quas , cum me adhuc Lonati esse putaretis , Kal. Octobribus illuc miseratis , quæ quidem literæ tam gratæ mihi fuerunt , quam quæ gratissimæ esse solent ; nam de vestra omnium bona valitudine factus sum certior . Sed quod , ut ad vos brevi advolem , non solum me admonetis , verum etiam oratis , & id fieri oportere ostenditis , cum Cæsarem vagari , & tempus næniis conterere non oporteat ; ego si nunc ad vos venire liceret , id facerem libentissime , non solum iccirco quod videam pene necesse esse , ut vobis adsim , verum magis etiam , ut meo desyderio satisfacerem . Tanto enim desyderio vestri videndorum teneor , ut , si id literis consequi vellem , chartam mihi defuturam esse existimarem . Id præterea eò libentius facerem , quod Franciscum

Castaneum Pyladem meum isthic esse intelligam. Hæc enim sunt in causa. Cum nuper hanc provinciam adiverim, turpe esse existimarem, si ab Hero mihi concedi peterem, ut dies aliquot a munere meo vacarem. Quare id commodius me facturum esse decrevi Christi Natali; tunc temporis, adjuvantibus Superis, ad vos advolabo, & Cæsari consulemus. Interim efficite, ut quod consuevit, scriptioni incumbat, & nonnunquam in Patria arte se exerceat; minus temporis in cassum conterat. Sed de hoc satis. Quod de vino Canobensi (1) mihi scribitis, id certe gratum est; quare curetis velim, ut illud in adventum meum mihi adservetis. Quod de pace mihi nunciavistis, non mihi ingratum extitisse credite; ea nudius tertius præconio hic est enuntiata. (2) Velim, ex me cæteros domesticos omnes salutetis, dicatisque Francisco Castaneo, ut me sibi commendatur habeat. Salutem etiam dicite Josepho Ossutio. Bene valete. Mediolani ex ædibus D. Pii Advocati apud D. Ambrosii VII. Idus Octobris MDXLIV.

(1) Canobium, de quo hic sermo, parvus est vicus in finibus Sepriensis Comitatus sesquimilliari Lugano distans, ubi jura quædam, & prædia Abbates S. Ambrosii olim habuisse probant membranæ plures ab anno 857 & deinceps usque ad saeculum 14, in nostro Archivo servatæ. Cum Canobium aliud sit, & quidem celebrius ad Occiduam Verbani lacus oram in Stationensi agro, in errorum exinde lapsi sunt Clariss. viri Muratorius, (a) & Julinus, (b) qui citatam chartam anni 857 expeditentes, ea, quæ de priori Canobio ibidem leguntur, ad aliud transtulerunt Seprienses, & Stationenses terminos immutando: ambo quidem hac super re dubios se esse quandoque fassi sunt, verum quæ dubium deponerent, viam non iniere. De Canobio ad Verbanum sito Historiam texuit Jo. Franciscus Saxius Carmenus, quæ MS. apud nos servatur Cod. 320. Auctorem hunc laudant Picinelli, & Argelati, qui præterea inscriptiones ejus sepulcralem affert e schedis Jacobi Valerii apud nos similiter extantibus, Cod. 246. Mediolanensem se dicit Carmenus in Prologo sui operis inquiens: *per l'affezione che io, benchè nato, nodrito, ed allevato nella gran Città di Milano, porto a questo Borgo (Canobio) patria, e nido de' miei antenati &c.* Etatem pariter, qua vivit, ibidem prodit, nam de Verbani lacus Historia a Paulo Morigia elucubrata loquens, hanc inquit recens in lucem editam: *novellamente data in luce.* Ea autem Morigiae Historia typis prodiit anno 1603, qui annum illum, quo Morigia obiit, proxime præcessit. Vitam itaque exegisse Carmenum cognoscimus desinente sexto decimo, & septimo decimo ineunte saeculo.

(2) Diem ipsummet, quo pax illa Mediolani proclamata fuit, haud facile ab alio proditum, indicatumque invenies.

(a) Tom. 2. *Antiquitatum Medii ævi* col. 213.  
(b) *Memorie volume 1. pag. 288.*

## EPISTOLA V.

ANTONIO LUPIONI S. P. D.

**ARGUM.** *Quam docendi provinciam natus sit, significat. Lupionis rem sibi commissam diligenter curat; libros quosdam nuper editos memorat. Sæpius ne scribat, a negotiis, quibus premitur, impediri.*

**T**RIDUO, quo huc me contuli, provincia, quam præ manibus habebam, feliciter, & ex animi sententia mihi successit; quod, ut scis, per Jerargum Mæcenatem meum, & M. Antonium Leontinum doctissimum adulescentem factum est. Leontinus enim, ut in discendi avidos est animo propensissimo, cum primùm eum conveni, me ad modestissimum virum Pium Advocatum perduxit, qui paullò post duos mihi filios erudiendos tradidit. Is tres habet; sed natu maximus non a me docetur, sed potius ego ab eo, atque, ut verius loquar, eo socio in studiis utor, est enim literarum græcarum, Dialectices, & Rhetorice satis doctus; qui quām familiarem mihi se præbeat, vix possem verbis consequi. Is Herus præterea audiendæ lectionis publicæ, adeundique homines doctrina præcellentes magnam mihi copiam quotidie facit: hoc enim est quod labore; ostendit deinde magnum in me amorem; idem faciunt omnes ejus familiæ. Hæc postremò provincia est minime difficilis, pueros habeo satis dociles, tantum temporis mihi suppetit, quantum ipse postularem. Cognōsti igitur, quo in statu sim; quare tuum est mihi gratulari, quod voti compos sim redditus; sed brevi futurum spero, ut mutuam operam tibi reddam; hoc est, ut & ego tibi hic gratuler, & mihi gaudeam. Rem enim tuam multis mihi perfamiliaribus, quam diligentissime potui, commendavi, qui non vereor, quin omnem lapidem hac in re mēa caufṣâ moveant. Quare magna in spe sum, iuno non dubito, quin propediem succedat. Sed id facilius fieret, si tu Mediolani es, provincias enim multas hoc tempore succedere video. Cras Sacrificulum illum olim D. Gasparis Vicecomitis (1) præceptorem alloquar, is enim, cum hanc ipsam rem ab eo quæsivissem, non ita pridem mihi dixit se scire, qui filiis suis Præceptorem constituere cupiat, responsurumque de ea mihi cras se esse affirmavit. Ibo igitur, videboque qui sit agendum; non deerunt provinciæ, quanquam de hac non nihil spei habeo. Sed ad alia veniam, quæ te scire velim. Quotidie Bibliopolas adeo, & si quid no-

G

vorum libellorum habent, inspicio cognoscoque. Quare cognovi Presbyterum Antonium Mariam Majoragium (2), qui non ita pridem hic publice profitebatur, librum nuper edidisse, quem in xxv. *Decisiones* (3) divisit, quibus M. T. Ciceronem ab omnibus Cœli Galcagnini (4) criminalibus defendit. Qui quidem libellus est Francisco Sfondrato, (5) insigni viro dictus, & Gryphianis typis excusus. Innotuerunt etiam mihi Goveani (6) pulcherrima *Epigrammata*, & in græcam linguam *Institutiones* Clenardi (a) brevissimæ. Cognovi præterea *Bellum Grammaticale*, (7) quem libellum tibi mitto, non quidem munusculi loco, sed potius, quia meum esse videtur, ut, qui Grammatices veteranus miles semper fuerim, ad te bellum inter ejus reges & principes gestum exarem. Tantum hæc nova librorum impressio mihi arridet, ut mei nummuli, si quos habeo, crumenæ fores & vincula confringant, & fese in Bibliopolarum manus recipient. Itaque Calepini Lexicon novem minis, & assibus decem mercatus sum, coemique Justini *Historias*, & Clenardi *Institutiones* in græcam linguam, multa denique alia, quæ non est hic narrandi locus. Ego ad te oxyus scripsisse, si licuisset: negotia enim, quibus impeditissimus hactenus fui, quæ nec satis adhuc absolvı, me sæpe a scribendo avocaverunt; scis enim quid referat hoc pacto transmigrare. Hæc ad te scripsi, ne tandiu ad te nihil scriberem. Plura inheercules scribam, cum plus otii nactus ero. Vale qui meus es, & ex me domesticos tuos, vel potius nostros, saluta. Salutem etiam dico M. Petro sarcinatori meo, & Jacobo Cruceio. Sed mane: fere exciderat. Jerargus nudius tertius huc rediit, eum quotidie inviso, multa mihi narravit de literis, quas tu ad Petrum Albutium Medicum ex me misisti. Græcanicam editionem suam in Kalendas Aprilis distulit. Mediolani ex ædibus Pii Advocati apud D. Ambrosii MDXLIV.

(a) Nicolaus Clenardus, de quo Morer. *Dictio. Histor.*

(1) Vicecomes Gaspar per id tempus alias fuit filius Camilli, Feudatarius Cassiani Magnagi, (a) alias Gaspar Vicecomes ex Condominis Somæ, & ex Feudariis Fontaneti, ac Fagnani, filius Joannis Baptiste armorum Ductoris, Archiepiscopus Mediolani, obiitque anno 1595. (b) Quemnam autem ex duobus hisce Vicecomitibus indicare voluerit Cicereius, statui id plane nequit, nisi divinando. Vicecomes Gaspar Archiepiscopus inter litteratos Mediolanenses connatur ab Argelato, qui nonnulla ab eo scripta, typisque commissa memorat, plures vero laudat, qui in ejus commendationem scripsere, inter quos Anonymus, cuius apud nos extat *Oratio*, Cod. 260., in ejusdem funere.

(a) Ex AEt. Coll. apud nos vol. 3.  
(b) Siton. de J. PP. Collegio.

(2) Idem qui M. Antonius Majoragius deinceps hic, ac plures legitur, fuitque ex Mediolanensi familia de Comitibus, (a) plurimum eloquentia valuit, eamque publice in Palatino nostro Gymnasio docuit, in aliis etiam disciplinis insigniter eruditus, philosophicis videlicet, ac divinis litteris, nec non Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ, aliarumque linguarum peritia instrutus. Indicem ejus operum, quæ publicis typis mandata sunt, unacum paucis, quæ adhuc luce carent, & in exaratis calamo schedis latent, multi contexuere, veluti Argelatus, Morelius, Bælius. Quod tamen afferit Argelatus, plures extare in MSS. Francisci Cicereii epistolis, Majoragii pariter, ad eundem epistolam, contra rei veritatem prolatum arbitror; mihi enim majori, qua fieri potuit, diligentia evolventi epistolares Cicereii Codices tum nostros, tum Belgiojosianos, nullam Majoragii, quæ sit ad Cicereium scripta, epistolam inspexi.

*Commentarius \** Majoragii in librum *de Oratore* ad Quintum Fratrem in 8. Venetiis prodit 1587, ipliusque leguntur carmina \* aliqua præfixa operibus Hieronymi Cardani. Francisci Zavæ Cremonensis ad Majoragium habetur epistola, \* quæ inter ipsius impressas prior occurrit.

Observatione dignum est quod Majoragius in hac Cicereiana epistola *Presbyter* dicatur; de Ecclesiastico enim, aut Sacerdotali ejus gradu verbum nullum seu apud Argelatum, seu apud Bælium. Primus, quod sciam, Tirahoschius fuit, qui ad Ecclesiasticam quandam dignitatem, eamque etiam sublimiorem proeclum eum fuisse, ex epistola quadam inter Gudianas extante, deduxit, quam citat *Letterat. Ital. tom. 7 parte 3 pag. 305.*

In Majoragii epistolicis impressis quæstionibus duæ sunt ad Franciscum Cicereium, x. lib. 1. & 1. lib. 2.

(3) Majoragii *Decisiones* apud Gryphium 1544 in 8., in Bibliotheca nostra habentur, & in Ambrosiana, non anni 1554., quod per errorem, arbitror, typographicum legitur apud Argelatum. Librum hunc memorare omisit Michael Maitair in *Annal. Typogr.*, ubi sane pauca ex multis laudat Majoragii operibus, quæ in lucem saeculo 16 prodiwerunt.

(4) *Disquisitiones* scriperat adversus Ciceronem Cœlius Calcagninus Ferrensis, in iisque nonnulla arguit, quæ in Ciceroniano sunt *de Officiis* libro, atque ipsum *de Officiis* titulum carpit. Ciceronem vero ab hisce omnibus criminationibus vindicat, ac luculenter defendit Majoragius.

(5) Franciscus hic est Joannis Baptista Senatoris filius, primusque qui ex præclarissima hac familia Comitatum litoris Larii lacus ad orientem solem vergentis, vulgo *della Riviera*, a Carolo V. habuit. Vide Franciscum Arisium, Morigiam, Crescentium, & inscriptionem ejusdem Francisci Sfondrati, quæ in Templo maximo Cremonæ extat, quæque legitur apud Crescentium, Morigiam, & alias. Fallitur proinde Morerius, qui Comitem primum *della Riviera* Paulum Sfondratum Francitci filium dicit. Joannes Baptista Sfondratus Cremonæ ortum habuit, interque Mediolanenses cives adscriptus ab Joanne Galeatio Sfortia Mediolani Duce an. 1487. Videatur hac de re Diploma apud Crescentium in lib. *Anfiteatro*, ubi de Sfondratis. Item vero, Cremona natali urbe relicta, Mediolani lares suos fixit, domum incolens in porta Rom. Paroch. S. Euphemiaz, ac Franciscum genuit an. 1494, dum hic in suis ædibus habitabat, ut videre est in Actis Collegii pro cooptatione Joannis Sfondrati in Coll. J. CC. Mediol. 1732, 24 Maji. Franciscus Sfondratus a Consiliis Francisci II. Sfortiaz fuit, a quo & in Senatorum Medio-

(a) V. Argelati, Bælium, ac nos item in annot. 1. ep. 23. lib. 3.

G ij

Iani ordinem electus. Tum, Anna Vicecomite uxore sua defuncta, ad Ecclesiasticum transiit gradum, & Cremonæ Episcopus, & in Cardinalium Collegium cooptatus est a Pio IV. Vicecomes Anna ejus conjux, ut ex MS. appareat Joannis Baptiste Blanchini, (a) Baptiste illius Vicecomitis soror extitit, in cuius ædibus Lonati, filiorum ejus erudiendorum causa, commoratus fuit Cicereius. In filiis autem, quos ex hac uxore sua ante Sacerdotium Franciscus Sfondratus susceperebat, Nicolaus fuit, qui & ipse Cremonæ Episcopus, Cardinalisque electus, atque supremam etiam Christiani Sacerdotii sedem obtinuit, Gregorii XIV. appellationem adeptus.

Cremonæ, ubi Episcopum gessit, Franciscus Sfondratus occubuit, statimque a morte in Templo majori illius urbis conditus; verum biennio post ejus cinesres Mediolanum translati fuere, & in Templo S. Pauli Monialium repositi 1541. Ita ex actis Collegii supra laudatis. Porro in ejus tumulo, qui in Templo illo adhuc cernitur, hæc leguntur verba: *Francisci Sfondrati Card. & Cremon. Episc. Nicolaus & Paulus filii legitime nati hic sibi M. P. MDLII.*

Multis laudibus Franciscum Sfondratum celebrat idem Cicereius in Codice veterum Monumentorum in Archivo Belgiojosoano, sic enim ibi loquitur: *Francisci Sfondrati facilitatem probitatemque nemo non amavit, eruditio summa non suspexit. Quæ res effecerant, ut ex nobilissimo cive evaderet in eximium legum interpretem, ex publico legum interprete in Senatorem, ex Senatore in Larici lacus Comarchum, ac Demarchum, demum in purpuratorum Patrum Collegium cooptaretur, adeoque charus esset Paulo III. Pontifici Maximo, ut pro eo gravissimas legationes multas summo cum honore obierit; neque dubium est cuiquam, quin summae eum virtutes altius etiam provexissent, nisi tantum nobis hominem satia invisiſſent, ad seque pertraxiſſent. Is antiquitatem in postremis non habuit, sed quoſcumque lapides vetustos literis excavatos obvios habebat, si posset, imperabat, atque in aedes suas deferri jubebat, ut doctissimi homines, quorum ad ipsum mira quadam humanitate pellectorum magnus siebat concursus, haberent in impluvio, in quo legendō ſe oblectarent. In iis itaque ædibus, quas in Regibellia regione (vocant Rugabella, ubi adhuc, quæ fuerit antiqua Sfondratorum domus, ex lapideis hujuscē Familiae stemmatibus portæ infixis dignoscitur) possedit, audio fuisse magnum numerum stylobatum, basium, cipporum, mensarum, tabularum, & hujusmodi reliquorum antiqui operis, & ſcriptionis, quod edificiū crederim, quod post ejus obitum ibidem inspexi quinque egregias memorias.*

Quidquid dixerint Historici plures de solo natali Nicolai Sfondrati Francisci filii, qui postmodum Gregorius XIV. fuit, modò explorata res est, eum Mediolani primam lucem vidisse, fidemque faciunt hujus rei haud dubiam, quæ leguntur in MS. volumine Historiarum J. CC. Raphaelis Fanniani, vocant Fagnani, ubi de nobilioribus nostræ Urbis Familia agitur. (Codice, sub littera R. S. apud Illustr. March. Fannianum) Hæc siquidem ibi habentur: *In lucem prodit Nicolaus Sfondratus anno 1534.... in Ecclesia Parochiali S. Euphemiae sancta aqua abluzus fuit, ut ex libris vetustis colligitur, praesentem se fuisse, & vidisse ad dictam Ecclesiam deferri, mihi narravit Stephanus Tortorinus Venetus Sacerdos, Canonicus Ordinarius Ecclesie Majoris Mediolani; & post multa: Mediolanenses laetitia affecti suere accepto nuntio, quod Cardinalis Sfondratus Pontifex Maximus effectus fuisset, cum jam ipsius Sfondrati majores cives Mediolanenses creati fuissent, & ipse etiam Nicolaus Mediolani natus, & sacro Baptismate tintus fuisset.*

Nicolaus ad summi Pontificatus apicem electo, latinam orationem gratulatoriam recitavit in æde B. Virginis a Scala Augustinus Bonacina eloquentia professor,

(a) De Serio Genealogic. Vicecomis. Cod. 244. Bibliotheca nostra.

quam, præmissâ ad eundem Pontificem epistolâ, Mediolani edidit anno 1590 typis Pontii. Nonnulla hujuscce orationis exemplaria MSS., Codice 260, servantur in Archivo nostro, in quibus aliqua occurunt paullo diversa ab iis, quæ in impressis leguntur. Scripsit etiam Bonacina satis prolixam epistolam ad Camillum Sfondratum laudati Pontificis nepotem, qua ipsi Cardinalatum gratulatur, eandemque pariter vulgavit Mediolani 1590 Kalendis Januariis ex officina dicti Pontii. Nec silentio prætereundum censeo, in Belgiojoforum Archivo extare epistolam Francisci Sfondrati ad Benedictum Jovium, ibi etiam tres epistolas vidi Cæsaris Casati Papiæ Professoris ad Franciscum Sfondratum, tres Hieronymi Purpurati, unam Hieronymi Croti, aliam cuiusdam Crassi, aliam Octavii Littæ, aliamque Joannis Baptiste Sfondrati ad eundem pariter Franciscum patrum suum, ejusdem ad eundem oratiunculam, itemque plures epistolas Principum & Cardinalium, necnon epistolam Florentinæ Civitatis, ac Reipublicæ nomine scripta ad Jo. Baptistani Sfondratum 1477. 16 Maji, aliaque Ducis Mediolanensis ad Nicolaum Sfondratum 1525. 25 Maji. Quæ omnia latino sermone conscripta sunt.

Huic denique annotationi de Sfondratis coronidem imponat elegantissima Gabrielis Faerni (*a*) ad Franciscum Sfondratum epistola (*b*) ex litterario Archivo Princip. Belgiojosi depræmpta.

*Epistola Gabrielis Phaerni ad Franciscum Sfondratum  
Cæsareum Senatorem Mediolani.*

**ARGUM.** Nuntiatoria est.

**E**TSI abhinc multos dies Cæsar diplomati tuo subscriptis, adhuc tamen id e manibus Scribarum redimere non potui, properea quod nondum cum eis de mercede transagi, in cujus taxatione facienda videntur, supra quam ego cogitaram, spectare. Etenim non solum redditus, verum etiam jura illa concessa, illosque honores, ac titulos potestatum aestimant, & quidem magni; spero me tamen eos ad æquam aestimationis summam deducturum. Ego certe annitar, ne te ultra quam æquum est, gravent. Cæsarem ineunte proxima aestate Niceam provinciæ Narbonensis trajecturum, ut cum Pontifice ad tractandam pacem congregiatur, audivisse te credo; sed siue ille trajiciat, siue non, propediem nos videbis; etenim Hermes Stampa Herus meus constituit omnino brevi domum revisere, compositum, ordinatumque res suas italicas. Itaque idem ego diplomatici procurator, ac scriptor, ejus etiam lator, consignatorque ero. Versiculos ad Jovium tuos, quos ad me misisti, valde mihi & latini, & venusti viisi sunt, itemque his Scribis, atque Aulicis, quibus eos legi, nam pluribus legi. Aliud in præsentia quod scribam non habeo, nisi me tibi esse addicclissimum. Vale. Barchinone IV. Idus Martias MDXXXVIII.

Conveni nuper Laurentium Emmanuelem, qui his proximis diebus in aulam Cæsaris venit: is negat sibi redditas esse literas tuas, quas ego Montiflone curavè in Castulensem Hispaniam ad eum deferendas. Itaque si quid de eo negotio curarè voles, tuum erit me certiore reddere, itemque ad ipsum Emmanuelem de integrò scribere. Hermes Stampa tibi, uxoriique tua plurimam salutem me jussit adscribere. Ser. tuus Phaernius.

(*a*) Faerni sic scribo, uti communiter in ejus operibus editis, quamvis ipse nomen suum cum Pb scriperit, ut in ejus autographa hic allata epistola.

(*b*) Septem aliæ autographæ ejusdem epistola ad Onuphrium Panvinium Romæ, Venetias scriptæ 1558, in Ambrosiana custodiuntur.

Nihil plane de Faerno ad annum usque 1549, quo octavum circiter vitæ suæ lustrum is agebat, constare hactenus potuit. (a) Habes autem hic, Lector, multò ante id tempus a Faerno conscriptam epistolam. Dubius hæserat Cl. P. Mag. Thomas Augustinus Vairanus, (b) utrum Hermes, quem Faerni Herum noverat, ex Stamparum progenie, an Vicecomitum fuerit. En autem dubium istud hanc per epistolam e medio sublatum.

(6) Laudatores nactus est Antonius Goveanus Lipenium, Freherum, Menchelium, Choenigium, Morerium, & alios. *Epigrammata* ejus excusa fuere apud Sebastianum Gryphium 1539, & apud eundem 1540; utraque epigrammatum editio rarissima est. (c) Inter Jacobi Valerii *Rhapsodias*, quas possidemus, habetur etiam ejusdem MS. lucubratio, n. 133., hoc titulo: *Quid sit in jus vocare Goveani, & Vaudii conciliata sententia*. Joannes Vaudius Taurinensis fuit, ac ejusdem Valerii Praeceptor, sicut is ipse in MS. hoc suo indicat. De Vaudio vide Franciscum Augustinum ab Ecclesia: *Catalogo de' Scrittori Piemontesi*.

(7) Cujus auctor Andreas Guarnus Salernitanus. Prodiit Parisis ex officina Roberti Stephani an. 1528, & Lugduni typis Sebastiani Gryphii an. 1538., & alibi deinceps recusum. (d) Andreas Guarnus Patritius Cremonensis fuit, & Salernitanus vulgo dictus; claruit saeculo 16 ineunte. (e)

(a) V. Clar. Vairanum *Cremon. Monum. parte 2. pag. 64.*

(b) Ibid. p. 65.

(c) V. Clementem Davidem de *Lib. inventu difficult.*

(d) Ita apud Michaelem Maittaire *Annsl. Typogr.*

(e) V. *Bibliothecam Casanensis*, & Arisum *Cremona litterata*.

## EPISTOLA VI.

### FRANCISCO VICECOMITI S. P. D.

**ARGUM.** *Libellos se missurum spondet.*

**E**QUIDEM, Francisce amantiss., me promissi reum facere meritò posses, quod tandiu, quod tibi pollicitus sum, id minime præstiterim. Attamen audi: hoc sane ejus rei in causa est. Ego mehercules, cum primum hoc applicui, eos gladiolos, quos tibi pollicitus eram, de multis quæsivi, unde meos quærebam, qui mihi affirmaverunt, ne unum quidem ejus generis, cuiusmodi volebas, jam pridem e Germania esse advectum, alioqui jam habuisses. Ergo promisso te fraudabo? Nequam, sed potius illud commutabo. Quo pacto? inquies. Sæpe ad Bibliopolas eo; quare cum ad manus mihi venerit libellus aliquis nuper editus, quem tuis manibus dignum existimem, eum ad te mittam. Celerius ad te scripsisse, si per negotia, quibus nunc quoque valde distineor, mihi licuisset. Nihil est quod addam, nisi ut ampliss. virum

Jo. Baptis tam Vicecomitem herum meum observandiss., Magdalenam, & Veturiam (1), matronas primarias, ex me salutes. Mediolani ex ædibus D. pii Advocati, prid. Idus Octobris MDXLIV.

(1) Vicecomes Magdalena prima uxor fuerat Jo. Baptista Vicecomitis, dicti Hæredis, (2) Vicecomes Veturia uxor alterius Joannis Baptista Vicecomitis, qui Francisci Cicereii Herus extitit. (b) Magdalena autem, & Veturia affinitate inter se conjunctæ erant; nam Joannes Baptista Hæres, cuius uxor Magdalena, amitus erat Veturia (c).

{(a)} V. Crescent. *Anfis. Rom.* pag. 348.

{(b)} V. Eundem pag. 357.

{(c)} V. Cod. apud nos 144. Jo. Baptista Blanchini *Geneal. Vicecom.*

## E P I S T O L A VII.

### JACOBO CRUCEIO DISCIPULO SUO S. P. D.

**A R G U M.** *Tarditatem excusat litterarum, se Mediolani agere, docendi que ibi munus adeptum.*

**H**esus Jacobe, num me tui immemorem putas, quod hactenus ad te nihil scripsierim, nec ubi sim admonuerim? Nihil minus. Nam potius mei obliviscar, tantus est meus in te amor: adscribe igitur litterarum mearum tarditatem negotiis, quibus adhuc valde disstringor. Fatus sum Mediolani incola; apud modestiss. virum Pium Advocatum vivo; is duorum ingenuorum filiorum mihi curam demandavit. Cognosti ubi agam, & apud quem vitam degam; quare restat, ut, si quid tuam in gratiam per me effici potest, libere imperes; quod si feceris, tuam in me benevolentiam multò majorem prætuleris. Bene vale, & enitere, ut & moribus, & eruditione fias simillimus Patrui tui, cui me commendes precor. Quoties Petrum Reposum videris, & D. Franc. Vicedominum, juvenem tum nobilem, tum summis virtutibus præditum exceperis, eos ex me salutabis. Vale iterum. Mediolani apud D. Ambrosii, pridie Id. Octobris MDXLIV.

## EPISTOLA VIII.

JOSEPHO MUGINO S. P. D.

**ARGUM.** *De contubernio, quod Mediolani pro Mugino reperit, certiorum facit, quodque brevi secum in eadem urbe futurus sit, gaudet.*

**H**ERI mihi literas ex te attulit Hieronymus Canevalius (a), quæ, ut solent, mihi gratissimæ fuerunt, iis nunc breviter respondeo. Quod audiisti me die Natali Servatoris nostri Jesu CHRISTI esse advolaturum, id sane verum est. Quanquam citius facere illud in animo erat; sed hæc mea transmigratio me in ea sententia manere non sivit. Cum igitur me isthic esse celerius non posse intelligas, vis certior fieri, quid hactenus egerim cum Jerargo de contubernio tuo. Quare sic habeto: cum te in germani fratri loco semper dilexerim, ut te jam sæpe cognovisse puto, postea quam e patria studiorum caussa profectus sum, semper avertere cupivi, ut mihi adesses, &, tu quoque quod optas, in literas incumberes. Itaque cum primum huc applicui, Jerargum conveni, & de eo quæsivi, num in sententia maneret. Ille minime se sententiam mutasse dixit, teque in contubernium admittere. Quod, qua conditione fieri velit ex literis, quas ad Patrem tuum misi, plane cognoscet. De his rebus ocyus te admonuissem, nisi negotia me a scribendo deterruerint; tot enim me adhuc impedierunt, ut vix ad Matrem scribere potuerim. Supereft, ut ambo latemur, quandoquidem brevi hic unâ futuri sumus. Etenim simul atque Pater tuus meas literas acceperit, ut opinor, te Mediolanum perducet; fere vicini erimus. Quid autem de me tibi pollicear, Josephe charissime? Omnia tuâ causâ faciam, quæ tibi profutura esse cognovero, ut quem erga te semper sperasti futurum, & aliás cognovisti, me eum esse existimes, agnoscasque te mihi chariorem, neque jucundiores esse neminem. Salutem dic Matri tuæ, matronæ honestissimæ, & Antonio fratri. Cum videris D. Josephum Ossutum, & D. Dominicum Canevalium, eos ex officiosissime salutabis. Mediolani ex ædibus Pii Advocati apud D. Ambrosii, postridie Feriarum D. Lucæ MDXLIV.

(a) Italica ad hunc epistola Cicerei est in Cod. Belgiojofiano.

## EPISTOLA IX.

JOSEPHO OSSUTIO CAUSIDICO S. P. D.

**ARGUM.** *Ruri cum degeret, nihil adfuisse quod scriberet. Mediolani quid agat, consciūm facit. Alciati opus nuper editum laudat.*

**Q**UANDIU Lonati fui, observandiss. Josephe, nihil unquam ad te scribere volui: ita enim me facturum esse constitueram: Quid enim ex illo sordidissimo & incultissimo rure tibi nunciare poteram? Nihil me hercules, nisi aliquid tuis auribus indignum. Admonuisse equidem te de rebus rusticis & agrestibus, quæ nihil ad te, aut de mea in literarum studiis inertia, & somniculositate scripsisse, cum illis in locisrie sciolum quidem unquam habuerim, cuius commercio, aut consuetudine ad literas inflammatus excitatusque fuerim. Quod si fecisset, non mediocri dolore te affecisset, quippe qui me aliquid eruditiois consequaturum esse speraveris; ideoque, ut in urbe versarer, semper hortatus fueris. Nunc tandem ad te scribendum esse censui, cum iis in locis, eoque in statu sim, ut spem, quam de me adhuc puero habuisti, brevi superaturum me sperem. Mediolanum enim redii, ubi provinciam nequaquam difficilem sumpsi, & certe optimam. Siquidem per eam tantum literarum studiis inservire, viros eruditione præcellentes adire, & publicis lectionibus licet interesse, quantum ego postularem. Nam modestissimus vir Pius Advocatus duorum filiorum curæ, & eruditioi me præfecit. Huic tres sunt filii; verum natu maximus græcarum literarum, Rethoricorum præceptorum, & logicæ satis est eruditus; quare non parvo adjumento mihi est. Feriis D. Michaelis huc me contuli, sed negotia, quibus valde detentus sum, hoc tempus ad te literas dare non siverunt. Id certe multò ante fecisset. Non multò ero longior in scribendo. Quare dicam, quod restat: ubi sim, & apud quem, cognōsti; iccirco tuum est, ut operâ meâ libere utaris in omnibus rebus tuis, & ubicumque opus fuerit, eam certe ad omnia commoda tua apparatissimam semper habebis; scis enim quantum tibi debeam. Andreas ille Alciatus (1), unicum Cisalpinæ Galliæ nostræ decus, opuscula quædam (2), quæ ad jus civile attinent, nuper emisit; illorum titulos non satis memoriâ teneo. Unum autem illud scio, ea te esse dignissima. Salutem dic Andreæ Camutio (2) virtutum, &

(1) Quos tunc libros emisit Alciatus, subinde indicat Cicereius ep. 12. lib. hujus.

patriæ nostræ decori. Salutabis etiam meo nomine M. Antonium Menabenum. Bene vale; sed heus tu: pene exciderat, quod maxime adscriptum esse cupiebam, Laurentium tuum, seu potius nostrum non ante hīc esse cognovi, quam ex verbis Hieronymi Canevalii; alioquin eum citius, quam nudius tertius convenissem, ac ejus statum, ut par est, & valetudinem cognovissem. Probe se habet; quare & tu iterum vale. Mediolani ex ædibus Pii Advocati ad D. Ambrosii, xx. Octobris MDXLIV.

(1) Andreæ Alciati operum seu MSS., seu editorum texuere indicem Argelatus, & Mazzuchellius, non tamen integrum completumque præbuerunt. Memoratam enim ab iis non videoas *Vitam S. Arialdi* ab eodem conscriptam, quæ legitur apud Jo. Petrum Puricellum, (a) & in Actis Bollandianis. (b) Quamvis tamen illud non dissimulaverim, quod, licet in syllabo operum Alciati vitam illam non meminerit Argelatus, laudatam tamen ab eodem fuisse, ubi de S. Arialdo loquitur. Inter MSS. Alciati Codices, quos ignorarunt laudari scriptores, sunt 30 Epistolæ, \* quæ extabant apud Marquardum Gudium, ita annotante Morhofio. (c) Præterea unum tantum ex MSS. Alciati, quæ apud nos sunt, Argelatus, & Mazzuchellius memorant, nimirum ejus epistolam ad Ruffinum Cribellum, cum alias, præter hanc, Alciati MSS. lucubrations teneamus. Jam autem epistola illa in Codice extat 228, iterumque in alio 268; & in hoc quidem scripta est charactere Jacobi Valerii; atque utriusque epistolæ exemplum paullò amplius, & copiosius est, quam illud, quod vulgavit Muratorius (d) ex Bibliotheca Ambrosiana depromptum. Extat insuper in Bibliotheca nostra Alciati libellus, Cod. 113, inscriptiones varias cum earundem explanatione complectens, quem quidem libellum idiographum ipsiusmet Alciati haud dubie existimo. Non enim id solum annotatum legitur in fronte operis, verum etiam manifestat ipse character, quem Alciati esse exploratum nihil est ex genuina, ac juridica manus ejusdem subscriptione, quam munit ipsiusmet Alciati sigillum. Scriptum hocce habetur apud Principem Belgiojosum.

Opuscula alia Alciati, charactere tamen alio conscripta, apud nos sunt, scilicet: *de Templo S. Eustorgii*, *de tribus Magis*; *de S. Petro Martyre*, *de porta Ticinensi*, *de S. Laurentii Templo*, & de aliis scitu dignis, Codice 52. Porro sive inscriptionum Alciati, sive aliorum ejusdem opusculorum alia, tum in Ambrosiana Bibliotheca, tum alibi ab aliis custodiuntur exempla (e).

Annotationes conscripsit Carolus a Basilica-Petri non solum in opus Alciati *De rebus patriis*, quas tantum annotationes laudarunt Argelatus, Mazzuchellius, & Lazarus Augustinus Cotta, (f) sed annotationibus etiam illustravit ejusdem opuscula *de Templo S. Eustorgii*, *de tribus Magis*, & alia supra laudata, tum etiam *vitam S. Arialdi*. Omnes hæc Basilicæ-Petri in Alciatum annotationes in MS. nostro habentur, n. 228.

(a) *De Sanctis Martyribus Arialdo Alciato, & Herembaldo Costa.*

(b) Die 27 Junii.

(c) *Polybif. litterar. tom. 1. lib. 1. cap. 25.*

(d) *Tom. 2. Thes. veter. Inscript.*

(e) *V. Argelat., Mazzuchell. & Cl. Franciscum Antonium Zaccariam Opusc. Filolog. tom. 45.*

(f) *Museo Novar.*

Ea Andreæ Alciati epistola ad Paulum Jovium, quæ hujuscæ *Historiæ* præmittitur, apocrypha fortasse est, & nequaquam ab Alciati ingenio, ac stylo profecta. Sane Alciatinus quidam in epistola, quæ MS. est in Archivo Belgiojosiano, ad Episcopum Comensem scribens paullò post impressam Historiam Jovii, ut ipsem inquit, (quiique pariter se Andreæ Alciati hæreditatem creuisse ibidem innuit) illud probat, vel saltem probare intendit tum ex diversitate styli, tum ex obtrectationibus, quibus ea scatet epistola, & a quibus valde alienus erat Alciatus, ipsius fœtum non esse, sed ex veteratoris Jovii officina prodiisse.

Ex variis variorum epistolis ad Alciatum dars, instrumentisque pluribus annorum 1386. 1481. 1499. 1501. 1505. 1509. (quæ omnia extant in Archivo Belgiojosiano) liquet ejus majores, ipsumque Andream Mediolani habitasse prope Templum S. Alexandri, in quo patri suo Ambrosio duplicem is posuit memoriam, quæ typis etiam consignata est in *Comment. latinar. inscript. ad usum Scholarum C. R. S. Pauli.*

Non solum cuso numismate, quod non infrequens est in Museis, honestata fuit Andreæ Alciati virtus, verum etiam sepulrali inscriptione a gentili suo Francisco Alciato, postea Cardinali, quam ei posuit in Templo S. Epiphaniae Papiæ, afferuntque Picinellus, & Argelatus. Oedipo indigent postrema illius sigla J. C. B. M. P. P. Ea tamen post alios divinare aggressus est Constantius Landus Complanus in sua in Andreæ Alciati sepulcrum explicatione, quæ MS. servatur in Archivo Belgiojosiano. Sic itaque Landus notas illas interpretari se posse putat: *Juris Consulto benemerenti patrono, vel Praeceptoris, vel etiam Parenti posuit ex veterum usu, qui Praeceptores ita amabant, ut Parentes etiam vocarent.*

(2) Luganensis ortu, ut verba ipsa Cicerei afferunt: *patriæ nostræ decori*, ac, tum Medica arte, tum aliis etiam disciplinis æstate sua celebratus, cuius plures meminerunt; Gesnerus, Lindanus, Curtius, Manetus, Argelatus, Brambilla. Mediolanenses Civitatis suæ honore, ac privilegio eum condecorarunt. (a) Sitionus, *de Leg. Nobil.*, Andream Camutium laudat, ubi etiam genealogicam exhibet Camutiorum seriem a saeculo 15. ad hujus usque filios. Bernardini Baldini (b) sequens extat ad eundem distichon.

*Cui virtus testata tua est, memorande Camuti,*

*Semine mortali te negat esse satum.*

Epistola italica Cicerei ad Camutium est in Cod. Belgiojosiano, & binæ sunt ejusdem Camutii ad Cicereum inter epistolas Gudii.

(a) V. Argelati Biblioth.

(b) In *Lusibus* pag. 48.

## E P I S T O L A X.

### ANTONIO LUPIONI S. P. D.

**ARGUM.** *Nihil operis sui prætermisſe pro docendi provincia Lupioni Mediolani obtinenda, auamen eo præſente opus esse, ut sui voti compos evadat.*

**N**ULLA admiratione te detineri vellem, Antoni mellitissime, quod raras literas ad te mittam, nam ex quo ad te scripsi (scripsi enim ad Idus Octobris) vix semel ad Matrem mihi scribere licuit; tot nego-

H ij

tiis tum meis, tum cuiusdam municipis mei impeditus fui: semper tamen eram tui memor. Rem enim tuam fere quotidie commendabam Polydoro Bonacopæ, Jacobo a Rosa, Pr. Galeacio e Mirabilibus, & Donino Calumbræ, multisque aliis ludi Magistris, quos non nominabo, ne' meum erga te officium ostentare, & in majus extollere videat. Hi vero docti viri, & mei quidem amantissimi omnem suam operam mihi sunt polliciti; sed si junt non posse fieri, quod & ego judicassem, ut ulla provincia nobis succedat te absente; ii enim qui Præceptores suscipiunt, prius eos vident, & de eorum eruditione periculum faciunt. Ego quidem de moribus tuis, & eruditione multa merito omnibus polliceri possem; sed ea non est mea autoritas, ut mihi crederetur. Quare ita faciendum mihi videtur, ut hic quatuor dies essem, quod commode facere possis; tum enim non dubitarem, quia haberemus, quod cuperemus. Qua in re scripsi ad Patrem tuum, & eas literas in his inclusi, quas velim legas, ut, si tibi videbitur, ei reddas. Ego certe omnia faciam, ut hinc te abstraham, & unâ nonnunquam esse possimus. Quod, quantum efficere cupiam, si consequi vellem, longiores literas, quam oporteat, seu potius volumen ex me haberet. Nec injuria. An me putas immemorem tuæ in me benevolentia? Nec tibi persuades mihi molestissimum esse, quod tandiu caream fructu jucundissimæ consuetudinis tuæ? Quid enim illa dulcius, suavius, aut gratius unquam fuit? Multum etiam tuâ causâ labore, quod hic sis, & in hac tam florenti urbe, & liberalissimis studiis affluentि verseris. Ubi quam tibi facile esset ingenii cultum capere, & solidam eruditionem consequi, animum denique divinarum, humanarumque rerum scientia explere, tuum sit judicium, qui alias hic fuisti, & quam pulchre publicis in gymnasiis omnium literarum, & disciplinarum genera exercantur, cognovisti. Sed jam ad ea quæ restant, venio. Superioribus literis scripsi, me loquuturum esse de ré tua cum quodam Sacrificulo; quare scias me eum convenisse quo die constitueramus, cumque dixisse, provinciam, priusquam tecum collocutus esset, se imprudente, fuisse ab alio sumptam. Verum quanquam hanc provinciam nemo intercepisset, eam tamen, te absente, sortiri non potuissimus. Quare, ut ad primâ redeam, hic opus est tua præsentia. Sperabam te ad superiores meas literas responsurum, at fortassis non licuit: nihil enim literatum, ex quo isthinc discessi, tuo nomine mihi adlatum est; quamobrem cave, idem & hoc tempore facias. Hæ enim literæ responsum maxime requirunt. Hanc epistolam jam me absolvisse putabam, sed mihi succurrerit, te adhuc de studiis meis non factum esse certiorem. Breviter igitur:

accipe. Quotidie, quantum datur per occupationes, me in paradigmatis verborum græcorum, & in Ciceroniana lectione exerceo. Bono mane Othonem Lupanum (1) audio Tullianas orationes, & Aeneidos secundum publice lectitatem, vigesima vero tertia hora Lascaris (a) institutiones in Græca lingua a Josepho Nigro (b) interpretatas. Quid? quod diebus festis intersum lectioni Arithmetices ex Euclide, & Sphaeræ ex Sacrobusto, (c) has enim scientias publice profitetur Ludovicus Ferrarius (2) omnium artium præceptor. Habes igitur, quibus studiis tempus, quo nihil pretiosius, transfigam. Quare unum illud restat, ut huc te conferas precer. Vale, domesticos tuos omnes ex me fuluta. Salvebit etiam a me Ambrosius Calimarus virtutum decus, & Romanæ eloquentiæ parens. Verum nihil est, quod Franciscum, & Nicolaum Vicecomites, & Jacob. Cruceum discipulos meos insalutatos relinquas, eos igitur plurima salute impertitor. Mediolani ex ædibus D. Pii Advocati,

xiv. Novembbris MDXLIV.

(a) Constantinus Lascaris, de quo Baillet, Bælius, & alii.

(b) De quo vide Orat. Franc. Cicer. de Barthol. Ferrario.

(c) Quæ Venetiis impressa 1508., & alibi deinceps.

(1) Mediolani biennio eum audivit Cicereius. (a) Porro inter eos, qui summa cum fama eloquendi munus in Palatinis Mediolanensis scholis professi sunt, eum laudat Augustinus Bonacina in hujus, quæ MS. apud nos est, Oratione, Cod. 260, in iisdem scholis habita pro publico docendi munere sibi concessa, atque anno dicta 1574 Non. Novembbris, die Saturni, hora 18, sic autem inquit: *Itaque vigent adhuc, semperque vigebunt laudes Marchesonii, Palearii, Majoragii, Lupani, multorumque innumerabilium doctissimorum virorum, quorum industria in hoc publice interpretandi munere fuit illustris.*

Lupani etiam mentionem facit Majoragius in supplici ad Senatum Mediolani libello, qui inter *Orationes, Præfationesque ejusdem continetur*, inquit autem: neque hoc fieri Othonis Lupani publici professoris incommodo.

Porro Othoni Lupano in oratorio munere successit Franciscus Cicereius. Ita ex Precibus Lucilii Terzagi ad Senatum Mediolanensem, quibus probat lectionem græcam Mediolani semper fuisse sejunctam a latina. Ibi autem sic legitur: abeunte Othone senio consilio Viglevanum, conductus fuit Cicereius. Atque Cicereium quidem in locum Othonis Lupani suffectum, cernere etiam licet in *Præfatione Primi Comitis in Rheticam Majoragii* iis verbis: *Franciscus Cicereius, qui Othoni succedit.*

Librum typis edidit Lupanus, Torricella nuncupatum, de quo hæc. ep. 16, lib. 4. In libro hocce, quem in Bibliotheca Braydephi impressum, vidi. Mediolani anno 1540., hæc in fronte leguntur: *Torricella ossia Dialogo delle storie e miracoli, i quali per quelle far si veggono, e parimenti di Demoni &c. Cur opus suum istud ita appellatum voluerit Lupanus, ipsem et aperit in epistola nuncupatoria ad Alphonsum a Luna inquiens: Siccome gli antichi Scrittori dalli ampi loro poteri alle loro opere li titoli talvolta poncyano, come M. Tullio, il quale*

(a) V. Ep. 16. lib. 4.

chiamò *Tusculane disputazioni*, ed Accademiche questioni i libri da se composti, così io avendo risguardo alla picciola opera, ed alla picciola torre da me fatta nella mia casa in Casale, ove il tempo, che mi restava alla servitù verso l'E. V. ricoverandomi, scrivea il presente trattato, non ho voluto, che altro nome, che *Torricella nel fronte se ne porti*.

Natus est Luponus Casali, (a) quod dicitur S. Evasii, & Montis Ferrati est caput, ut ipsemet in sua nunc laudata epistola inquit, ex qua & illud ediscimus eundem Lupanum ab epistolis fuisse dicti Alphonsi a Luna, quuni is Montisferratensi regioni Cæsareo nonnne præterat. Lupanum non ignoraverat Franciscus Augustinus ab Ecclesia, qui in suo ipsum reposuit Pedemontii Scriptorum Catalogo, recensetque latinam, quam ipse confecit, *Luciani de Dea Syria versio nem*, & poemata quædam; hunc tamen ejus librum *Torricella* non agnovit. *Epi gramma* videre est Lupani in *Christianarum Institutionum Aurelii Albutii commendationem*, huiusce operi præmissum.

(2) Qui Bononiæ natus Mediolanensi genitore fuit. (b) Litterarias concertationes habuit Ferrarius cum Joanne Colla, & Nicolao Tartalea, ambobus Brixiensibus Mathematicis, publiceque eos superavit. (c) Quæstionum monumenta, quas cum Tartalea habuit, impressa inspexi in libro Bibliothecæ Belgiojosianæ; Italicus liber est, unam si excipias latinam epistolam Ferrarii ad Tartaleam Mediolani datam Kal. Aprilis 1547, ac partim Venetiis excusus per Octavianum Scottum, & partim, ut videtur, Mediolani. Initio libri italicum est Carmen MS. Joannis Antonii Cazzuli, qui in litteratis Mediolanensis apud Picinellum, & Argelatum.

(a) V. Orat. Franc. Cicer. de Octav. Ferrar.

(b) V. ejus *Vitam* apud Cardanum tom. 9., & ejusdem Cardani de *Vita propria* cap. 30., ubi de eo iterum fit mentio.

(c) V. eundem laudato tomo 9.

## E P I S T O L A X I.

ANTONIO LUPIONI S. P. D.

**ARGUM.** *Epistolam mire, multumque complicatam accepit, invidorum obtræctationes despicit, & nauic facit. De oblata docendi provincia nunciat, quam, ut obtineat, Mediolani Lupionem esse oportere, monitum facit.*

**C**um a lectione publica bono mane redirem, ad Fratrem tuum, qui cum est mihi magnus usus, diverti rogaturus quidem, num literarum aliquid ex te haberet. Ille igitur læta, atque hilari fronte, ut solet quoties me videt, epistolam unâ mihi obtulit. Quam cum vix resigñare possem, admiratus sum, erat enim plurimis filis transfixa, multiplici chartâ tecta; & multis signis obsignata. At postea quam eam legi, & quid in ea esset, plane cognovi, minime admiratus sum, at potius prudentiam tuam laudavi. Ad rumores, quos isthic superioribus

diebus de mea infelici, imo felici & prospera profectione, &, ut aiebant, mendicitate, & æsurie a meis invidis circumlatos fuisse.... nihil respondeo, cum brevi futurum spero, ut unâ simus. Quod scire vis, quo pacto in præceptorem suscepimus sim, & qua conditione, & num, qui me suscepimus, ingenium meum adhuc noverint, aut de eo periculum fecerint, unum illud sic habeto, me tanti facturum oblatrations, & detractiones malivolorum, quanti muscam elephantus indicus. Nam satis notum est meum ingenium & mores Jerargo nostro, & M. Antonio Leontino, qui hanc mihi provinciam obtulerant, didiceruntque, quantum in literis valeam, & qui sit animus meus in earum studiis. Præterea, nonne Heri mei adhuc perspectum habent, quibus moribus sim prædictus, quamque curam, & diligentiam in docendis pueris adhibeam? Non scribo hæc temere; nam iccirco te ea dixisse intelligo. Sed illud moleste fero, quod in febrim incideris, & eâ fere quotidie infesteris. Nudius tertius scripsi ad te de provincia nobis oblata; quare te hortor, ut huc te conferas, modò tibi liceat, & hîc sis præstituto tempore, ut eam sumas; nam sumenda mihi mehercule videtur. Sin per febrim, quod nollem, & Dii avertant, tibi non licuerit, me admone. Quanquam enim eam provinciam te absente (die enim constituta te adesse oporteret) fortasse amitteremus, nullum tamen tempus cogitandi de tuis commodis prætermittam; id enim tibi præstare debeo. Plura certe scripturus eram, sed temporis angustia me epistolæ finem imponere cogit. Illud tamen non prætermittam: cave ornatum ullum meis in literis requiras; ita enim ad amicissimos, & pene domesticos scribere consuevi; quod etiam a Cicerone factitatum est, cum ad Tironem, aut ad Atticum suum scriberet. Bene vale. Mediolani ex ædibus Pii Advocati, postridie Festivitatis D. Catherine, MDXLIV.

## EPISTOLA XII.

## JOSEPHO OSSUTIO CAUSIDICO S. P. D.

*ARGUM. Summam in litteris ad se datis eruditionem, unâque benevolentiam agnoscit. De libris nuper ab Alciato editis, aliisque ab alio. De Josephi Ossutii Fratre a se correpto, ad melioremque frugem converso.*

**D**IVI Ambrosii festivitate Laurentius frater tuus literas mihi ex te attulit, quæ quam gratae mihi fuerint, si literis consequi vellem, reveror, ne volumen potius ad te mitterem, quam epistolas; nec me-

hercule injuriā. Primum enim a te proficiscebantur, qui amicorum omnium meorum arcem tenes; deinde ex quo isthinc discessi, nihil unquam literarum a te habueram. Quod factum non me præterit propter negotia, quæ tibi quotidie ingruunt. Meritò igitur tua scripta desiderabam, quæ tandem accepi eruditionis quidem, humanitatis, & summae benevolentiae refertissima; sed ego, quæ de eorum laude dicere possem, ea pluribus non consequar, quod exigere videtur mutua inter nos benevolentia. Illud autem dicam, ea te esse dignissima, quæ tuum incredibilem in me amorem, & amici, imo, ut verius dicam, fratri candidissimum animum præferant, & testentur. Qui quidem tuus in me amor, eti semper perspectus mihi fuit, quippe qui mihi proprie nascenti non defuerit; tamen in dies vehementior fieri est recognitus. Quantum enim gaudiorum? quantum lætitiae? quantum voluptatis? quantum denique jucunditatis te ex eo cepisse ostendis, quod Mediolanum haud inauspicatè remigrarim, & spem maximam eruditionis consequendæ nactus sim? Id si tibi contigisset, non majori gaudio, opinor, afficereris. Sed quid præterea? quam me amanter ad literarum studia adhortaris, & inflamas? Quanquam me adhortationibus tuis minime egere affirmes. Id tu quidem facis, qui humanitatis semper studiosissimus fueris; imo tibi persuadeas velim, me multò incitatiorem ad egregia literarum studia tuis literis effectum fuisse. Sed hoc alias pluribus. Venio nunc ad ea, quæ magis responsum requirunt. Superioribus literis ad te scripsi, Andream Alciatum aliquot libellos non ita pridem emisisse, qui judicatu meo, & juris civilis consultissimorum virorum judicio te digni esse videntur. Te igitur eorum titulos per me cognoscere cupere ex tuis literis intellexi. Cognosce igitur. *Juris civilis paradoxa*. Non enim te latet, quid sibi velint *paradoxa*, a nobis enim dicuntur mirabilia, inaudita, sive quæ sunt præter omnium opinionem; cognosce secundum, qui sic inscriptus est: *De verborum Juris civilis significatu*, item reliquos: *Parergon juris*, hoc est, ornamentum, *De singulari certamine*, sive duello.

Habes igitur, Josephe ornatissime, idemque charissime, Andreæ Alciati librorum titulos. Supereft ut tibi significem, quæ a Christophoro Hegendorphino (a) scripta sunt, quæ ad jus civile attineant. Sunt certe paræneses aliquot ad juris civilis studiosos, sed eæ non sunt seorsum excusæ, sed adnexæ *Civilis juris Lexico*, quod, ut & alias ad te scripsi, Spiegelli (b) cuiusdam Germani est. Sed de his

satis-

(a) De quo V. Moser.

(b) Spiegellus Jacobus, de quo idem.

satis. Egi cum Fratre tuo ea, quæ mihi literis mandasti, accusavique graviter, quod eum erga Institutorem suum præberet, quem nunquam putassem, quodque domesticorum, amicorumque omnium expectationem de se conceptam falleret. Quare primùm, ut aliquam excusationem adferret, (nam jam facti pœnitiebat) dixit, se iccirco talem fuisse, quod ab Institutoris filio verberibus affectus fuisset. Attamen admonitionibus meis cedere, & locum relinquere tandem visus est: siquidem pollicitus est, se in posterum daturum operam, ut prorsus nihil tale de se audiatis, cum sit Magistro suo in omnibus rebus obtemperatus, in artemque, ad quam missus est, omnibus conatibus incubitus, quin etiam scriptioni festis diebus sedulam operam daturus. Cui si ego quid præstare potero, nullum laborem me declinare intelliges, ita enim de me meritus es. Quod de domesticorum valetudine me certiore feceris, valde mihi graum est; sed velim eos ex me salutes, sed in primis tuos, seu potius nostros, quos omnes paucis diebus ego coram salutabo, videboque. Quare & tu vale, meque expecta. Mediolani ex ædibus Pii Advocati, III. Idus Decembr. MDXLIV.

## EPISTOLA XIII.

JOSEPHO OSSUTIO SUO S. P. D.

**ARGUM.** *Quo tempore sit ad eum profecturus significat. Commendationis sibi factæ magnam se rationem habiturum pollicetur.*

**E**RO brevis in rescribendo, dulciss. Josephe, tum quod tempus ita me admonet, tum quod ad tuas breveis (a) respondeo, quod mehercule multò ante fecisse, si per negotia licuisset, quibus & hoc tempore valde distineor. Quod doleas, adventum meum tardiorum esse, id certe ex tuo in me singulari amore proficiscitur, ut meam absentiā diutinam esse, non facile patiaris. Evidem ad Natalem ad vos advolare decreveram, imo quidquid ad proficiscendum attinebat, adornaveram; verum occupationes mihi obstiterunt. Sed quæ negotia tanta sint, non video, quæ me ad dies Bacchanales ab itinere sint deterrita, cum domesticorum viendorum magno desiderio tenear, tui vero amplectendi cupiditate ardeam. Sed de hoc satis. Quod Muginum mihi commendas, scias velim eum, ejusque eruditionem tantæ curæ mihi

(a) Breveis sic posuit juxta scribendi regulam, quæ Cicerei tempore obtinebat, quod nempe nomina, quorum genitivus pluralis in ium definit, per eis in accusativo scribantur.

esse, ut commendatione ulla non egeat. Ergo, inquies, mea commendatio apud te levis est, & vulgaris? Nequaquam. Nam, si qua ad meum erga illum officium accessio fieri potuerit, intelliges magnum pondus habuisse, plurimumque valuisse. Tuum fratrem Laurentium sæpe video, vidi & heri; probe se habet, &, ut ex Instituto cognovi, cessit admonitionibus, Patrisque minis; dixit se ab herili Filio scriptiō nem edoceri. Velim mihi salutes Andream Camutium tum hujus sæculi, tum patriæ nostræ ornamentum. Mediolani ex ædibus Pii Advocati,  
xxiii. Januarii MDXLV.

## EPISTOLA XIV.

ANTONIO MARIAE MENABENO S. P. D.

ARGUM. Erasmi libellos, aliumque Jerargi exscriptum mittit.

Cum primum Mediolanum applicui, & Bibliopolas, quod facere soleo, adivi, mandatum tuum curavi. Nam libellos Erasmi Rotherodami de octo partium orationis constructione, ut volebas, mercatus sum, sed treis dumtaxat, cum tu mihi plures coemis mandaveris. Siquidem ceteris omnibus libellis ejusmodi addita sunt commentaria Rubrii cuiusdam, quæ, nescio, an tibi arrisissent. Hoc igitur tantummodo mitto. Si plures subtractis commentariis invenissem excusos ad numerum, quot volebas, haberet. Quod autem ad rationem accentuum attinet, quorum breveis, atque absolutas præceptiones alias ad te mitti cupiebas, Franciscus Jerargus vir non indoctus, præsertim his humanioribus literis, libellum de Grammatica nuper emisit, in quo præceptiones, quas volebas, reperi, sed, cum ejus generis libellum nullum, ne apud ipsum quidem Autorem, invenerim, præter illum, quem apud me adseravi, non codicem ipsum, qui de Tonis tractatum habet, sed ipsum tractatum exscriptum tibi transmitti volui. Eum itaque habes his literis adpositum. Ad has literas quid præterea addam nescio, nisi ut Petrum Bonum communem amicum salute plurima ex me impertas. Bene vale, meque tuum existima. Mediolani ex ædibus Pii Advocati, vi. Nonas Martii MDXLV.

## EPISTOLA XV.

JOSEPHO OSSUTIO S. P. D,

ARGUM. *De mittendo libro sententiam exposit.*

**S**IMUL atque Mediolanum redii, accessi ad Bibliothecas, ut mandatum tuum curarem, jussique Librarios, ut quam tibi mercari volebas, Jo. Petri Ferrarii *Practicam* (a) exposuissent. Illi eam statim obtulerunt, sed ex veteri impressione, & minutissimis typis excussum. Quam quidem cum inspexisse, quæsivi num ex præstantiori, atque elegantiori editione ejusmodi Codicem haberent, qui negarunt; se tamen expectare dixerunt. Quod cum intellexisse, quæsivi iterum, quanti, quam obtulissent, venire soleret; quare dixerunt, non minoris quam assibus xxxv., si more Romano conglutinetur. Ex ea impressione liber te indignus mihi esse videtur, tu tamen quid in hac re fieri tibi placeat, primo quoque tempore ad me scribas, velim. Hæc enim iccirco ad te scripsi, alioqui librum nondinatus fuisset, eumque tibi misisset. Vale, meque ama. Mediolani ex ædibus Pii Advocati, Kal. Martii MDXLV.

(a) Ferrarii Papiensis *Practica aurea* Noriberg. 1482. Mediol. 1496, & alibi impressa.  
V. Maitair, & Bibliotheb. Imperial.

## EPISTOLA XVI.

JOSEPHO OSSUTIO CAUSIDICO S. P. D,

ARGUM. *Responsum petit. Quidpiam de ejus Fratre.*

**K**ALEND. Martii ad te scripsi, cum mihi coram mandasses, ut Jo. Petri Ferrarii *Practicam* tibi emisset, admonuique quidnam de ea emenda mihi videretur; ad quas quidem literas non respondisti, cum illæ responsum requirerent, ut scirem quid de ea re agerem juxta animi tui sententiam. Nam liber ille ex præstanti editione, quam te velle arbitrabar, non reperiebam. Hujus tamen tuæ taciturnitatis caussam non tibi, sed occupationibus tuis adscribo; scio enim te non paucis detineri. Attamen non prætermittas velim, quin his lectis ad ea rescribas, quæ quæro. Nam liber hoc tempore ex emendatori editione, quam nuper, nusquam venundatur. Sed de hoc satis. Laurentius frater tuus,

Iij

quem & heri conveni, cum Institutore suo, optime se habet, & artem perdiscere conatur. Sed parum abest, quin de Patre conqueratur, cum ab eo per me multa petierit, nihilque adhuc sit assequutus. Sed jam exiit epistola longior, quam eam scribere constitueram; quare vale, meque tuum puta. Mediolani ex ædibus Pii Advocati, ix. Aprilis MDXLV.

## EPISTOLA XVII.

ALEXANDRO CAMUTIO S. P. D.

**ARGUM.** *Studium, ac benevolentiam suam profiteur.*

**N**ON satis credidisse, Alexander amantissime, amicitiam teneris ab annis contractam, tantam vim habere, quantam ostendunt literæ humaniores, nisi id mihi experiri liceret. Nam, cum pueri sub eodem præceptore militaremus, inter nos amicitiam inivimus, quæ adeo vehemens fuit, ut quanvis ambo tunc temporis brevi literarum addiscendarum gratia Patria discesserimus, hactenusque aucti fuimus, in dies tamen mihi sit tui memoria jucundior, adeo ut, nisi tanto locorum intervallo ante hoc tempus a me absuisses, non me continere potuisset, quin te vel octavo quoque die meis literulis invisisem. Verum cum hoc tempore te in Patria esse sciam, liceatque per locorum distantiam, qua disjuncti sumus, id efficere, quod hactenus mihi maxime in optatis fuit, ejus rei exordium hoc breve epistolium esse volui. In quo, si meam in te amoris vim, & magnitudinem satis explanare voluisssem, non schedulam, sed librum ad te misisssem. Brevis igitur esse volui tum è causa, tum quia te brevitate delectari sæpe cognovi. Vale, velim mihi salutes Franciscum (a) patruum, & Andream fratrem patruellem tuum, quorum alter ad utilitatem Reipub. nostræ, alter ad ejus gloriam, decus & dignitatem natus est. Vix enim crederes, quantum hic doctissimi viri hujus eximiam eruditionem, & gravissimarum disciplinarum exactissimam cognitionem laudibus extollant. Vale iterum. Mediolani x. Aprilis MDXLV.

(a) Italica ad hunc epistolam Cicerei in Cod. Belgiojof.

## EPISTOLA XVIII.

ANTONIO MARIAE MENABENO S. P. D.

**ARGUM.** *Comitatem ejus, humanitatemque extollit. Nonnulla de accentibus dubia solvit.*

**S**i tuas literas, quas ad me xv. Kal. Aprilis dederas, duabus ante horis accepissem, meas, quibus abs te respondendi officium requirebam, a P. Mugino non haberes. Nam cum ei istuc redienti meas literas ad te deditsem, nudius tertius ad Galli Judicem, quocum mihi est magnus usus, accessi, qui tuas mihi reddidit, ex quibus cognovi, te officiosum esse, quod mihi rescriperis, multò præterea officiosorem, quam erga amicos esse oporteat, qui pro tantillo munusculo tantas mihi gratias agas, quantas ego pro tot maximis in me beneficiis nec egerim, nec tibi unquam agere cogitaverim. An nescio nimiam τὴν εὐχαριστίαν (α) amicitiam lädere solere? Hoc ego certe tibi vitio darem, nisi plane scirem, te id non fecisse commotum munusculo illo, sed potius, uti urbanitatis, cuius studiosus semper fuisti, jura teneres. Verum hujusmodi multa, quæ dici possent, omittamus, ne epistolam habeas occupato minime congruentem. Veniam igitur ad ea, quæ a me te doceri velle scribis, de quibus non te docebo, sed admonebo, & ut melius dicam, sententiam meam adferam. Dicis primò, te ad dubitare, an, quæ Jerargus differentiæ causâ de accentu quintâ regulâ dixit, ad omnia composita ex duobus integris dictiōnum compositarum trahi possint. Quare scias velim, nihil esse dubii, quin trahantur, & ad cætera omnia composita faciant; sed videādum est, quanam ratione id fiat. Scis, quamlibet dictiōnem uno accentu contentam esse, accentu, inquam, quo syllabæ tonus elevatur; nam cæteræ dictiōnis syllabæ gravem necessum est. Dictio igitur composita, cum ex pluribus una tantum fiat, unum tantummodo ejusmodi accentum posſidet, alioqui dictiōnes compositæ pronuntiatione a simplicibus nihil prorsus differunt: ut si quis dūmtāxat pro dūmtaxat, quod solummodo significat, proferat. Jerargus itaque dixit accentum transferri debere (1): transferri, intelligo a loco, quem haberet in illis iisdem dictiōnibus simplicibus in antepenultimam compositæ; qui, si in dictiōne simplici eum locum teneret, non permutatur, ut in *republica reipùblicæ*:

(α) Gratiarum actionem.

quibus quidem dictionibus accentus quandoque notam adpingimus, ne scilicet indoctiores pluribus accentibus, quam uno, compositam dictio nem proferant, aut alioqui perperam pronuntient. Quæris deinde, an quæ idem in septima regula de tonis tradidit, ad omnes dictiones, quæ syncopen patiuntur, pertineant. Ego ad ea respondeo, Autorem ibi loci verba fecisse de iis nominibus tantum, quæ a nobis *in as* per syncopen, ab antiquis *in is* integre dicebantur: ut *Ravendatis Ravennâs*. Verum, si plura quæris de iis, quæ syncopata circumflexo proferuntur, sunt & illa, cujusmodi multa in genitivo secundæ nominum inflexionis: ut *Deûm, numûm, festeriûm, virûm, divûm: ... ubique in üm contractum*, quibus etiam sui toni notam adnectere solemus, ut eo pacto a rudibus ab accusativo singulari discernantur. Cætera syncopem habentia generalibus præceptionibus libenter parent: ut *amassem amasse, dixti, amântum, legèntum, ornântum*. Tua accentus definitio, non possum verbis consequi, quam non solum mihi, sed etiam pluribus multò me doctioribus placeat. Tu igitur velim me admoneas quid tu de his, quæ & nos scribimus, sentias; quod si feceris, erit mihi gratissimum. Salutem dic Baptista Cribello, (2) juveni tum nobili, tum optimis moribus, tum non vulgari juris civilis scientia imbuto. Vale. Mediolani ex ædibus Pii Advocati, pridie Idus Aprilis MDXLV.

(1) Docuere id Servius in 6 *Æneidos* in illum versiculum: *quisque suos patimur manes*, itemq[ue] Annianus, & Probus apud Gellium lib. 7. cap. 7. Vulgator tamen usus adversatur, in compositis scilicet dictionibus, quarum penultima syllaba naturaliter producta sit, accentu signari, non antepenultima solet, sed penultima potius.

(2) Aliqua sunt in Archivo Belgiosiano ad Baptistam Cribellum epistolæ italicæ Francisci Marcaldi, qui Mediolanensibus Litteratis ab Argelato accensetur, duobus ejusdem enunciatis opusculis, quæ apud nos sunt Cod. n.º 13.

## E P I S T O L A XIX.

ANTONIO MENABENO S. P. D.

**ARGUM.** *Multum se tum docendi, cum descendendi negotio occupari, non omisssurum tamen, quin omnibus ejus litteris præbeat responcionem.*

**H**is literis paucis tecum agam, jucundissime Menabene, tum quod tuæ literæ pauca mihi significarunt ad quæ respondeam, tum quia iccirco me in tanto otio, ut tibi persuades, non esse cognoscas. Nam quamvis parvâ docendi curâ distinear, non mediocri tamen descendendi negotio impedior. Siquidem etsi dies omnes nobis longiores essent quam

in æstivis Thulem Insulam colentibus, nullam tamen dici partem, quamvis minimam, sine maximis curis transigerem; sine ulla enim intermissione aut gymnasia mihi sunt adeunda, aut quæ in illis audivi meditanda, atque ruminanda. Accedit ad hoc meum otium, nam tu illud otium appellas, quod a tot epistolis lacerior quotidiane, ut, si omnibus rescribere vellem, omne tempus, non mentior, in conscribendis epistolis consumerem. Sed jam ad tuas respondeo, ne cum longiori epistola garriam, me rursus otiosum existimes. Quod addicas mihi omne tempus, quo ab occupationibus vacaveris, gratias tibi agendas esse non duco, quandoquidem ego in tantis negotiis pares tibi vices rependam. Conabor enim pro virili, ut temporis partem aliquam occupationibus meis arripiam, quo tuis literis omnibus respondeam. Hæc ea erant, quibus rescribere cupiebam ad ea, quæ in priori tuarum literarum parte reposueras. Ad cætera vero nihil est, quo respondeam. Essent quidem multa, ad quæ responsum adnectere minime licet per occupationes; hoc tamen non prætermittam: resaluta, qui me salutat, & vale. Mediolani ex ædibus Pii Advocati, VII. Maji MDLV.

## EPISTOLA XX.

JOSEPHO OSSUTIO CAUSIDICO S. P. D.

**ARGUM.** *Librum emit, consuendum probe curavit, Typographorum negligenciam accusat.*

**N**ONIS Majis & literas, quibus mihi significabas, ut Petri Ferrarii *Præcliken*, de qua alias ad te scripsoram, primo quoque tempore mercarer, & nummos, quibus id fieri volebas, a Baptista Somatio (a) ex te accepi. Quare, cum primùm licuit, cum Codicem diligenter consuendum, conglutinandumque esse curavi. In eo emendo insumpsi aspes 34., superfuerunt igitur ex tuis nummis 18., nam summa erant 52. Eos, ut te velle mihi significaveras, tuo Fratri tradidi, eique simul mandata dedi tua, quæ se libenter obituruim est pollicitus; is præterea se cum Institutore suo optime habet, atque, ut perspicio, in artem gnaviter incumbit. Sed ad Codicem redeo. Eum ita concinnari volui, tum quia eo pacto ejusmodi libelli hoc tempore soleant, tum quia diutius durabit, eritque ad evolvendum, & circumferendum aptior, & tractabilior. Quod si in eo evolvendo nonnulla folia, quæ sectionem non subierint, offenderis, id a me de industria

(a) Ad quem tres Italicas Cicerei epistolas sunt in Cod. Belgiojof., & una ad Stephanum Somatum.

factum fuisse existima, ne scilicet margo esset minor, quam oporteat. Solo nonnunquam mirari, quod Typographi adeo se negligentes præbeant in excudendis hisce libris, qui de jure civili sunt conscripti. Nam omnes, quos adhuc vidi, contractis quibusdam typis, & formulis illis priscam barbariem referentibus sunt impressi, nullo interim adscripto accentu, diptongo, aut membrorum distinctione. Quare audi quid de tuo Codice sentiam. Est quidem ille ex novissima impressione, sed ita ut, antequam ars typographica esset excogitata, impressus esse videatur. Sed, cum meliorem non invenerim, eum qualem licet, habeto, mementoque te nunc ea in re efficere, quod in proverbio habetur, *vulpem scilicet pyra comedere*; (1) sed jam vale, ac tuos meosque domesticos saluta, vii. Maji, Mediolani ex ædibus Pii Advocati MDXLV.

(1) Proverbium de re admodum facili ex Plauto in *Mofstell.* desumptum s. I. 32.

## E P I S T O L A XXI.

JOSEPHO OSSUTIO J. C. S. P. D.

**ARGUM.** *Librum quem miserat non delatum miratur, indignaturque.*

**T**uæ literæ mihi gratissimæ fuerunt, cum ex eis id intellexerim, quod mihi omnium est gratissimum, nempe & te, meosque omnes reliquos optime se habere, verum cum perveni ad earum pagellam fere extremam, indignatus sum, cum scriberes te adhuc expectare *Practicien*; non quod tu id facias, quod tuum est, sed quia illud verum esse experiri cogar, quod est apud Vergil. *nusquam tuta fides* (a), nam Codicem ad te misi vii. Maji, & per D. Jacobum Ferrarium (1) municipem nostrum, cui hujusmodi literæ erant adnexæ, tu lege:

Nonis Majis & literas, quibus mihi &c.

Cum igitur Codicem haec tenus non acceperis, miror. Quare Jacobum ipsum adeas velim, ab eoque petas, quod ad te ei dedi in diversorio Falconis, teste Josepho Mugino, quem propter literas tuas commendatiorem habebo, quibus de rebus ad me literas quam primum mittes, ut quod meum sit, non prætermittam. Vale.

(a) *Æneid.* 3.

(1) Joannes Jacobus Ferrarius Luganensis egregius Militum ductor fuit sub vexillis Joannis Jacobi Medici, obiitque anno 1552. V. Ballarin. *Croniche di Como* pag. 226.

EPI-

## EPISTOLA XXII.

JOANNI OPORINO (a) IMPRESSORI DILIGENTISS. S. P. D.

**ARGUM.** *Libellum de Grammatica recudi mandat, tetraſticho, quod ipſi jungat, adſcriptio. Oporini in imprimendis libris diligentiam laudat.*

**S**EBASTIANUS Gryphius, (1) Lugdunensis Typographus, nuper de Grammatica libellum quendam excusit, cuius venalia exemplaria per pauca Mediolanum asportata sunt, eaque statim vendita. Quare accidit, ut unum ex illis ad manus mihi pervenerit; quem quidem libellum cum revolverim, utilissimum esse cognovi. Sed fato quodam evenit, ut ego interim Lugani ludum literarium aperuerim. Hujus igitur libelli utilitate permotus decrevi pueris, quos erudiendos suscipio, eum prælegere. Qua de re illud meum exemplar ad te mitto, precorque prælo tuo committas, ut ejus libelli terendi discipulis meis fiat copia: Ego enim per hunc ipsum, a quo literas acceperis, trecenta hujusmodi opuscula abs te mercabor, præciumque polliceor, nempe scutatos treis Italos. Ego mihi te unum elegi hac in re ex cæteris omnibus, quos multos iſthic esse non ignoro, cum sciām eum esse, qui & typorum elegantia, & diligentia in excudendo reliquos omnes excellas. Quod testantur ea, quæ superioribus diebus, dum Mediolani agerem, ex officina tua prodiisse cognovi, nempe volumen de *Jure civili* a Catellano Cotta (2) compositum, totiusque *Græciæ descriptionem*, (3) multaque alia, quæ hoc loco commemorare necesse non est. Verum aliò sermonem nostrum convertamus. Si hæc conditio tibi placet, rem accelerabis, & negocium expedies, priusquam iſhinc discedant ii, quibus asportandorum librorum mandata dedi. Sed, ut jam scias, qualem velim impressionem, au exemplari prorsus similem, necne, hæc pauca superioribus adscribenda sunt; in quibus illud non leges, me velle librum diligenter impressum, hoc est, mendarum expertem, sed impressas, ut soles. Primum curabis, cudatur typis *cursivis*, vel, ut appellant, *Cancellariis*, quibus exemplar confectum vides; deinde characteres, qui passim insunt libello, non commutabis, fac omnino exemplari respondeant. Postremo præfationem, & carmina nuncupatoria præ-

(a) Plures hujusce epistole sunt ad Franciscum Cicereum in collectione Gudii.

terminatas velim; quamobrem in prima pagina a tergo hos quatuor versiculos ita collocabis:

Francisci Cicerini *Tetrapastixou* (a)

Cessent ambages, versetur ubique libellus

Hic, bene Grammaticen qui docet, & breviter.

Haud avidus famæ, atque juvandi cupidus Autor

In titulo voluit, nomen abesse suum.

His igitur prætermisssis, scilicet præfatione, & carminibus, tibi faciliimum erit, quidquid excludendum est, minori volumine, quam quaternionibus tribus concludere; ab abbreviationibus tamen tantum abstinentias velim, quantum poteris, & dabitur. Nihil jam reliquum est, nisi ut impressis libellis, quod futurum spero, reddendi mihi exemplaris sis memor. Vale, & diu vive, qui ad Rempublicam literariam administrandam, atque incolumem servandam natus es, & a me majora expecta. Lugani, Idibus Octobris MDXLV.

(a) *Tetraſtichon*.

(1) Pauca subjiciam, quæ de Sebastiano Gryphio auctor coævus Gaudentius Merula tradidit. (a) *Gryphii gentes sunt Aelvetiae; floret hac tempestate Sebastianus Gryphius, cui quidquid est per Europam literarum, debet maxime. Debent etiam Scriptorum manes, quorum, incuria temporum, fere conclamata opera pristino candori fuere restitura.*

(2) Mediolanum huic patria, qui doctrinæ laude excelluit, & cum litteratis Mediolanensibus est apud Picinellum, & Argelatum; laudatur etiam a Friesio, Tefferio, Sitono, Bælio, aliisque. Ejus inscriptio est in S. Mariæ Gratiarum Mediolani, & apud Allegrantiam. (b) Opus de jure civili, de quo in hac epistola, Oporinianis typis excusum est in fol. 1545. Vide dictum Argelatum.

(3) Basileæ prodit in fol. per Jo. Oporinum 1545 mense Septembri, Nicolao Gerbilio autore. Extat in Bibliotheca nostra.

(a) *De Cler. Famil. MS.*, apud nos n. 136.

(b) *De Sepulcr. Christi*. pag. 123.

## EPISTOLA XXIII.

### PETRO MARTYRI ROSINO S. P. D.

**ARGUM.** Bonis artibus jam deditum, ut sedulo, & in posterum operam dare perget, hortatur.

**I**NCREDIBILI lætitia me affecerunt literæ tuæ, cum antea nunquam votis, & tuorum expectationi apertius, quam nunc, illis te esse responsorum ostenderis. Nihil enim est in tuis literis, quod meritò probari non debeat, præsertim, cum Ciceronem, Oratorum facile principem, imi-

teris. Sed nunc a te diligenter curandum est, ut animo constans in hac sententia permaneas, quoisque ex indoctorum maximo numero emergas. Quod ut efficias, Deos hominesque adjuturos se esse, confido. Quod, si diligenter curaveris, futurum spero, ut, qui tibi bene cupiunt, omnes summopere lætentur, qui male, non mediocriter doleant. Non enim te latet, quamnam hi spem de te conceperint, nec te, credo, præterit, quæ illi de te dicitent, & male ominentur, cum hoc pacto de te obloqui consueverint: hui P. Martyr is est, per quem Rosinorum domus est interitura, juvenis est omni vitiorum genere imbutus, in aliquo bono studiorum genere nunquam proficiet, paterna bona aleis, & scortis brevi est consumpturus. Hæ sunt, ut jam dixi, malivolorum voces fere quotidianæ, qui ut mentiantur, tuum erit acri diligentia, studio, & cura providere. Id facilime assequeris, si, quod facis, facere perrexeris. Cura valeas. Lugani, Idib. Novembris MDXLV.

## EPISTOLA XXIV.

M. ANTONIO LEONTIO S. P. D.

**ARGUM.** *E gravi se ægritudine convaluisse inquit. In magna, quæ grassatur, morborum pernicie, incolumen Leonium gaudet.*

SINGULARIS tuus in me amor efficit, ut ad te scribere non erubescam, cum sciam tibi minime molestum futurum, si de mea valetudine fies certior. Alioqui nihil stultius, nihil ineptius, atque insulsum magis existimarem, quam tibi gravissimis Philosophiæ studiis intento his nugis aureis obtundere. Ego enim haec tenus febre graviter laboravi, adeo ut Medici sæpius salutem meam desperaverint; hoc vero tempore ferme convalui, & ad literas redii. Quare D. O. M. immortaleis gratias ago, agamque dum vivam, sed eò majores, quod te, ut audio, a tot morborum agminibus humana corpora grassantibus reservarit, ac valentem præstiterit. Quod ea de causâ factum intueor, quod is sis, qui virtutibus, quas benigne soves, tanto ornamento sis futurus, quanto illæ sunt cæteris, qui ipsas . . . . Sed dabitur alijs locus ad tuas laudes opportunior, atque commodior; quantum tibi debeo, nec viva voce, nec scriptis me satis cuiquam consequi posse confido. Quamobrem illud confitear necesse est, quandiu vixeris, plurimum debiturum. Ad Heros meos scripsisse libenter, nisi eos adhuc rusticari ex quodam Municipi meo cognovissem. Hæc ad te nunc eò familiarius scripsi, quod, qua sis morum facilitate, exploratum habeam. Vale, Lugani, Idib. Novembris MDXLV.

K ij

## EPISTOLA XXV.

FRANCISCO JERARGO LIBERALIUM ARTIUM  
PROFESSORI S. P. D.

**ARGUM.** *Gratum, memoremque Jerargi se profitetur, cui diuturnam, prosperamque vitam exoptat.*

**N**e horam quidem transigo, quin tui in me amoris, & innumerabilem beneficiorum recordatio mihi in mentem veniat. Quare s<sup>e</sup>pius cogito, quanam via efficiam, ut aliquando tibi me gratum præbeam, ac ostendam: re intelligo; nam animo, quin perpetu<sup>d</sup> tibi gratus sim, non dubium est. Cujus rei opportunitas, si quando mihi oblata fuerit, summopere lætabor, ac Deo gratias agam maximas. Ego D. O. M. precor, ut te, qui ad ornandas Musas es natus, firmum, ac valentem diu servent, ut, quod jandiu tibi in animo est, prospere perficias. Josephum nostrum nihil est quod commendem, tanta enim cura, studio, & diligentia a te edocetur, ut jam suorum omnium votis respondeat, & expectationi plene satisfaciat. Quare charior, ac gratior effectus est omnibus. Vale, ac me ama. Lugani, Idib. Novembris MDXLV.

## EPISTOLA XXVI.

JULIO CATTO (I) S. P. D.

**ARGUM.** *Graviter laborasse non absque vitæ suæ discrimine, nunc ad pristinam fere redditum valetudinem.*

**E**TSI non penitus febre carebam, & pectoris dolore graviter lababam, tamen, quin ad te scriberem, me continere non potui. Cum enim dies noctesque mihi ante oculos verseris, neque tamen adsis, egit me tui desiderium, ut tecum scriptis colloquerer. Quandoquidem nullum tempus transigo, quin jucundissimæ consuetudinis nostræ recorder, simulque doleam, quod tandiu illius fructu caruerim. Verum, inquier, quid agis præterea? Quid agam, quæris? Haec tenus graviter multis morborum generibus laboravi in tantum, ut a Medicis destitutus s<sup>e</sup>pius fuerim, cum spem omnem meæ salutis amisissent. Nunc tandem ad

literas redii, & omnium consensu ludum literarium aperui. Habes quid agam, Juli optime; quare restat, ut Fratrem tuum meis verbis salutes. Salutabis etiam Stephanum Columnam, & Ludovicum Ferrarium institutores nostros observandiss. Bene vale. Lugani, xviii. Kalend. Decembris MDXLV.

(1) In eodem nostro epistolarum Cicerei Codice sequens est distichon ad Julianum Cattum pag. 130.

*Quod quondam evexit Ciceronem ad sydera Cæli,  
Hoc modo, Catte, tibi Pallas amica dedit.*

## L I B E R T E R T I U S.

### E P I S T O L A L.

#### DISCIPULIS SUIS S. P. D.

ARGUM. *Melancthonis ediscendos canones suadet.*

**E**x omnibus Grammaticis nemo est, qui syllabarum quantitatem brevius, atque dilucidius scriptis tradiderit, quam Philippus Melancthon, (a) vir quidem insigniter eruditus. Ejus igitur ea de re canones cupio discatis, memoræque mandetis: ea enim, quæ brevitate prædicta sunt, & obscuritate carent, facilius percipiuntur, & fidelius continentur. Valete.

(a) De quo plures, itemque Mazzuchellius in Museo.

### E P I S T O L A II.

#### JOANNI MENABENO INSTITUTORI SUO S. P. D.

ARGUM. *Prius scribere, sibi per valetudinem non licuisse, seque in eodem profitendi munere Menabeno successisse, significat.*

**A**DVERSA mea valetudo ed diuturnior mihi visa est, quod eam rem, quam in animo habebam, efficere me non permetteret. Nam ex quo tempore, cum me invisissem, hinc discessisti, mihi semper in optatis fuit, ut ad te scriberem, ut quod alias, quandiu absui, vel locorum magno intervallo, vel corporis infirmitate mihi non licebat, id nunc non ita a te disjunctus facerem. Verum non poteram per valetudinem,

quæ meum hoc desiderium in hunc usque diem distulit. Interim hic fuere tui Luganenses contubernales, ut vindemiis interessent a te dimissi, quorum ego profectum, & eruditionem, ipsorum Parentibus meritò laudavi. Cæterum est, quod cognoscas: ego tibi successi, nempe magistro discipulus, magister effectus; siquidem, cum primum convulsi, ludum literarum aperui. Bonis, malisve auspiciis id fecerim, plane ignoro. Habes, cui studiorum generi animum adjunxerim; quare restat, ut tu, & tota familia bene valeatis, meque tui nominis studiorum semper fore, tibi persuades. Datum Lugani, iv. Kal. Decembris  
MDXLV.

## EPISTOLA III.

ANDREÆ CAMUTIO S. P. D.

**ARGUM.** *Valetudinem sibi ejus operâ potissimum restitutam agnoscit.*

**A**CCIPE Pompei deducatum carmen ab illo,  
*Debitor est vitæ qui tibi, Naso, suæ (a).*

Licet enim eisdem versibus, paucis immutatis, mibi affari te, Camuti, quibus affatur Ovidius Sextum Pompeium, quanquam certo scio, Ovidium non tam vere hæc dixisse, quam ut Sexti Pompeii favorem venaretur; ego vero ea de te quam verissime proferre possum. Quidquid enim lucis usuræ mihi datum est, id omne D.O.M., & ex omnibus mortalibus nemini, quam tibi, acceptum refero; nec immeritò: siquidem, cum superioribus diebus essem valetudine deplorata, tu solerti cura, & summa in medendo diligentia effecisti, ut vitæ meæ spatium aliquantò longius sit. Quare meritò te Æsculapium alterum appellare possem; eo namque in statu eram, ut non magis mirum sit, Æsculapium Hippolytum Medicis artibus Virbium reddidisse, (b) quam me tuā operâ convaluisse. Sed hæc aliàs pluribus. Superioribus diebus ex æqualium meorum sermone ad me perlatum est, te in florenti Ticinensi Academia, magno cum auditorum concursu τὴν ἱατρικῆς θεωρίαν (c) profiteri; quod certe mihi jucundum fuit. Quanquam hanc meam epithalam inanem fore certò sciebam, non tamen tam ad te mittere me puduit; propterea quod ex eo saltem cognoscas, me hoc tempore ea

(a) Ovid. *De Ponto* lib. 4. Eleg. 1.(b) Fabula apud Ovid. *Metamorph.* l. 15.

(c) Medicinae theoriam.

esse valetudine, ut (gratia Superis) ad literas redierim. Id quod pro tua in me singulari benevolentia tibi gratum fore confido. Vale. Lugani, vii. Idus Decembris.

## E P I S T O L A . IV.

FRANCISCO CASTANEO SUO S. P. D.

**A**RGM. *Morbo, ne prius scriberet, prohibitum; ludi Magistrum factum nuntiat.*

**P**ROXIMIS diebus Hieronymus Canevalius tuus, & idem meus isthinc rediens, tibi bene esse mihi nunciavit, quod, quam jucundum mihi fuerit, vix possem verbis consequi, præsertim cum, ex quo die hinc decessisti, nihil ferme de te audivissem. Ante hoc tempus ad te scribere non potui, cum valetudinis infirmitas non fineret. Nunc (gratia Superis) convalui, & ad literarum studia redii. Ludum literarium aperui; quare adhuc sunt mihi discipuli numero ad quinque & viginti, inter quos aliquot, quibus M. T. Ciceronis opera prælego. Habes jam quid agam. Tui domestici bene valent; Thomas frater tuus nuper in Germaniam, ut puto, discessit. Epistolam habes longiorem, quam tibi gravissimis studiis occupato conveniat. Quare vale, & me, ut soles, ama. Lugani, vii. Idus Decembris MDXLV.

## E P I S T O L A . V.

JOSEPHO MUGINO DISCIPULO SUO S. P. D.

**A**RGM. *Gratas sibi Mugini litteras fuisse, gratiiores tamen futuras, si quidpiam de Mæcenate suo adscripsisset.*

**N**ON est quod mirer meas tibi literas gratas fuisse. Tui enim moris semper fuit iis te oblectare, quæ aut tibi præsenti dicerem, aut literis absenti nunciarem; quod mihi semper placuit, & te ejus generis esse gaudeo, non meâ, sed tuâ caussâ: hoc enim signum est optimæ indolis, se doctioribus adjungere, illisque sedulam operam dare. Sed quam gratas tuas mihi fuisse existimas, cum a te mihi charissimo, & eodem jucundissimo proficiserentur, cumque ea mihi nunciarent, quæ mihi significari diu in votis fuerat? Sed tamen multò gratiores fuissent, si

quid de Jerargo Mæcenate meo adscripsisses. Verum, cum nihil scriperis, facile adducor, ut eum bene valere credam. Quare fit, ut etiam tua de eo taciturnitas me delectet. Ne tamen putas, hoc. eò a me dictum, ut posthac, quoties literas miseris, nihil de illo dicas, tibi concedam; quod mehercule non faciam. Quid enim gratius? quid jucundius mihi esse potest, quam de eo aliquid audire, cui tantum debeo, ut solvendo non sim? Vides igitur tuas literas mihi esse gratissimas; gratiores tamen efficies, si illis junxeris, quod & nunc adjunctum cuperem. Vale, ac salutem amicis dic omnibus. Natali S. N. J. C.  
MDXLV.

## E P I S T O L A VI.

## JULIO CATTO S. P. D.

**A**R<sup>G</sup>UM. *Mirum in modum ejus litteris delectatur, quam arctissimo amicitiae fædere sibi devinctum agnoscit. Gaudet Mediolani illum hoc tempore adesse, quo litteraria studia efflorescere intelligit.*

CUM tuæ mihi literæ sunt redditæ, jam plane firmus eram; illis lectis multò firmior sum redditus: adeo gratae, adeo jucundæ mihi fuerunt. Quare fit, ut sæpe tecum hæc dicam: utinam Cattus meus multò antè ad me scripsisset, mala valetudo non tardiu me profecto tenuisset, medicinam mihi fecisset, medelam optimam gravissimo animo meo attulisset. Nec mehercule injuriâ. Quid enim jucundius? quid suavius? quid denique charius mihi accidere potuit, quam tuas literas accipere? Tuas, inquam, quicum non minori amicitiæ vinculo conjunctus sum, quam quisquam priscorum illorum, quorum amicitiæ firmitatem Cicero, & Valerius (1) maxime admirati, eorum nomina posteris tradiderunt, eosque immortales reddiderunt. Quare, et si magno locorum intervallo disjuncti sumus, tecum tamen animo conjunctissime, atque amantissime vivo: tecum semper esse, tecum colloqui, tecum de literis disserere videor. Hoc pacto, tui desiderium æquiore animo fero, alioqui tui absentia me quiescere non pateretur. Sed ad epistolam tuam redeo: tantam ea mihi voluptatem attulit, quantum me non consequi posse considerem, cum præsertim ex ea cognoverim, nunc isthic esse tot viros doctos, qui linguarum peritiam, optimaque disciplinas profiteantur, ut res literaria reviviscere videatur, quæ me, agente Mediolani, prope jacere, atque propter bellorum tumultus intermissa esse videbatur.

tur. Non enim me abesse Mediolano, tanto dolore afficit, quanto ego gaudio, te cum doctis viris versari, te eos audire, te demum his rebus frui, afficiar. Quare faxit Deus Optimus Maximus, ut diu valeas, ut id, ad quod aspiras, nempe ad summum eruditionis culmen, consequaris, ad illudque feliciter pervenias. Nullum quidem finem scribendi facerem, cum non scribere, sed tecum coram suavissime colloqui viderat. Quare restat, ut ex me salutem dicas benemeritissimis nostris Institutoribus. Vale, Juli suavissime, facque tibi persuadeas, te quidem plures amicos, sed, cui ego cedam, habere neminem. Natali S. N. J. C. MDXLV. Lugani.

(1) Valerius Maximus, quem Romanum communius reputant, nonnulli ex Mediolanensisibus Scriptoribus, urbem hanc nostram ei patriam adjudicant, veluti Alciatus, (a) & Paulus Morigia, (b) quorum sententiae exteri etiam aliqui accedunt, Gaudentius Merula, (c) Leander Alberti, (d) & Argelatus. (e) Hujus opinionis veluti antesignanus fuit Alciatus, qui nimirum ex Valerii inscriptione, olim ex Sancti Simpliciani Templo effossa, colligere sibi posse videtur, Valerium Maximum, cujus est opus *Dictorum, factorumque memorabilium, revera Mediolanensem* fuisse. En inscriptionis verba:

M. V A L E R I V  
M A X I M V °  
S A C E R D O  
D. S. I. M. S T V  
A S T R O L O G I A  
S I B I E T  
E V E R I A E A P R  
V X O R I  
H. M. H. N.

In porticu hæc visitur ædium Illustr. Marchionum Fratrum, Hieronymi Aloysii, & Antonii Talentorum de Florentia nuper inibi feliciter detecta, unacum inscriptione alia, de qua infra libro XII epistola 33, cum ambæ diu ibi prorsus latuissent, parietis tectorio, seu calce obductæ. Allatum de Valerio monumentum exhibent Alciatus citatis locis, Apianus, (f) Gruterus, (g) Paulus Merula, (h) Gaudentius Merula, (i) Argelatus, (k) Albertus Fabritius, (l) & Anonymus Laudensis, Cod. apud nos 268. pag. 297., qui ad alium ibi referendam inscriptionem putat ab eo Valerio Maximo, quem intelligit Alciatus. Ejus verba in medium proferam, ut facta nimirum hujuscem, atque Alciati argumentorum, si Lector velit, collatione, consultius hac de re, certiusque ferre judicium queat. Sic autem scribit: *primo aspectu quemque potest inducere* (allata nempe inscriptione), *ut credas hunc Valerium illum esse, cujus novem libri priscorum exemplorum maximo*

(a) *Rer. Patr.* lib. 2. & in *Inscript. Cod.* 123.  
apud nos pag. 41.  
(b) *Nobilità di Milano* pag. 196.  
(c) *Antiquit. Gall. Cisalp.*  
(d) *Descriz. d' Ital.*  
(e) *Biblioteca Mediolan.*

(f) *Inscription.* pag. 44.  
(g) *Inscript. antiqu.* p. 313.  
(h) *Coinograph.* pag. 1299.  
(i) *Cit. lib.* pag. 32.  
(k) *Cit. lib.*  
(l) *Biblioteca.*

cum honore circumferuntur, non enim repugnant Sacerdotii dignitas ac Astrologiz studium, historiarum compilationi, cum & ille Sacerdos, & Astrologiam studioſus ex præfatione sui operis Tiberio Cæſari præſerre videatur (sic). Verum hunc Mediolanensem, illum verò Romanum fuisse judico, cum pronomen M. huic detur, quod illi non tribuitur (monitum hic Lectorem volo, Valerium Maximum Marci nomine insignitum legi in Cod. Heiniano ex Alberto Fabricio in Bibliotheca) & illius vita narratio Romanum fuisse testificatur, cum Romanam urbem nostram appetet, & legationem Romanam nostram, ac exercitum populi Romani nostrum vocet. Si tamen hic Valerius Romanus est, potius intelligendum est de illo M. Valerio Maximo, de quo habetur apud Ciceronem in libro de Claris Oratoribus, qui ita inquit: videmus etiam paucis ante annis post Reges exactos, quum plebs prope ripam Anienis ad tertium miliarium consedisset, eumque montem, qui sacer est appellatus, occupavisset, M. Valerium dicendo sedavisse discordias. Hæc Anonymus Laudensis, quem ita appello, quia de ejus nomine nihil mihi compertum, illudque tantum ex Codicis lectione perspexi, Laudensem fuisse, (ibi pag. 243) hacque in patria sua opus illud elaborasse (ibid. pag. 120. 188. 494.) circa medium saeculi 16, ut ex variis, quæ in eodem opere sparsim leguntur.

Quomodo celebre istud Valerii monumentum ad Florentios devenerit, aliter scribit Anonymus noster in dicto Cod. 268., & aliter laudatus Merula, (a) hic enim inquit, ex S. Simpliciani Templo (ubi illud extare ajebant Apianus, & Gruterus) Gabrielem Florentium ad ædes suas transferri jussisse. Anonymus autem lapidem illum extare scribit in ædibus Hieronymi Florentii, illuc a Gabriele Florentio ex Laude Pompeia translatum.

Gabriel Florentius Senator fuit initio saeculi 16, diciturque ab Andrea Alciato: (b) *Vir consularis dignitatis, omnisque historiae scientissimus*. Hieronymus Talentus de Florentia nepos fuit Gabrielis, filius nempe Ambrosii Senatoris, qui Gabrielis frater. Laudis Pompeiae Praetorem egit anno 1552, obiitque 1571. (c) Duo hi clarissimi viri ex Florentia familia, una cum aliis, in unica inscriptione laudantur, quæ antiquo charactere scripta habetur in tabulario Marchion. Talentorum de Florentia, qui, ut eam typis mandarem, libentes, atque humaniter tradidere.

D. O. M.

IO. ANGELO TALENTO VRBE FLORENTIA ORIVNDO  
GENERE NOBILISSIMO IVR. CONS. SEN.  
MVLTIPLICIQVE LEGATIONVM MVNERE IN GRATIAM  
PRINCIPVM SFORT. EGREGIE PERFVNCTO  
AVO

AMBROSIO TALENTO FLORENTIO IVR. CON. SEN.  
ET REGIO LIBELLOR. MAGISTRO POSTQVE SVSCEPTOS  
EX IVSTIS NVPTIIS LIBEROS ASTENSI ATELLANO  
ANTISTITI OPT.

PATRI

GABRIELI TALENTO FLORENTIO SACER. PROTONO.  
IVR. CON. REG. DVCA. CAESA. VENA.

PATRVO B. M.

THEODORVS ET HIERONYMVS  
FR. F. F. C.

(a) *Gall. Cisalp.* lib. 1. cap. 5.

(b) *Opuscoli Filologici* tom. 41. pag. 143.

(c) Ex Sitono de J. PP. Colleg., & ex Actis ejusdem Colleg.

Unum adhuc ad Valerii monumentum, quod supra laudavi, addendum mihi superest, visum nempe, expositumque fuisse a Francisco Cicereio. In antiquis enim ipsius *Monumentis* apud Princip. Belgiojosium pag. 22. inquit: *Ego legi in lapide, quem in ædibus suis habent Florentii viri ornatissimi, H. M. H. N., hoc monumentum heredibus negetur.*

Multa Valeriorum monumenta antiqua passim vel visuntur, vel olim extabant, Mediolani, ac propinquis in locis, ut ex Apiano, Grutero, Puccinello, aliisque inscriptionum collectoribus, simulque interpretibus nondum evulgatis, qui apud nos sunt, Cod. 113. 259. 268. & aliis, tum etiam ex antiquis monumentis collectis a Lazaro Garaffino Episcopo Novocomensi, & in porticu sui viridarii collectis anno 1644, quæ in miscellaneis nostris habentur.

Tot Valeriorum antiquæ inscriptiones, quæ in Mediolanensi regione occurrunt, ut frequentiora sane aliorum quorumvis nomina in priscis lapidibus cælata minime legas, vetustam esse Valeriorum Mediolanensem familiam comprobant: & quidem in inscriptione, quæ extat Cod. 268. pag. 401., ac fuisse dicitur in Tabernario vico, legitur:

L. COELIO VALERIO VI. VIRO MEDIOLANENSI &c.

Valeriorum nomina nonnullæ produnt inscriptiones, quæ Mediolani sunt in hortis *Archintorum* dictis; alia vero Valeriae gentis maxime insignis ea est, quæ non multis abhinc annis ex infimo solo prope *Templum S. Celsi*.<sup>(4)</sup> aptiori in loco ad parietem apposita est in area ejusdem Templi, sic vero se habet:

ARCAM. CONPARAVIT. ET AVR

O : VALERIA . VIRGINIA . MEA QVI . VIXI  
T. ANNOS MECVM . XXVII MENSIS . IIII SIC

FATO . DECESSIT

Affertur a Puccinello, (b) nostro Alciati Cod. 113. pag. 35., alioque Anonymi 268. pag. 151. Quæ autem Alciatus in hanc inscriptionem inibi adnotavit, adscribere non gravabor.

*Ad Celsi, cui Fanum est extra urbis mania, area est effossa antiquis inscriptis literis, quæ, cum aperta fuisset, duorum ibi corpora uxor, arbitror, & mariti inventa sunt, omnibus integris membris, præter nasi summum, & vestes, quæ, et si cociceæ essent, atque adhuc inter se conservæ, vel solo tamen tactu rumpebantur, & cadebant. Certe ipsam mulierem contendebam esse Virgineam, cuius libentius mentionem facio, quoniam Virginiorum familia apud nos in honore fuit. Quod & eorum tumulus a me supra relatus indicat, nec minus Virginius Rufus, quo nemo apud Dionem, & Plinium Cæciliū celebratior, ut tanto cive habeant, cur gaudere possint hac gloria Mediolanenses adauerti.*

In eandem inscriptionem in alio etiā Codice, n. 268, animadversiones habentur nedum præfati Anonymi, sed etiam autographæ aliæ Jacobi Valerii, sed sufficiat Alciati annotationes adjecisse.

(a) S. Martyris ibi jacet Corpus, de quo, itemque de cultu ejusdem perquam eruditum opus hoc anno in lucem edidit Cl. D. Cajetanus Bugati unus ex Ambrosianæ Bibliothecæ Doctoribus.

(b) *Memorie di Milano* pag. 34.

## EPISTOLA VII.

P. MARTYRI ROSINO S. P. D.

**ARGUM.** *Gaudio afficitur, quod is litterarum studio, ut par est, animum adjungat: summopere laudat, quod Ciceronem suis in scriptis studeat imitari.*

**I**NCREDIBILEM lætitiam me ex superioribus literis tuis percepisse intellexisti, cum tales essent, ut me hortarentur, quo te eruditionem consequuturum sperarem; ex proximis vero, quæ non solum me sperare te profectum, verum etiam firmum esse, quod speravimus, ostendunt, quantum voluptatis, quantum lætitiae, quantum denique gaudii cœperim, non queo literis consequi. Verum quonam gaudio Matrem tuam, & cognatum Petrum Bonum tuum affectos existimas, cum ad eos ejusmodi nuncium attulerim? nempe incredibili. Nec mehercle injuriā: vident enim nunc te, de cuius ingenii cultu jam desperaverant, non parum adhuc profecisse. O beatam Matrem tuam, quæ nunc te litterarum studio animum adjunxisse, clarum atque perspectum habet, cum antea, quoties de te mentionem faciebat, de quo actum, atque transactum putabat, tanta vi lacrymarum impediabatur, ut sermonem imperfectum relinquere cogeretur. Sed nunc ad ea venio, quæ ad respondendum attinent. Scribis te ea de causa tardum in scribendo fuisse, ne in eum errorem amplius incideres, in quem te in superioribus literis lapsum esse, ex superioribus meis cognovisti. Quare scias velim, me nequaquam vitio dedisse, quod in tuo illo epistolio M. T. Ciceronem imitareris, imo laudavi id, quod debui; nam eum imitaris, qui solus omnium fere doctorum consensu, & judicio imitatione dignus censetur. Quis enim, ut breviter dicam, melius dixit, aut scripsit, quam Cicero? Tu vero ex te illud addidisti, nam me id dixisse minime verum est, nempe te omnia, quæ scripseras, ex Cicerone surripuisse. Quod si fecisses, non iccirco peccasses, imo te majore laude dignum existimassem; id enim vere est imitari, verbis Auctoris uti, si ad ea faciunt, quæ scripturus sis. Sed jam plura scribebam, nisi docendi cura me a scribendo avocaret. Illud tantum scribo, quod meus incredibilis in te amor cogit, quodque epistolæ ordo ex suo quodam jure postulat. Cognovisti quantæ voluptati & mihi, & cæteris omnibus,

qui te amant, tuæ fuerint literæ, quæ omnium de te spem, & expectationem valde auxerunt. Habes me summopere laudare, quod Ciceronem imiteris, pro cuius imitatione orationem latinam efficies. Unum igitur illud restat, ut diu maneas in hac sententia, &, quod cœpisti, in eo pergas, idque feliciter perficias. Id enim si feceris, non dubito quin facias, hæc assequeris: laudaberis, amaberis, observaberis, gratus omnibus eris, omnium expectationem viceris, saluti, atque honori tuo mature consulueris. Vale. Lugani, Nonis Februarii MDXLVI.

## EPISTOLA VIII.

JOANNI OPORINO BASILEENSI TYPOGRAPHO  
DILIGENTISSIMO ET EIDEM ERUDITISSIMO S. P. D.

**ARGUM.** *Libellos accepit diligenter excusos, quodque pretio tenui sibi iudem fuerint traditi, in maximi beneficii loco habet. Libri alii quanti veneant, scire exoptat.*

**I**DIBUS Decembr. qui meas literas tibi attulit, idem tuas mihi reddidit, deditque, quæ abs te petieram, 300 exemplaria ejus libelli, quem tu in meam gratiam typis tuis commisisti. Quæ mehercule te mihi eum esse ostenderunt, quem, priusquam mihi tecum res fuisset, existimabam; cum ea opera, quæ tu excudi cūrass̄, legerem, aut, qui te nominarent, audirem, nempe virum bonum, & eundem summa virtute, & singulari humanitate præditum, nec putas velim me hæc assentationis causâ nunc dicere: nihil enim est, a quo magis abhorream, quam ab assentationibus, quodque æque oderim, ac cuiquam assentatorie aliquid scribere; quæque enim scribo ex animo proficiscuntur, nec alia sunt ab eo, quod sentiam. Siquidem tuum in me non vulgare beneficium, & mihi adhuc ignoto gratificandi studium efficiunt, ut non solum cum æqualibus meis laudes, quas mereris, tibi tribuam, & tibi me devinctum esse ingenue fatear, verum etiam, ut tecum loquens tacere non queam quid de te sentiam, sentiremque & antea, cum mihi tecum nullum adhuc fuisset commercium. Nec mehercule injuriâ. Cum primum enim quid abs se peterem cognovisti, omnia gravia, magnique ponderis negotia, quibus eo nundinarum tempore distinebaris, reliquisti, seposuisti, ut mihi morem gereres, & meum illum libellum excuderes. Qua in re, quantum mihi satisfeceris, vix possem consequi. Ejus

enim libelli faeies, & impressio adeo pueris meæ fidei commissis placet, ut nullo fere labore ad literarum rudimenta percipienda impellantur, cuin libelli, tanta typorum venustate excusi, lectione summopere delectentur. Illud etiam tuum in me beneficium accrescit, quod eo precio non parvam mihi eorum libellorum copiam misisti, quo certò scio, si tibi cum alio commercium fuisset, minime vendidisses; plus enim tibi dari voluisses. Quapropter tibi persuadeas velim, tui in me maximi beneficii memoriam, nullam unquam deleturum oblivionem. Faxit Deus Optimus Maximus, ut tibi aliquando gratiam referre possim, habeo quidem semper; gratissimum igitur erit, si mihi offeretur occasio, qua tibi gratificer, & me tibi gratum esse ostendam. Quare tuum est mihi imperare, & uti meâ operâ, si quid hîc tuam in gratiam per me fieri posse cognoveris. Quod si feceris, me ad omnia iussa tua exequenda apparatissimum esse intelliges. Sed de his satis. Si tibi, quod mihi gratissimum erit, ad me rescribere placuerit, velim signifies, quanti hæc opera vendere soleas: Homeri Græca, Isocratis Græca, Theodori Gazæ Grammatica Græca, Erasmi Adagia. Vale eruditissime Oporine, & me, quod facis, ama. Lugani, xiii. Kal. Februarii MDXLVI.

## E P I S T O L A IX.

JULIO CATTO S. P. D.

**A**RGM. *Amicitia quæ vera sit definit, eamque sibi cum illo intercedere affimat; quod priscos, ac maxime Tullium imitari curet, gratulatur, & gaudet.*

**B**REVITER ad tuas gratissimas literas respondebo, quod docendi curâ impeditis non multum temporis ad scribendum suppetat. Quod sentis, nulla alia de causa utriusque nostrum literas alteri esse jucundissimas, quam propter studiorum communitatem, & conformitatem, bene te sentire existimô. Amicitia enim non alia ratione contrahitur: amicitia, inquam, ea, quæ vera censemur. Id quod & Ovidius hoc versiculo attestatur (*a*):

*Ruficus Agricolam, miles fera bella gerentem,  
Rectorem dubiae navita puppis amat.*

Genus autem hoc amicitiæ inter nos esse confido, semperque futurum, nam, cuin ortum habuerit a virtute, quæ æterna est, & ipsa

(*a*) *De Ponto* ep. v. 61.

erit æterna. Hæc igitur, cum nos disjunctos esse moleste ferat, literis nos colloqui, & fere præsentes esse delectatur. Quare non potest non gratum esse, quod facere cœpimus; a quo ne desistas precor. Id enim & ego minime intermittam, cum eo pacto tui desiderium æquiore animo ferre consueverim. Quod scribis, epistolæ meæ chartam adustam, me tam raro a studiis recedere, tibi indicio fuisse, ut non solum diem, verum etiam bonam noctis partem conteram; vide ne potius id me tibi desidem in illis, & ignavum esse significarit, qui ad ignem epistolas scribam. Admoneam igitur te, cujus animus in studia est admodum intentus, ut me imiteris, cujus ingenium torpet? Hoc si faciendum existimas, stultitiae notam tibi inuram. Illud profecto tibi gratulor, & mihi gaudeo, quod tantopere priscos imiteris, nam & dictione M. Tullium multum refers, & scribendo unam tantummodo chartæ faciem delineas, & characteribus reples: non enim antiqui in tergo scribere (1) consueverant. Sed, ut has nugas omittamus, velim, si isthic est Pompeius Heri mei filius, (nam esse audio) eum ex me salutes, horterisque, ut sibi persuadeat, me nunquam quantum ipsius Parentibus debeam esse obliturum. Item posthac velim tibi persuadeas, literas tuas minime gratas fore, nisi illis aliquid de Fratre tuo, de Natali nostro nunciaveris; dicerem etiam de Institutoribus tuis, nisi tibi tantum oneris imponere me subpuderet. Vale. Lugani, prid. Kal. Intercal. MDXLVI.

(1) Ludovici Vivis (a) verba huic loco illustrando idonea sunt. *Una in facie olim scribabant, nam, quæ duabus essent scripta, ea nuncupabant opistographa, cuiusmodi erat Orestes ille Juvenalis: (b) scriptus & in tergo, nec dum finitus, properea quod una tantum facies erat levigata, & literis recipiendis idonea, nempe interior, quæ carnea sane nuncupatur, exterior autem villofa.*

(a) In *Miscell. de Veteri Epistol. consuetud.*  
(b) *Sat. I. v. 6.*

## E P I S T O L A X.

FRANCISCO CASTANEO S. P. D.

**ARGUM.** Negotiis admodum distinguitur; de Castanei studiis bene procedentibus gratulatur; Fratrem ejus vexationibus affici dolet.

**B**ACCHANALIBUS redditæ sunt tuæ mihi literæ. Quare, cum paullò post ad te rescribere constituisssem, ingruerunt mihi negotia quædam domestica, quæ me a scribendo sevocarant, adeo ut has meas literas

in hunc usque diem rejecerint. Audio tua Medicinæ studia prosperrime procedere, id, quod tibi gratulor, & mihi gaudeo; nec enim id mihi minus gratum est, atque mihi contigisset. Illud tamen non parum doleo, quod audiam Fratrem tuum, & eundem Mæcenatem meum vexari. Sed tamen ille me consolatur, qui inquit: *non vidi hominem justum derelictum;* (a) non dereliquetur tandem, & quantis virtutibus valeat, exploratum erit viris bonis, atque prudentibus. Sed minus nobis dolendum est, propterea quod videamus fere viros optimos non sibi, sed Reipublicæ natos, ita tractari. Mater, & Soror tua belle se habent, idemque & tibi exoptant; quod ex meis commodis maximam voluptutem capias, facis tu quidem, ut soles, qui tuam in me incredibilem benevolentiam præ te feras. Quos voluisti per me salutari, salutavi, iidem te resalutant. Sed velim mihi pares vices rependas, & mutuam operam reddas, ut Andream Camutium, Philosophum insignem, Patronum ac Mæcenatem meum bene meritissimum ex me salutes. Scio nuper isthuc venisse Marcum Somatium discipulum meum, quem vellem salutares, nisi hinc me insalutato discessisset. Eum tamen tibi commendando, si modò apud te commendatione egeat. Vale. Lugani, x. Kal. Aprilis MDXLVI.

(a) Psal. 36. v. 25.

## E P I S T O L A XI.

JOSEPHO MUGINO S. P. D.

**ARGUM.** *Ternis litteris responderet. Ad primam, de Mugini eruditione, & singulari in se benevolentia gratum se esse ostendit; ad alteram in posterum responsorum spondet; ad tertiam, ejus Fratrem summæ sibi curæ habere.*

**L**ITERAS, quas te mihi misisse scribis, omnes redditæ fuerunt, sed non eo, quo tu dederas, ordine. Nam quas XII. Kal. Martii scriperas, aliquot ante diebus accepi, quamquam jam XVIII. Kal. dederas. Quare vides, quanta sit Nunciorum negligentia. Ad harum nullas haec tenus respondi, non quod nollem ad te scribere, ut opinaris, cum saepius jam id fecerim; sed certe quod negotia quædam domestica me multum temporis a scribendo avocaverint. Quare, cum detur, nunc ad eas ordine respondendum esse censeo. Scribis meas literas, quas tibi Laurentius noster attulit, plurimam lætitiam tibi attulisse; id facile crediderim, idque ex me conjicio, cui tuæ adeo gratæ sunt, ut nihil

nihil supra; & id quidem duabus de caussis, primū, quod illæ tuam in me singularem benevolentiam testentur; deinde, quia ex illis clarum, atque mihi perspicuum sit, tuam in dies eruditionem accrescere, quo nihil mihi gratius esse potest. Neque solum id a te fieri video in Latinis, sed etiam in Græcis literis; quare fit, ut illæ ed etiam mihi gratiore sint. Quod de Mœcenate meo, & eodem præceptore tuo scribis, id mihi quidem jucundissimum est, idque perpetuum illi esse cupio, cui mehercule doleo, non posse me pro innumerabilibus ejus in me officiis gratiam referre; sed ut ait ille: (a)

*Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

Quamobrem, cum non detur referre, habebo saltem semper. Hæc sunt, Josephe mi, quibus responsum velim ad primas tuas literas. Nunc ad alteras venio, in quibus unum tantum est, quod responsum requirat. Vis enim, in eo tibi obtemperem, ut crebrius, quod major amor noſter fiat, meis te literis invisam: id libenter in posterum me tibi præstaturum fore polliceor. Quid autem cauſæ fuerit, quod in rescribendo hoc tempore piger fuerim, jam supra exposui; quamobrem restat, ut ad proximas respondeamus. Quod tibi gratum fuerat, me Lugani ludum literarum aperuisse, non miror, cum, quod soles, facias. Quod vero Fratrem tuum meæ fidei commissum nulla apud me commendatione egere judicas, recte te judicare censeo. Est enim tui apud me loco; nec puto unquam futurum, ut mihi dedecori sit, eum sub me militasse: adeo gnaviter in literas incubuit; sed doleo eum hoc tempore in febrim incidisse. Sed, quoniam puto me, respondendo tribus tuis epistolis, nunc tandem satisfecisse, restat, ut mihi salutes Mœcenatem meum, tuque valeas. Si videris Julium Cattum, juvenem mehercule φλήσον, (b) fac eum ex me diligenter salutes. Vale iterum. Lugani, x. Kal. Aprilis.

(a) Ovid. 3. de Ponto Eleg. 4.

(b) Studioſum, ſeu gratioſum.

## EPISTOLA XII.

JOANNI MENABENO S. P. D.

ARGUM. *De libello judicium petit.*

TANDIU habes apud te libellum meum, & te eum legiffe non ignarus sum. Quare scribe, quid de illo sentias. Pluris enim faciam censuram tuam, quam invidorum omnium morsus. Vale, & me discipulum tuum ana. Lugani, xiv. Kal. Maji MDXLVI.

M

## EPISTOLA XIII.

JOSEPHO MUGINO S. P. D.

**ARGUM.** *Idoneos se nondum habere discipulos, quibus propositos ab eo prælegere canones queat, aliena reddenda admonet. Morbo cum vexetur identidem, pangendis haud aptum esse carminibus.*

**E**x tuis literis, quas proxime accepi, cognovi epistolam meam, quam tibi Avunculus tuus reddidit, quam gratissimam tibi fuisse, quod, et si minime scripsisses, facile credidisset. Quapropter sic & de tuis, quas ad me scribis, velim existimes, quod crebriores mittuntur, ed esse gratiiores; & id quidem pluribus de caussis, quas non ignotas tibi esse confido. Quod de regulis eruditissimi Præceptoris nostri scribis, id breviter scias velim, pueros meæ fidei commissos eruditionis nondum ed pervenisse, ut canones aurei mehercule eis prælegi debeant: vix enim nominum, ac verborum inflectionem perceperunt; cum vero aliquantulum profecerint, quod brevi futurum fore spero, cognosces; an quod, cum Mediolani essem, laudabam, nunc id meritò spernam, atque inutile existimare videar, quod cæteris ejus generis facile præponerem. Sed hoc satis. Proximas tuas literas, cum lætarer tuæ eruditionis incremento, ostendi Francisco Joannis Menabeni institutoris filio, qui, cum eas legisset, mulum de te loquutus est, neque parum questus est, quod sibi nunquam reddidisses, quæ tibi, ut adservasses, dederat. Cum, quid hoc esset, nescirem, quæsivi quidnam tibi commisisset, quare dixit se pugionem, & librum quandam manuscriptum commisisset, teque ea habuisse, nunc ire inficias; quod mehercule non facile credidisset, nisi &, qui aderant cum eo, id affirmassent. Nec profecto injuriâ, nunquam enim te ejus generis esse cognovi, ut, quæ aliena sunt, tibi afferas, cum te non lateat, eam rem viro bono, ne dum Christiano, indignam prorsus esse. Attamen fit, ut ita rem sese habere existimem, ut & Franciscus te immeritò accuset, & tu, quæ is dicit, ex se habeas, sed ita ut, dum ille ea tibi credidit, & hinc se absolvit, tu quoque hinc discedens id oblivioni tradideris: quod sæpe iis accidit, qui gravioribus negotiis animum intentum habent. Peccasti igitur, pro ut certò habeo, imprudenter. Quamobrem cura, ut quamprimum, quæ ejus apud te sunt, ei restituantur, ne pro tantillo animum adolescentis amicissimi alienes, cum præsertim is sit, qui Insti-

tutoris olim tui filius sit. Sed quid hæc? cum citius, ut ajunt, dicto, posteaquam in memoriam rediit, eas sis transmissurus. Transmittes igitur ea ad me, si lubet, ut apud eum idonea excusatione uti possim. Cum hæc scripsisse in memoriam rediit, te lepidis aliquot versiculis, me ad scribenda carmina invitavisse. Qua quidem in re tibi libenter morem gererem, nisi multæ mihi causæ essent impedimento; quarum præcipuas recensebo, ne id me fingere existimes. Primum excruciat me dolor ex valetudine Matri meæ; deinde non rarer ter sebris in me reciprocatur; quæ mehercule fuit in causâ, quin has literas a Fratre tuo acceperis. Quæ qui habet, non facile carmina facere poterit, si Ovidio credendum est, qui ait: (a)

*Carmina proveniunt animo deductâ sereno.*

Ait & idem alibi: (b)

*Carmina secessum scribentis, & otia querunt.*

Quare vide, an fieri possit, ut carmina ego faciam, qui tot negotiis sum circumventus, ut temporis pars minima literarum studiis impendatur. Accedit, quod etsi, quæ recensui, minime mihi obstant, huic tamen epistolæ versiculos addendos esse non putarem, ne scilicet extra limites suos progrederetur. Verum, cum id nunc .... cognoveris, dabitur in posterum. Valeas igitur, & Mæcenatem meum salvere jubeas.

MDXLVI.

(a) Lib. 1. Trist. El. 1.

(b) Ibidem infra.

## E P I S T O L A XIV.

PAULO MANUTIO (1) ALDI (2) FILIO S. P. D.

**ARGUM.** *Studium ac benevolentiam suam profitetur, Aldum ejus patrem magnis extollit præconiis. Pauli ejusdem eruditionem doctrinamque commendat.*

**V**ix crederes, doctissime Manuti, quam tandem incredibili cupiditate ardeam, ut te & videam, & colloquar etiam; sed haec tenus minime darum est, ut huic meo desiderio satisfacerem. Quod cum ita sit, illud tandem differre nolui, cogitavique id saltē literis, quod coram facere institueram. Quid autem me huic .... festinaverit, scire potes etiam me tacente. In manibus habeo fere quotidie eruditissimorum virorum opera, quæ ex Aldi patris tui officina prodierunt, imo & quæ ipse composuit. In quibus cum intueor, atque considero, quantumnam

M ij

diligentiam, quantum laboris, operæ, industriæ, atque patrimonii insumperit, ut a situ, quo per tot sœcula obducta fuerant, ea vindicaret, sit, ut doleam, mihi per ætatem minime licuisse, quantascumque possem gratias agere ei viro, cui & vivo debuerunt, & mortuo semper debebunt omnes, qui literas amant, ac profitentur. Fuit enim is literarum restaurator, illas enim amissas nobis restituit, pristino candore . . . . eas non parum auxit. Quod ejus in Plautum Commentaria, Grammatica tum Græca, tum Latina, multaque alia probe testantur. Sed quid ego indoctus virum ab eruditissimis nunquam satis laudatum coner laudare? Redeat igitur, unde effluxit oratio. Cum igitur Patri tuo, cui plurimum debebam, gratias agere vel literis non potuimus, ad te videndum venire constitueram, & gratias tibi meritas egissem, meque tibi plurimum debere profiterer. Sed in præsentia, cum facere non licuerit, in aliud tempus distuli, interim per has literas tibi maximas gratias agens. Invitarunt me ad illud faciendum virtutes, quæ in te sunt maximæ, tu enim per pulchre Patrem refers, paternæ virtutis vestigia in te sunt expresa. Patris enim summa eruditio, eloquenia, omnium pene rerum cognitio, multijuga disciplina in te conspiciuntur. Id enim videre est ex iis, quæ tu conscribis: cui enim eruditio viro non placent tuæ annotationes in M. Tullii Epistolarum Familiarium locos obscuriores? Placent, & ab omnibus meritò laudantur. Artem vero typographicam multò elegantiorem reddidisti, quam Pater tuus. Quare, quod potius divinum est, quam humanum, meritò dicere possumus, te Patre majorem esse. Verum veniam abs te mihi datum iri spero, quod apertius forte, quam par erat, te laudarim, præfertim cum nihil soleam alicujus auribus dare. Hoc enim meus in te doctissimum virum amor facere coegit. Quod reliquum est, precor D.O.M., ut te diu sospitem præstet, ut pote qui Reipublicæ literariæ maximo adjumento sis, majorique in posterum sis futurus. Vale. Lugani, Kal. Julii MDXLVI.

(1) Venetias hæc scripta epistola est, nam anno illo 1546 infra signata; Venetiis degebat Manutius, quo eodem anno uxorem ibidem suscepit. (a) Scriptam tantum, non autem missam ad Manutium hanc epistolam existimo; namque alia, quam ad eundem scripsit Cicereius anno 1569, quamque non ita prièdem typis edidit Cl. Angelus Maria Bandini, Arreti 1752 (b) [ hæc eadem autographa epistola continetur in Codice Bibliothecæ nostræ n.º 49 ] iis exorditur verbis, ut non aliam eà priorem ad eum misisse epistolam ostendat. In Ambro-

(a) V. Apostolum Zenum, Notizie de' Manuzj. Venezia 1736.

(b) Collect. veter. aliqu. Monument.

Giana Bibliothecā , autographa pariter Manutii epistola est ad Lazarum Bonamicum Venetiis data VI. Idus Decembris 1544. (a) Plures ejusdem MSS. adhuc epistolæ latebant in Gudiana apud Danos Bibliotheca , annotante Morhofio (b) .

In Codice Variorum Carmina tomo I. apud Princip. Belgiosium duo sunt Epigrammata incerti Auctoris in obitu Pauli Manutii ; hæc nempe :

## I.

*Hic , o posteritas , Paulus Manutius Aldi  
Filius , in cineres versus , & ossa jacet .  
Roma dedit tumulum , meritas sed carmine laudes .  
Qui eaneret toto nullus in orbe fuit .  
Defecit vox , & linguæ decus omne latinæ ,  
Scilicet hoc ipso , quod cedit ille , loco .*

## II.

*Paule , licet duro condas data lumina somno ;  
Et terra extincti corporis ossa tegas ,  
Non omnis moreris , nam , dum Romana per orbem  
Lingua , suos culto reddat ab ore sonos .  
Magnis pro meritis divini filius Aldi  
Clarus honorato numine semper erit .*

(2) Aldus hic , senior vulgo dictus , ut ab Aldo distinguitur alio , qui Manutii Pauli fuit filius , a pluribus , itemque a coævo Scriptore celebratur Assarracho Sarracho in Triultiade Mediolani impressa anno 1516 , qui postremus Aldi vita fuit ; (c) de cuius morte reapse verba facit Assarrachus , eo ia opere lib. 6.

*O inopinatam mortem , si viveret Aldus ,  
Cui debet græca , & lingua latina viro .*

Aldi epistolæ quædam autographæ sunt in Ambrosiana , de quibus Petrus Paulus Bosca de Ambrosiana pag. 55.

(a) Quam indicat Petrus Paulus Bosca de Origine & Status Ambros. Bibliotheca pag. 55.

(b) Polybistor tom. I. pag. 317.

(c) V. Morerium Diction. n.

## EPISTOLA XV.

JOSEPHO MUGINO S. P. D.

**ARGUM.** *Antiquam benevolentiam ex litterarum suarum infrequentia paullò imminutam existimare ne velit , suadet . In ejusdem negotio mandata ipsius peracturum , pollicetur . Medicinæ studium juri civili præferendum consulit , simul admonitum , ut Præceptoris sui in id mentem sententiamque exquirat .*

**B**INAS eodem tempore a te literas accepi , quas tu diverso tempore ad me dederas ; ad has igitur ordine respondebo . In prioribus pauca admodum sunt , quæ responsum postulent ; eas enim scripseras , antequam proximas meas accepisses . In his itaque legi te vereri , ne meus

in te amor languescat. Languescat? Non satis, quod pace tua dixerim, plane adhuc me nosti, Josephe mi. Nunquam enim illud, quod vulgo dictum est, apud me locum habuit:

*Qui procul est oculis, procul est a lumine mentis.*

Mei enim in te animi facilè testes essent Pater, & Frater tui, imo omnes domèstici, quos cum video, video enim quotidie, sic soleo: numquid de Josepho nostro? num habetis ab eo literas? Si enim languagesceret, ut ait, meus in te amor, non, puto, hæc dicerem. Atque hæc ed dixi, ut scias me ingenue de te canere posse, quod Tityrus ille Vergilianus de Augusto Cæsare. Sic igitur inquit iniquiam: (a)

*Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi.*

*Et freta deſtituent nudos in littore pisces,*

*Ante pererratis amborum finibus, exul*

*Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tibrim;*

*Quam nostro Joseph labatur pectore vultus.*

Quod autem dixeris, te vereri, ne meus in te animus evanescat, illud fuit in cauſsa, quod fuerim minus creber, ac frequens in scribendo, quod mehercule non facerem, niſi me aliquando negotia adeo impedirent, ut ne latum quidem unguem discedere liceat. Sed detur me nunquam ad te scripſisse; non tamen iecirco ea dicere debebas. Non enim, Josephe, literæ ac scripta ea sunt, quæ inter absentis amicitiam tartam, rectam atque integrum servent, sed animus, quem, qui vere amicus est, ob absentiam, aut quampiam aliam rem, nunquam mutat. Verum tu hanc potissimum cauſsam fuisse dicis, quare illud de amicitia dixeris; ego vero aliter sentio. Siquidem, ut arbitror, non ita apte suppetebant ea, que volebas, ut epistolam tuo arbitratu longam concinnares; id quod & in versiculis epistolæ suppositis fecisti; nihil igitur erat, quod hac de re verba faceres. Verum id tibi concedatur. Feceris: præsertim exercitationis cauſsa. In tuis versiculis, ut jam ad reliqua respondeam, petis ex me, ut aliquot versus scribam. Qua quidam in re, eti nollem, non tamen facere possum, quin tibi morem geram. Atqui audias:

*Carmina me, Joseph, me, quæſo, carmina poſcis?*

*A me, quem Muſæ vix docuere loqui?*

*Carmina ne quæras, cui nunquam favit Apollo,*

*Dulcia nec voluit verba ſonare lyra.*

*Sic poſcis prognos modulos cantare cuculum,*

*Sic petis a corvo, quod philomela daret.*

(a) Ecloga 2.

Sed jam desino, ne longiuscula ineptissimorum carminum lectione in tantum risus adducaris, ut reliqua legere nequeas, quæ seria esse arbitror; his igitur contentus esto. Sed nunc vetustioribus literis tuis respondendo satisfactum esse existimo. Quare respondebo ad eas, quas acceptis meis proximis scripsisti. De pugione, atque libro aliter atque tu respondes, rem se se habere, minime profecto unquam opinatus sum; te enim ab incunabulis probe novi. Sed, ut te expurgem, & illi Francisco morem geram, te admonere volui, et si, cum ille mihi hoc dixisset, non ita esse fretus tuis moribus multum contendissem. Ego hac in re, quæ vis, propediem faciam. Quod autem pro tua in nos benevolentia obfers, non sperno, si quid enim isthic fieri in rem nostram cognovero, admoneberis, sed hactenus respondi ad tuas literas. Sed faciendum mihi videtur, ut ansam præbeam, quam & tu ad scribendum arripias. Alioqui non satis haberetis quid mihi scriberetis, cum Patrem tuum convenissem, ut illum ex literis tuis, quantum profecissetis, admonuissem: is mihi dixit, se abste per literas consultum fuisse, cuinam potissimum studiorum generi animum tuum adjungeres, Medicinæ ne, an Juri Civili. Hoc mehercule consilium tuum non potui non vehementer laudare, qui in re gravi tam diligenter Patrem consulas. Is igitur me sibi in consilium adhibuit; quamobrem multis verbis ulro, citroque factis utilius videbatur, si Medicinæ operam dares. Jurisconsultis quidem magnæ opes parantur, patetque ad magnos honores aditus; atque Jurisconsultis nostratibus hoc forte difficultius, neque in nostro oppido nullus est illis locus. Medicis autem contra ubique locus est, ruri etiam habent, unde lucentur; quanvis amplissimos illos honores non consequantur. Hæc a nobis non eò dicta esse existima, quod te in sententiam nostram adducamus, sed potius, ut quid nobis faciendum videbatur, ac placebat, exploratum habeas. Deliberatio hæc tota tibi in integro est. Te consule, ex te consilium capere, positis tamen ob oculos exemplis nostratium, & Jure consultorum & Medicorum exemplis. Ita enim siet, ut prudentius deliberes, nec instituti tui pœnitreat. Placebat etiam, ut, si tibi videretur, Præceptorem tuum hac in re tibi adjungas, eumque consulas; quis enim melius consilium tibi administrare poterit? Quis prudentior consultor? Is enim est, qui nullius propemodum scientiæ est expers; si volueris Medicinæ insudare, is efficiet, ne tanquam hospes te in Ticinense gymnasium conferas. Sed quid hæc? Tu proprius vides hæc, quam ego, tu tamen ad illud studiorum genus animum addicas, ad quod parandum, te magis idoneum, atque propensiorem esse cognoveris. Dabis

operam, ut Jerargo præceptor tuo, & eidem Mæcenati meo observandis. salutem plurimam dicas, xv. Kal. Julias MDXLVI. Lugani.

## EPISTOLA XVI.

FRANCISCO JERARGO S. P. D.

**ARGUM.** *Non oblivione, sed pudore se a scribendo revocatum.*

**M**IRUM tibi videri potest, Jerarge doctissime, quod tandiu nihil ad te scripserim. Hoc igitur quare factum sit, te cognoscere cupio, ne id accidisse oblivione tuorum in me meritorum existimes. Quoties enim illius tuae in me benevolentiae in mentem venit, id enim fit quotidie, tanto pudore corripior, ut nullo pacto ad te scribere audeam. Video enim nunquam mihi datum esse, ut aliquo saltē munusculo me tibi gratum esse ostenderem, neque mihi concessum est, ut ibi sim, ubi aliquid tuam in gratiam per me curari posse cognoscerem. Sic igitur gratus sum in Jerargum, per quem, quidquid in me est, adsequutus sum? Quum meum ita agatur, quanam fronte ad te scriberem? Decreveram ad te nunquam scribere, adeo me pudebat. Sed cum hoc tempore recordatus sim melius, quam unquam aliás, hoc meum consilium repudiavi, decrevique ad te aliquid literarum dare, ut verbis saltē me tibi debere appareat. Interim aperto, ut ajunt, ore occasionem, qua tibi gratificer, expestantabo. Sed de his aliás pluribus. Josephum nostrum nulla commendatione egere intelligo, neque opus est admonere cures, ut propediem tantum profecerit, ut ad altiora scientiarum semina animum applicet. Quandoquidem te in eum eo semper animo fuisse cognovi, ut loco filii habeas. Hunc admoneas velim, ut literas ad me mittere non intermittat, jam enim intermisit; nullas enim abhinc mense uno ad me transmisit. Sed jam cesso, non enim par est, ut pluribus caput obtundam. Lugani, iii. Kal. Quintil. MDXLVI.

## EPISTOLA XVII.

AUGUSTINO PLANTÆ S. P. D.

**ARGUM.** *Carmina excripta mittit.*

**T**UA in me singularis benevolentia efficit ut me carminum, quæ tibi ab humanissimo, eodemque nobiliss. viro missa sunt, participem feceris.

Hæc

Hæc igitur, cum primum accépi, excripsi, quanvis serò domum venissim; exscriptorum vero, & tu exemplum ex me habeas velim. Id nunc accipe.

Hieronymi Frick (a) in laudem Excellentissimi J.U.D. D. Ulrici Zafii. (b)

*Zafius ingenio præstans, calamoque disertus  
Præstuit ornandis juribus auxilium.  
Totus ab ore fidus, calamoque fidelior illo  
Nullus erat, dono hoc crevit, honore, opibus.  
Ergo, dum minor est meritis tua gloria, Zafi,  
Jura juvasse tibi gloria magna satis.  
Sat fuerit, quod te omnis amat, laudatque juventus,  
Et dicat: felix Zafius astra colat.*

Sequentia mihi tradita ab eruditiss. viro D. Hieronymo Frick cive Bernense Capitaneo moderno Lugani, sub die Dominica 1. Augusti MDXLVI., dum equitabamus Sonvicum.

*Hieronymus Frick D. Augustino Plantæ suo.  
Quî fit, ut immerito mittas tua dona frequenter?  
Scilicet, ut vivam totus in ære tuo?  
Totus, ut ante fui, efficiar, totusque per omne.  
Tempus, & officii nil tibi redbo mei.  
Quando ita vis gratis tecum contendere donis  
En age, vincenti, cesserò sponte tibi.*

Cum considero, quām decenter incedant, quam amoenis jocis condiantur isti versiculi, quanta denique sententiarum gravitate polleant, non possum facere, quin suspiciam hujus tanti viri eruditionem; & præterea maximas D. O. gratias agam, qui huic nostræ Reipub. Luganensi hunc virum e cælo demissum, hoc vere felici biennio, præesse voluerit. Nec mehercule immeritd; ea enim, si unquam fuit, beatissima tali ac tanto Prætore est futura. Quod facilè Plato comprobat, qui tum deum beatum terrarum orbe futurum prædicavit, cum aut sapientes regnare, aut reges sapere cœpissent. Sed dabitur alias laudandi locus. Nunc cum epistolaris angustia plura non patiatur, finem faciam dicendi mihi. Tu vale, & me, ut soles, ama.

(a) Hieronymus Friccius in epistola Majoragii ad Franciscum Cicerium, quæ in collectione habetur Gudii pag. 125 græce, & latine dicitur *peritissimus*.

(b) Quem laudatum videoas apud Morerium, Ghilinum, & in *Elogiis Joannis Cloeseri*.

## EPISTOLA XVIII.

JOSEPHO MUGINO S. P. D.

*ARGUM. Tarditatis in respondendo se purgat. Falsum rumorem de bello circumferri scribit. De Fratribus Mugini ægritudine dolet. De quibusdam sibi nuntiari exoptat.*

**S**i quibus meas ad te literas dedi, ii eas, quo tempore debebant, tibi reddidissent, nihil esset, quod me tarditatis insimulares. Quo enim tempore eas ad te dederim, facile te ex illis jam jam cognovisse existimo. Si igitur meæ literæ tardius tibi redditæ sunt, quam par erat, id mihi non est adscribendum, sed tabellariis. Verum obmitto tabellariorum negligentiam, & tarditatis in caussa me fuisse, tibi facile concedo; non tamen tuum id erat dicere, te mirari quod tardiu tacerem. Opinor enim te adhuc memoria tenere, quanam lege, cum hinc discedere velles, te sèpissime mihi scribere voluerim, èâ mehercule, ut tu sèpius, quâm ego scriberem. Ita enim fieri par erat, quod tibi plus otii daretur, quam mihi negotiis undique circumvento. Quanquam constitueram literas tuas expectare, quibus te parum prudenter fecisse, ut me tarditatis accusares, confitereris; tamen, cum parvulum laxamenti nactus essem, ad te scribere volui. Quotiescumque ad me scribis, non tibi satis est epistolas tuas literulas appellare, nisi easdem & ineptas, & insipidas voces. Obsecro, Josephe mi, ne tantopere illas apud me extenua; id enim facias velim, cum ad eruditum aliquem scripseris, cui tu minus notus sis. Quid attinet sic ad me scribere? Sed hæc levia obmittamus, ut ad ea veniamus, quibus de bello agitur. Scribis te cupere fieri certiorem, an verum sit, quod isthic de Helvetiis nostris nunciatur, scilicet in Cæsarem arma parare. Quare scias velim, hic pro certo haberis, eos Cæsari nec favere, nec adversari hoc tempore, quo, ut scis, is bellum gesturus est in Germanos inferiores (1). Potes igitur omnibus te hac de re percunctantibus sic dicere. Nihil nobis hoc minus verum nunciatum est. Ego, ut jam ad reliqua respondeam, bene me habeo, gratia Superis. Esset tamen mihi melius, nisi frater tuus Simon gravi morbo laboraret; spero tamen cum brevi firmum futurum. Speramus proximis vindemiis te visurum omnes, qui te amamus. Cupio mihi per proximas tuas literas significari, an quibus volebam, meas literas dederis. De Vi-

eccomite hero meo ad me scribas velim, an Mediolani sit, an ejus liberi valeant. Ego mehercule tibi gratificari cupio, Josephe mi, & tu eo in me animo esse debes, ut, quæ mihi grata esse cognoscis, ea in me conferre studeas. Ardeo incredibili cupiditate, neque, ut arbitror, reprehendenda, ut quoties ad me scribis, toties multis de Jerargo nostro, viro singularissimo, mecum agas, quem ego in oculis fero. Neque enim mihi quicquam gratius potes: hinc, si vis, amplissimam scribendi materiam habebis, si, quæ scribenda videbuntur, ea de hoc homine scribere volueris: nullum certe scribendi genus ingenium tuum exercere melius poterit. Sed discipulorum cura iam manum de tabula compellit. Tu vale, saluta Jerargum. Lugani, XII. Kal. Septem.

(1) Ad illam nempe bellicam compescendam seditionem, quam contra Cæsarem Protestantes tunc moverant, quorum præcipui erant Fridericus Saxonæ Dux, & Philippus Langravius Hassiæ. (V. Murator. *Annal. d' Italia* tom. x.)

## EPISTOLA XIX.

JOSEPHO OSSUTIO MARITO NOVO S. P. D.

ARGUM. *Oratiunculam mittit.*

DEDI heri treis horas huic oratiunculæ scribendæ, scsquihoram enim inventioni, ejusque scriptio, temporis autem tantundem reliquum impendi, ut eam ad incudem revocarem. Quam, et si te indignam esse scribam, tamen ad te mittere non dubitavi, cum sciam te pro tua in me benevolentia, qualiscumque est, boni consulturum. Vale.

## EPISTOLA XX.

PETRO VARRONO (a) S. P. D.

ARGUM. *Orationem conscripsisse significat, & mittit.*

CONSCRIPSI hodie bono mane oratiunculam quandam, quam me in nuptiis Josephi Ossutii habuisse finxi. Id feci, tum ut me exercerem, tum ut quibusdam invidis meis mendacii notam inurerem, qui suis ineptiis me ab egregiis humaniorum Musarum studiis ad otium avocare conantur. Eam igitur legendarum ad te misi. Vale, saluta S. Petrum,

(a) Ad quem plures italicæ Cicerei epistole sunt in Cod. Belgiojofiano.

N ij

virum mechereule & morum integritate, & religione maxime illustrem.  
Vale, xi. Kal. Septemb.

## EPISTOLA XXI.

JOSEPHQ MUGINO S. P. D.

**ARGUM.** *De temporis habenda estimatione, & cura: ad pangenda, mittendaque sibi carmina excitat, de Parentum munusculo, ut ius suo nomine agat gratias, rogat.*

**E**x veterum monumentis collegi, Theophrastum Philosophum insignem illud dicere solitum fuisse: *Tempus preciosissimus sumptus est* (a); nec certe immeritd. Nam si vester, aut aliud quippiam proscideris, aut amiseris, facilè aut resarcieris, aut habebis, unde ejus rei simile petas. *Tempus vero, quod jam elapsum est; nullo pacto nobis restituerimus,* ut επίβολως (b) hercle ille in illo versiculo:

*Nec quæ præteriit, rursum revocabitur unda,  
Nec quæ præteriit, hora redire potest.*

Quare, Josephe mi, diligenter cura, ne literarum studium intermittas, ut te nunquam pœnitent contriti temporis. Hac in re imiteris velim viros prudentes, qui, quantd majoris precii rem aliquam nocti sunt, ed illius sunt studiosiores. Nihil tibi charius est tempore, quare in hoc insumento diligens sis oportet. Partire igitur illud in suas partes, ut decet rem omni auro, & margaritis preciosiorem. Ejus primam partem somno tribue, proximam, quæ maxima esse debet, lucubrationibus & studiis, reliquam vero cessationi. Sed hoc, dum tener es, faciendum est, & dum eam ætatem agis, qua ad literas nulla aptior. Sic enim faciendum & illud Ovidii admonet: (c)

*Uiendum est ætate, cito pede labitur ætas,*

*Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.*

Sed ad quem ego hæc? Etsi te non admodum egere hac mea cohortatione perspexeram; quippe quem hac in re diligentissimum esse non ignorem, tamen meus in te amor incredibilis, ut hæc ad te prescriberem, persuasit. Puto te scire urbanos homines, hoc est, ingenuos ruri poetari consueuisse; nam eruditis rusticantibus nulla poetica fa-

(a) V. Diogenem Laertium in Vita Theophrasti Erefsi.

(b) Ingeniose, vel spre.

(c) Lib. 3. De arte amandi.

cultas facile deesse potest, præstertim hoc tempore, quo vitibus pendent uvæ pampineæ, arboribus poma, aves; non minus quam vere ipso, amanissimo cantu perstrepunt, torcularia crepitant, ut Bacchum affatim non digne exprimant, Baccho Poetis amicissimo (is enim furorem illis Apollineum incutit) vasa omnia redundant. Quare hujus instituti me obliviscaris, ut carmina ex te legam. Nihil enim te, ut arbitrör, impedit, quo minus carmina facias, nam & te sereno esse animo existimo, & nullis negotiis distringi certum est. Parentibus tuis de me benemeritissimis immortales gratias ex me agas velim pro uvis tam dulcibus, quam maturis. Quando ego grande illud æs alienum mihi cum illis conflatum dissolvam? non illis sat est, (ut cætera merita hic non commemorem) si saepius ad cœnam perducunt, nisi & uvis do- nent. Admonebis Patrem tuum, me cum Andrea Camutio colloquum fuisse nudius tertius de ejus discessu, quem tardiorum futurum non sperat, quam 22, aut 24 die Octobris proxime futuri. Vale. Lugani.

## E P I S T O L A XXII.

## P E T R O V A R R O N O S. P. D.

**A R G U M.** *Tullii Rhetoricam mitti postulat, cuius studio se vacare velle constituit.*

**N**IHILO mihi unquam molestius fuit, quam quod nundinis proximis longiori sermone te alloqui non potuerim. Cujus quidem rei cauſa fuit, quod eo tempore multis, ac magnis negotiis impediſbar. Sed, cum coram ea tibi significare non licuerit, quæ magnopere cupiebam, absens per literas nunciabo; non equidem omnia, sed ea dumtaxat, quæ differre non constitui. Ciceronis *Rheticam* quam primùm ad me transmittas velim; *Inventioni* enim his longioribus noctibus studere constitui. Illud mihi credas velim, nisi exploratum haberem, sane perquam parum esse, quod per te proficere possis in eo opere legendo, non adduci potuisse, ut illum abs te repeterem. Tu igitur parum per te proficere posses, at ego multum. Quod igitur parum tibi prodesse potest transmitte ad me, cui multum prodesse poterit: sic enim solent amici. *Alphabetum græcum*, si non uteris, mittas velim, ut Frater tuus uti possit. Scribe ad me aliquid, quod scriptione dignum existimes. Vale. Lugani, Nonis Octobris MDXLVI.

## EPISTOLA XXIII.

ANTONIO MAJORAGIO (1) S. P. D.

**ARGUM.** *Tum illi, tum Frarri ejusdem, quibus plurimum debet, gratificari cupit. Adolescentes aliquot ut in suam disciplinam recipiat, rogarat.*

**T**UÆ in me voluntatis memoriam nulla unquam delebit oblivio, cum, ut mihi prodesse, olim tantopere conatus fueris. Memini enim, eum isthic, anno ab hinc tertio, provinciam, per quam ingenium mihi excolere liceret, nancisci cuperem, te saepius doluisse, quod id mihi non suppeteret, imo studuisse etiam, ut, quod cupiebam, haberem. Ejus etiam in me animi fuisse Fratrem tuum Primum (2), virum summa laude dignissimum, in memoria habeo. Tunc enim, ut nunc etiam, is una tecum vivebat, & non longè a Cœnobio D. Marthæ, cum M. Antonio Majoragio, maximæ eruditionis adulescente, fratre tuo patruele humaniores literas profitebaris. Quare eo in te, & in Fratrem animo sum, ut si quando occasio aliqua sece mihi obtulerit, qua vobis gratificer, tunc arbitraturus sim, Deos votis meis maxime fasisse. Interim tuarum laudum tubicen hic ero, & familiam tuam laudibus, quibus potero, extollam. Nam quibus debedo, id me facere non confiderem; ea enim est, de qua sic dixerim:

*Quis laudem illius gentis, quis munera fando.*

*Explicer? aut dictis posset æquare labores? (a)*

Nec immerito: ea enim Mediolanum urbem florentissimam literis illustrat: qua publico stipendio utranque linguam profitetur, qua florentissimis gymnasiis præst. Sed dabitur alias laudandi locus. Nunc ad reliqua. Adulescentes, qui has tibi literas reddiderunt, sunt mei municipes, boni mehercule, & ex optimis Parentibus progeniti. Isthuc se contulerunt expoliandi animi caussâ. Cum eorum Parentes ex me quæsivissent, cui nam isthic Institutori eos erudiendos traderent, persuasi, ut te illis deligerent; quare velim, ut illos tibi commendatos habeas. Erit tibi res cum viris gratissimis; quod ad victum attinet, habent, unde petant, instituendi tantum tibi cura demandatur. Non dubium est his viris, quin filii sui, si tibi eos credunt, ab Instituto-

(a) Simile est illud Æneid. 3. *Quis cladem illius gentis &c.*

rum istius ætatis principe doceantur. Natalem Venetum, (a) si adhuc est apud te, ex me salutes velim. Vale. Lugani, xv. Kal. Novemb. MDXLVI.

(a) Natalem Comitem, cuius sat celebre in litteraria republica est nomen.

(1) Antonius Majoragius, ex antiquo suæ familiæ agnominé, Comes dicebatur, quemadmodum sub hoc nomine ab Argelato laudatur; (a) patrem habuit Aloysium de Comitibus Dualem peditum ductorem. (b) Primus, & Franciscus Comites ejus fratres, fuere pariter doctrinæ laude præstantes, ac Primum Comitem quidem ejusdem fratrem dicit Cicereius in hac epistola, itemque patruelē M. Antonii Majoragii. Fratrum eorum de Comitibus meminere ante Argelatum, Morigia, Crescentius, Picinellus, & Adrianus Majoragius Cisterciensis noster Monachus, qui sub emento nomine Adaniri Comitis Romagiola librum edidit de Comite Majoragia Familia, Modoetiae 1656.

Cur autem hæc de Comitibus familia novam aliam Majoragiorum nomenclaturam fortita sit, diserte prodit idem M. Antonius Majoragius *Orat.* 10. pag. 165 inquiens. Cum hoc nomen Comitis hoc tempore ambiguum esse viderem, & ab omnibus, quibus familia nostra nota non erat, pro dignitate capi intelligerem, statui mihi esse dimittendum, cum præsertim Majoragi cognomentum haberem adhuc a Pare hæreditarium. Hæreditarium inquit, quod ex aliis ejusdem paullò supra intelligitur pag. 164. Julianus Comes.... mihi pater fuit, qui, cum Majoragium vicum habitaret, atque ita se comiter, liberaliterque ageret, ut vicinis omnibus gratus & charus haberetur, cognomen a loco sortitus est, & Majoragius appellatus.

Primus, & Antonius Comites una cum Angelo Appiano loquentes instituuntur in eo M. Antonii Majoragii *Dialogo de Eloquentia*, qui in calce extat ejusdem *Orationum, Praefationumque libri*. Is porro Dialogus in horto habitus singitur Ambrosiani hujus nostri Cœnobii, cuius regimini præterat Abbatis dignitate ornatus idem Angelus Appianus. Affirmat vero ibi Majoragius, se ab ineunte ætate, unacuni Antonio Comite, perpetuam fere vitam duxisse, eundemque præceptorem Primum audisse. Fuit autem & Angelus Appianus Majoragii præceptor, quod ipsem afferit in suis *Reprehensionum libris* pag. 197, dicens: *in Grammaticis, atque Rheticis Angelum Appianum, ac Primum Comitem consobrinum meum habui præceptores, de quibus nihil dico amplius, quam quod omnes intelligunt, viros neque doctiores, neque meliores usquam inveniri.* Angelus Appianus ad Ambrosiani Cœnobii præfecturam admotus fuit primùm anno 1539, tum iterum 1544. (c) Inter Heroidum Epistolas Aurelii Albutii Mediolani impressas 1542 ea, quæ libro 2. legitur pag. 21. est Angeli Appiani Abbatis ad Paulam Marianam Taurillam, &, quæ sequitur, est Taurillæ ad Appianum.

In Archivo Belgiojofiano Epistola \* est Antonii Majoragii Comitis ad D. Hierlionem Cassinatem data Cerriani 1539, 13 Septembris, item Hieronymi Montii Epigramma \* ad Antonium Comitem de Oratione \* in laudem senilis conjugij ab eo composita, & de Barbara Colea puella elegantissima, quæ seni nupserat; & in epistolis authographis Jacobi Aelii, quæ ibidem servantur, Antonius Comes hujuscæ Aelii præceptor fuisse memoratur.

(a) In Biblioth. Scriptor. Mediol.

(b) Ibidem.

(c) V. Barthol. Aresum in Ambrosiane edis Abborum serie pag. 70. & 71.

In Epistolis Gudii, aliorumque simul, Epistola \* extat pag. 129 Gaudentii Merulae ad Joannem Mariam de Comitibus, ubi sane mendi suspecta mihi admidum est haec inscriptio; eam enim epistolam datam potius reor ad Antonium Comitem, quem revera nominat, sermonem ad eum convertens in epistola, ibique vero se, ait, Sylvam \* quandam ab eo elucubratam, legisse.

(2) Scilicet Comitem, ut ex modis dictis. Non repetam hic, quae de Primo Comite literis consignarunt Picinellus, Ghilinus, Crescentius, Argelatus. Aliqua tantum ab his non observata in medium adducam. Nihil ejus, quod typis commissum sit, nuntiant Argelatus, aut alii, quanvis tamen, quas ipse noverim, duæ extant Praefationes, vel Epistolæ \* ejus impressæ, quae duobus præmissæ sunt Majoragii operibus, nempe in *Partition. Orator. Ciceronis*, & in *Rheticam Aristotel.*, itemque *Epigramma* \* in fine libelli Antonii Mariæ Venusti, qui epistolam, orationemque continet in laudem Augustini Montalcini. Præter haec edita, Primi Comitis ad Cardinalem Alciatum Elegia habetur in Archivo Belgiosiano, ubi & quatuor italicæ sunt Cicerei ad eundem Comitem epistolæ. Ex laudato mox Majoragii *de Eloquentia Dialogo* constat Primum Rheticæ præceptorem Novocomi egisse, quod Argelatus non tradidit.

Genti Comitum plurimum debet Cavæ Cremonensis Ordinis nostri Cœnobium, in quod tamen jus patronatus eam exercuisse perperam scribit Morigia, (a) quo tempore commendatario nomine illud obtinuerat Joannes Maria Comes, nonnullis Cœnobio concessis redditibus ejus familiam auxit, accedente Diplomate Julii II. Pontificis Maximi anni 1510. (b)

{a} *Historia di Milano* lib. 4. cap. 23.  
(b) In Archivo Monasterii nostri.

## LIBER QUARTUS.

### EPISTOLA I.

MARCO ANTONIO LEONTINO S. P. D.

**ARGUM.** *Pro multis, magnisque beneficiis vices rependere exoptat.*

*Laudat dicendi facundiam, exquisitamque doctrinam. Adolescentis cuiusdam commendatio.*

CUM tuorum in me beneficiorum magnitudinem considero, me tantis beneficiis tibi devinctum esse perspicio, ut nemini mortalium plus debeam; nec mehercule injuriâ. Tu enim ornamentorum meorum, si qua sunt, auctor extitisti. Quare magno mihi dolori illud semper fuit, quod meum in te animum adhuc declarare non potuerim, quod si in posterum aliquando dabitur, tunc demum me fortunatissimum esse judecabo, quod mihi tanto viro gratificari licuerit. Illud tibi persuadeas velim

velim me s<sup>æ</sup>pissime mihi ipsi gratulari, quod tibi maxime debeam, tibi, inquam, qui Gorgiae Leontinum eloquentiâ, M. Tullium latinâ facundiâ per pulchre refers, adeo ut & prænomen, & cognomen hinc adipisci pro meritis fueris. Sed quid de divinarum, humanarumque rerum scientia dicam, quæ mehercule tanta in te est, quantam quisque crederet? Sed ne fineis epistolæ transcendam, dum virtutes, quibus maxime polles, hic conor recensere, ad reliqua veniam. Adolescens, cui has literas ad te dedi, est, ut arbitror, tibi amicus; istuc se contulit expoliandi animi gratiâ, & est, ut mihi videtur, discendi sane quam cupidus. Cum ejus Parentes mihi dixissent, te, quæ tua est humanitas, illum idonea aliqua provincia ornaturum promisisti, cœpi large de te illis polliceri, nempe te plura re ipsa præstaturum, quam verbis promisisti, tuum semper fuisse de omnibus, & de iis præsertim, qui literis erudiri cupiunt, benemereri. Vale, meque tibi devinctissimum ama, xiii. Kal. Decembris MDXLVI.

Marcus Antonius Leontinus ita superstes sit, ut ad mansuetiores, & graviores Musas excolendas natus est.

## EPISTOLA II.

F. CORNELIO SICULO (I) S. P. D.

*ARGUM. Pecuniarum aliquid mittit pro edocendi cura sibi impensa.*

Cum consydero quanta non modo diligentia, verum etiam dexteritate nos pulcherriman differendi artem edoceas, quantumque ideo utilitatis ex tuis lectionibus ad nos perveniat, fit, ut nullo præmio, quanvis maximo, tibi satisfieri posse existinem. Quamobrem, cum pecuniarum aliquid ad te mitto, non ideo id facio, ut id reddi tibi pro lectionibus te arbitrari velim. Quid ergo? nihil sine causa; ut hoc pacto animum satisfaciendi non deesse, sed facultatem mihi non esse intelligas. Illud tamen mehercule doleo non dari mihi, ut plus numerorum mittam, ut laboribus saltem ex aliqua parte responderem. Sed ego plura animo ad te mitto, quam tu re ipsa tibi dari videoas. Quare tuae humanitatis erit, non muneris parvitatem, sed animum meum pendere, atque illud Ovidii recordari: (a)

*Ut defint vireis, tamen est laudanda voluntas:*

*Hac ego contentos suspicor esse Deos.*

(a) *De Poeno* l. 3. El. 4.

*Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras,  
Et placeat cæso non minus agna bove.*

Illud etiam tibi in mentem veniat, farre solum illum litare, qui thure non potest. Illud præterea te admonebit, si Artaxerſis (a) Persarum Regis memorabile facinus considerabis, qui aquam manu haustam ab operario oblatam boni consuluit. Sed jam cesso, ne pluribus tibi molestus sim. Tu vale, meque perpetuò tibi devictum fore existima. Lugani ex ædibus nostris, vi. Kalend. Decembris MDLXVI.

(a) Plutarch. in *Vita Artaxerſi*.

(1) Franciscanus instituto fuit, & patria Messanensis, de quo in vita Francisci Cicerei. Ad Cornelium Siculum Endecasyllabon est Jacobi Sannazarii, aliudque Honorati Fascatelli in *Selectis Carminibus*. Veronæ 1732, itemque Epistola est Saravii apud Gudium, pag. 45.

### E P I S T O L A III.

#### AD F. CORNELIUM SICULUM S. P. D.

ARGUM. *Carmina mittit eucharistica, tum alia Jovii tumulo affigenda.*

CORNELI, quanquam haud, quæ misi, digna fuerunt  
Munera te, quoniam parva fuere nimis,  
Tu tamen ingenio pollens, & moribus æquis  
Consulis hæc æqui nostra, bonique facis.  
Quin etiam grates agis, ah tu desine grates:  
Hoc nostrum munus, si placuisset, erat.  
Quod quia jam placuit, per cæli sydera testor,  
Qua tibi non teneat, nulla futura dies.  
Hyberno ante igitur frondebunt tempore sylvæ,  
Æstate & fuerit terra repleta nive,  
Ante mari pisces lieto aspera saxa tenebunt,  
Gratia quam docto non sit habenda tibi.  
Sed posteaquam nostrarum nugarum lectione non dedignaris, adscribam  
huc Epitaphium, quod hodie ante lucem composui.

D. O. M.

Benedicto Jovio (1) viro insigni.  
Hic Jovius tegitur Benedictus rite sepulchro:  
Terram corpus habet, spiritus astra poli.

Hunc probitas ingens cælestes vexit ad oras,  
 Et Fama illustrem reddidit orbe virum.  
 Ingenio pollens, & doctis artibus orbi  
 Multa legenda dedit, plura datus erat.  
 At quæ sœva bonis Parca est plane invida nostris  
 Sustulit e nobis, hunc voluitque mori.  
 Nunc igitur raptum Charites, Musæque trilingues,  
 Atque gemit sancta cum pietate fides.  
 Huncque Novum magno luget fletu inclita Comum,  
 Urbs iterum Plinio (2) nam viduata suo.

Quod si hæc non sunt palati tui, quem ego emunctissimæ naris  
 esse scio, non est quod mireris. Non enim est mihi vena publica, &  
 ut Persius ait: (a) *nec fonte labra prolui caballino*; nec enim unquam  
 exoptavi fieri Poeta, cum hoc tempore tam rari sint Mæcenates, quam  
 albi corvi. (b) Tu vale, meque, ut cœpistis, dilige. Ex ædibus nostris.

(a) In Prologo.

(b) Juvenal. dictum Satyræ 7. vers. 202.

(1) Præter duo illa, quæ typis commissa præclari hujus, summeque docti  
 Novocomensis viri opera laudat Hieronymus Tiraboschius, (a) nempe *Historiam*  
*Novocomensem*, & *Poema de Veneris Gallicum Trophæum*; alia haud pauca ha-  
 bemus ingenii ejus monumenta. Hæc sunt: Disticha plura ad Julianum Franciscum  
 Calvum, Basileæ 1518, Epigrammata quædam latina, quæ publici juris facta com-  
 memorat Corradus Gesnerus in *Bibliotheca*, Epistola ad Petrum Paulum Parra-  
 vicinum, & *Sylva*, quæ incipit: *Credendum libris nunquam minus esse putavi* in  
 libro *de Balneis* per Junctas, Venet. 1553 pag. 194, denique binæ epistolæ, al-  
 tera ad Gabrielem Parravicinum, altera ad Matthæum Gibertum Episcopum Ve-  
 ronensem, præter partem alterius ad Nicolaum Castilioneum, quas vulgavit Comes  
 Antonius Joseph a Turre Rezzonicus. (b) Sed longe plures adhuc sunt MSS.  
 lucubrations, quas reliquit Benedictus Jovius, quasque enumerant Tatti, Balla-  
 rinus, Porcacchi. His accedunt epistolæ aliæ ejusdem, aliaque MSS. opuscula  
 apud laudatum Comitem Rezzonicum. (c) MSS. plura Joviorum Fratrum Bene-  
 dicti, & Pauli, nec non Pauli Jovii junioris servantur Comi apud Comitem  
 Jo. Baptistam Jovium, (d) & apud Principem Belgiojosum nonnulla speciatim  
 Benedicti Jovii. Hæc inter meritò connumerandus est Codex in folio maximo,  
 optimæ notæ, in quo apparatus describitur urbis Novocomensis in adventu  
 Caroli V., præmissa Jovii dedicatoriæ epistolæ ad Alphonsum Davalum Marchio-  
 nem Vasti, Cæsareum apud Intubres Moderatorem, cuius in fine legitur ad Jo-  
 vium responsio. Duos ejusdem MSS. Codices, qui epistolas, epigrammata, alia-  
 que partim edita, partim nondum vulgata continent, extare vidi apud D. Ca-  
 roolum Masnagum Cassinensem Abbatem. Duos pariter Bibliotheca nostra Jovi-

(a) Tom. 7. par. 1. *Letteræ Ital.*

(b) In *Disquisit. Plinian.* tom. 1.

(c) Vide Argelat. pag. 289. 383. 1535., & alibi.

(d) V. Tirabosch. *Letteræ Ital.* tom. 9.

Codices servat, quorum alter, n.<sup>o</sup> 314, Collectanea sunt veterum monumentorum, quæ Comi, & in ejus agro continentur, de quibus Collectaneis epistola extat Cl. Francisci Antonii Zaccariæ. (a) Porro Novocomensium marinora per Benedictum Jovium fuisse descripta, afferit Alciatus in Inscriptionibus apud nos MSS., Cod. 113. pag. 16., atque hujusmodi Novocomensium Collectanea laudat etiam Cicereius in *Appendice* ad eas Alciati inscriptiones, Cod. apud nos 104. Codex alius Jovii, n.<sup>o</sup> 88, in Bibliotheca nostra MS. Latina est versio Apollonii Thyanæ Epistolæ, quibus præmittitur epistola eiusdem Jovii ad Alexandrum Holocatum Patrium Mediolanensem.

(2) Insigne Plinii Novocomensis, vulgè Junioris, monumentum in Templo nostro extabat, nempe inscriptio marmoreæ tabulæ insculpta, quo Plinius Thermas, Bibliothecam, puerorum, ac puellarum Collegium, annuuni Plebi epulum, ex testamento legatæ perhibetur, legendaque prostat apud multos, nempe Tristianum Calchum, Tacuinum Tridinensem, Petrum Apianum, Cl. Comit. Octavianum Bovari, & inter *Inscriptiones* Muratorii, (b) ubi epistola Alciati exhibetur ad Ruffinum Cribellum, cuius epistolæ, ut vidimus pag. 58., duo in Archivo nostro servantur MSS. exempla, Cod. 228 & 268. Totum vero hujusmodi Alciati epistolæ argumentum est, dictam Plinii *Inscriptionem* per singula verba discurrendo enarrare, & exponere. Jam vero huic Alciati epistolæ, quæ MS. est Cod. 268 Jacobi Valerii charactere descripta, commentatio adjicitur ejusdem Valerii in idem Plinii monumentum. Pariter de hoc ipso agit iterum Alciatus tum *Histor. rer. Patr.* lib. 2., tum in *Inscriptionibus*, Cod. apud nos 113. pag. 4. Legi etiam possunt de eodem Pliniano monumento *Anonymous* Laudensis eodem, quem supra laudavi, Cod. 268., & Bonaventura Castilioneus in Vitis italice scriptis primorum Mediolani Antistitutum in vita S. Eustorgii, Cod. alio Bibliothecæ nostræ 82, & plures alii, quorum vulgata opera eruditorum manibus tractantur.

Monumentum istud Plinianum, quod duabus primùm egregiis marmoris tabulis (c) continebatur, in quatuor dissectum partes deinde fuit, ut pro cenotaphio inserviret Lotharii Imperatoris, *Inscriptionis* litteris ad interiores tumuli facies obversis, extabatque in ædicula S. Georgio sacra, in Ambrosiana nostra Basilica: characteres inibi sculptos legerunt Tristianus Calchus, & Tacuinus, qui Venetiis eam *Inscriptionem* vulgavit anno 1525. Verùm post medium saeculum 16 disjecto tunulo, separatisque partibus, quæ ex Sacello tum translatae in Monasterium fuerunt, primus, qui *Inscriptionem* legerit, Bonaventura Castilioneus fuit, Canonicorum hujuscæ Basilicæ Præpositus, qui statim hac de re monitum fecit doctissimum Alciatum, (d) hic autem monumenti litteras, quæ non sat recto ordine collocatae erant, tum alicubi etiam exæstæ, eâ, qua potuit, diligentia restituere aggressus est. Non diu tamen fragmента illa ibi permanerunt, nam maiores nostri, quod non facile lis condonaverim, ea inde amoveri permiserunt. Sane in Codice nostro 259, qui profectò ante saeculum 17 exaratus est, tres legi *Inscriptiones* mutilas in oppido Tradate extantes, quæ totidem partes sunt *Inscriptionis* Plinianæ, de qua modò egimus. Nil proinde mirum, si Cardinali Friderico Borromæo vota minime cesserint, cum Jacobo Valerio curam demandavit hujus inquirendæ *Inscriptionis*, quam in insigni a se constructa Ambrosiana Bibliotheca collocare meditabatur.

Quæstio autem non levis est, ævo etiam nostro excitata, ad quos pertineat

(a) *Opuscoli Filologici* tom. 40.  
(b) Tom. 2. pag. 732.

(c) Vide Castilion. Cod. 82.  
(d) Vide eundem.

illud, de quo in Inscriptione, Plinii legatum, quod alii nimirum ad Mediolanenses referunt, alii ad Novocomenses. Jam sane momenta utriusque sententiae nolo h̄ic ad examen revocare, ac ne in medium quidem proferre, id enim extra operis mei institutum foret: satis fuerit aliorum sententiam indicasse. Itaque Alciatus ad Mediolanenses spectare contendit illud Plinii legatum, pro qua opinione mordicus pugnat Joseph Antonius Saxius, (a) nec aliter sentiunt Jacobus Valerius, & Bonaventura Castilioneus; nostrisque temporibus Cl. Comes Octavius Bovari in peculiari edita *Dissertatione* Mantua 1773. Dubius hac in re h̄esit Tristianus Calchus, (b) pro Novocomensibus autem stat Anonymus Laudenfis, dicto Codice 268, quod sentire etiam visum est Hieronymo Tiraboschio (c).

Duo alia Plinii monumenta Mediolani erant, quæ similiter periere; aliud ex Templo S. Juliani in loco Phægii, huc translatum in hortos Archintorum, (d) & Inscriptio alia, quæ super fornicibus extabat portæ Orientalis cum aquila inter coronam insculpta. (e)

Novocomi, ubi natales suos fortitus est Plinius, antiqua ipsius Inscriptio adhuc superstes est, ad exteriorem parietem dextrum Templi majoris, quæ antea, ut in Cod. MS. 314. *Monumentor.* Jovii intelligo, in ignobili quadam domo gradus vicem vilissime præbebat. Descriptam cernere licet Inscriptiōnē hanc in *Historia Benedicti ejusdem Jovii* pag. 223, & in Apiani *Inscriptionibus* pag. 80. Scribit insuper eo in Codice Jovius, se in solo primarii Templi Comensis non nullos invenisse characteres, quos ejusdem Plinii Cæcilii memorie portionem arbitratus est; verba hæc sunt:

NIO  
CAECI  
IDO

Vetustæ illi Plinianæ Inscriptiōni ad Comi Templum extanti subiecta hæc leguntur verba, recentiori tamen manu adposita.

QVO IVVENIS PROPERAS  
OCVLOS HVC FLECTE  
PARVMPER  
LÆTVS ERIS, SED MOX  
NON SINE LACHRYMVLIS.

(e) Lib. 10. de Stud. Mediol. cap. 20.

strum 268.

(b) Hist. Petr. lib. 2.

(c) Vide Alciat. Rer. Petr. lib. 2., Cruterum

(c) Tom. 2. Letterat. Ital.

pag. 862., Apianum pag. 45., & Valerium,

(d) Vide Puccinellum pag. 10., & Cod. no-

Cod. 268.

## EPISTOLA IV.

### F. CORNELIO SICULO S. P. D.

**ARGUM.** *Menda corrigit in carminibus missis dilapsa; multis urgeri se curis subjungit, paupertate insuper premi, non ita proinde animo comparatum esse, ut carminibus pangendis valeat.*

**H**ERI vesperi, cum primū a te discedens domum applicui, eorum carminum, quæ ad te misi, ῥὸν πρωτότυπον (a) in manus sumpsi, ac legi. Quare deprehendi mendam unam dumtaxat in illis esse, nempe in spi-

(a) Exemplar primitivum.

*ritus, quem ego semper te coram alloquens pro dactylo posuisse existimabam. Nam mendæ reliquæ duæ, cum, quæ feceram, exciberem, & non ita mihi vacaret, a me commissæ sunt; nam in scripto non habentur. Quamobrem habeas igitur ea tria carmina emendata, in quorum postremo errasse me fateor, in reliquis quidquid erroris erat, hoc, si considerabis, facilè me excusabit:*

*Emendaturus, si licuisset, eram. (a)*

Nam, cum versiculos illos conscripsisse, & exciberem, cura Discipulorum effecit, ut illis minime recognitis manum de charta compellerem. Quod ad errores illos duos descriptionis vitio commissos attinet, jam me satisfecisse arbitror. Nunc ad tertii expurgationem venio. Puto te memoriâ tenere, utpote Poetarum studiosus, quid de faciendis carminibus sentiat Ovidius, ait enim ille lib. 1. *Tristium*: (b)

*Carmina proveniunt animo deducta sereno.*

Considera quì ego sereno animo esse possum, quem tot curæ impe- diunt? Hinc Grammaticæ nænia me angunt, semper enim

*Grammatici certant, & adhuc sub Judice lis est. (c)*

Hinc dialecticæ copioriai (d) animum a cæterarum rerum cura avocant. Sed hæc essent tolerabilia, nisi ad ea etiam paupertas, onus grave, accederet, quacum dies, noctesque bella gero; sed nescio, an unquam eam repulera. Jam vides sereno ne animo, an nubilofo carmina mea provenerint. Accedit huc, quod Ovidius & alibi in eodem libro sic inquit: (e).

*Carmina secessum sribentis, & otia quærunt.*

Tantùm abest, ut ego secessum, & otia, quibus Musæ delectantur, nancisci possim, quantum cælum a terra; tam enim hæc ludi Magistris conceduntur, quam Tantalo malorum esus, & sitis expurgatio. Quapropter majori admiratione dignum videtur, quod in plures errores, quam in unum, lapsus non sim. Sic senserit quicumque, quæ supra retuli, æqua lance perpenderit, sed hæc tecum jocatus te valere cupio, meque, quod jam facis, amare perge.

*Desine mirari, quod te non cesso tabellis*

*Viseré non doctis, hoc facit altus amor.*

(a) Ovid. *Trist. 1. Eleg. 6.*

(b) *Eleg. 1.*

(c) Horat. *de Arte Poet.*

(d) Latine sonat *in senem sapientiam*.

(e) *Eleg. 1.*

## EPISTOLA V.

S. CRISTOPHORO TORRESELLÆ (a) S. P. D.

ARGUM. *Carmina in mensæ consecrationem mittit.*

Cum paululum otii nactus fuisset, hodie versiculos aliquot compo-  
sui, & eos quidem Sapphicos, ex quibus mensæ consecratio facilè ha-  
betur. Eos, qualescumque sunt, tibi dicandos esse censui, atque de-  
dico. Sed, cum me non lateat hoc munusculum te prorsus indignum  
esse, perinde ac si tibi viro crepundia mitterem, dabis illud Andreæ  
tuo, seu potius nostro, cui hoc nostrum poema congruit. Sed jam  
me tempus admonet, ut eos adscribam:

Cuncta qui pascis, vegetas, & ornas  
Orbe quæ vivunt animata, Summe  
Fac Deus struttis dapibus fruamur  
Munere sancto.

Dona sint nobis Cereris saluti,  
Nec patris Bacchi noceant reperta,  
Sint quoque & carnes alimenta nostri  
Corporis, oro.

Ergo sint jube, rogo, sancta cuncta  
Corpori ut nostro facilè refectis  
Viribus, Divis meritos, tibique  
Deimus honores.

Sat cecini, vos nunc struttis accumbite mensis  
Felices, prosit vobis apposita cœna.

Post degustationem.

Sunt mensæ motæ, est ardor compressus edendi.  
Magna Deo Patri reddatur gloria nostro.

Vale, meque mutuò dilige.

(a) Ad quem epistola est Cicerei in Codice Belgiojofiano, & plures ad Torricellam Andream, italico sermone exaratae.

## EPISTOLA VI.

F. CORNELIO SICULO S. P. D.

**ARGUM.** *Nummorum quidpiam cum munusculo mittit in grati animi argumentum.*

**X**ENIOLUM ad te mittimus, quod & nobis a Discipulis nostris donatum est; sed par erat, ut eō majus mitteremus, quod tu me es eruditior. Tu tamen, quæ tua est morum facilitas, boni consulas velim, tibique persuadeas, me eo in te animo hæc parva, te sane quām indigna, mittere, ut si majora, teque digna mitteremus, libentius te donarum iri vellemus. Ceterum, ut non minus utilis, quam jucundæ lectionis tuæ memores esse videamur, accipies eo, quo soles, animo hoc parum pecuniarum, memor nos hoc pacto significare, nos tibi tantum debere, quantum quisquam mortalium alicui potest. Ex ædibus nostris, Natali MDLVI.

## EPISTOLA VII.(a)

**JOSEPHUS OSSUTIUS PETRO CRIBELLO SORORIO (b)**  
SUO S. P. D.

**ARGUM.** *Ad bonarum artium studium pluribus, multaque facundiâ horatur, tum ad se ut sœpius, latineque conscribat.*

**C**UM superioribus diebus ad te scribere instituisse, negotia, quibus non parum impediri soleo, in hunc usque diem illud rejecerunt. Quare ne tibi persuadeas velim, me levi causa motum nunc ad scribendum venire. Hæc enim sunt, quibus adducor, ut ad te scribam: primùm ut te ad bonarum literarum, & solidæ eruditionis studium adhorter, deinde ut tibi gratuler, cui in tam florenti gymnasio versari, in tanta doctorum virorum frequentia commorari contigerit, postremq; ut his expositis singularem meum in te amorem attestet; hinc igitur mearum literarum

(a) A Francisco Cicereio, nomine Josephi Ossutii, conscripta, ut in Codice.

(b) Qui nempe Josephi Ossutii uxoris frater erat. V. ep. 2. l. 5.

literarum exordium sumendum censeo. Quanquam te eo in literas animo esse confido, ut omnem cohortationis laborem esse mihi præceptum existimem; tamen mea in te benevolentia mihi faciendum admonet, ut te ad præclarum eruditionis studium inflammem. Quare scio non multis ad hoc mihi opus esse. Cui enim difficile est volentem trahere? Vides mehercule hoc nostro sæculo nullos majori in pretio esse, quam, qui bonis literis sunt dedolati; quandoquidem ii sunt, quibus omnes favent, quibus in Repub. administranda honores deferuntur, ii sunt, qui ab omnibus laudantur, ii probitatem, cæteræque bonas artes amplectuntur, ac fovent, ii demum, quo pacto D. O. M. se gratos præbeant, exploratum habent. Puto te perspicere nihil aliud Ciceronem obscuro genere natum ad summos honores, & usque ad sydera evenisse, quam bonarum literarum scientiam; quid Vergilium, quid Plinium, nobilissimis Romanorum viris, atque adeo ipsis Cæsaribus gratos ac charos effecit? Nihil præter eruditionem optimam. Sed quid hæc commemoro, cum ejus generis sint innunera? Quamobrem his veteribus se positis, ad proximum, domesticumque exemplum veniam. Consydera quid in causa fuerit, quod nostrates tantum Patri, & Fratribus tuis semper detulerint, ut nostræ Reipub. Luganensis gravissima quæque illiciis committant. Invenies non gentilitia stemmata, quibus maxime pollent, at potius literas, quibus non parum valent, id efficere. Quare videre est verum esse illud Diogenis de eruditione elogium: (a) *eruditio juvenibus sobrietas est, senibus solatium, pauperibus divitiae, divitibus ornamentum.* Quapropter jam est tibi perspicuum, quærum honestum, quærum utile, quam denique laudabile sit in eruditum virum evadere, imo, inquam, ex bellua hominem fieri. Tales enim literæ sunt, ut ideo in nos a Diis immortalibus collatum sit earum munus, ut a belluis dignoscamus. Cæterum eæ illæ sunt, quibus Philosophus quidam olim dicere solitus erat, doctum hominem ab indocto tantum differre, quantum, qui vivit ab eo, qui jam ex humanis excessit. Tibi igitur maxime gratulandum est, cui tam belle eas assequi liceat. Pater enim tuus, & idem ficer meus te rebus omnibus, quibus ad id opus esse noverat, ornavit; te namque isthuc misit, ut interim de cæteris taceam, ubi linguæ tres, cæteræque scientiæ, & disciplinæ non minus vigent, quam & olim Athenis bonarum literarum studia. Isthic (b) enim Frixius Joannes, Rodolphus Gualtherus, Corradus Gesnerus, viri trium linguarum peritissimi, multijugaque eruditione mirabiles, non solum tres

(a) V. Diogenem Cynicum in ejus Vita apud Plutarch.

(b) Nempe Tiguri, ubi tres hic laudati Professores egerunt. V. Dictionem Morerii.

linguas, sed etiam omnis generis scientias profitentur. O te felicem, qui talem provinciam sis fortitus! qui tam pulchram discendi facultatem sis natus! Inviderem mehercule, nisi te magno amore prosequerer, adeo ut quod tibi contigit, id mihi evenisse existimem. Jam vide, quanto vitio tibi dandum esset, si spem, quam apud nos omnes non vulgarem sustines, falleres. Sed cui haec ego? Nonne exploratum habeo, te non solum spem de te conceptam æquaturum, verum etiam brevi, superaturum? Quare velim, hoc tibi persuadeas, me haec eadem non dixisse, quod de tuo in virtutem animo dubitarem; sed potius, ut supra dixi, quo meum in te amorem testificarer: qui etsi tantus est, ut ad eum nullam posse fieri accessionem arbitrer, tamen tunc non parum in te accrescam, cum, ut spero, talis ad nos redieris, qualem speramus. Sed video te nostram omnium spem mirifice confirmaturum, si ad nos literas aliquot dare institueris; sic enim & te in scribendo exercueris, & nos tui amantissimos maxima lætitia affeceris. Accedit quod nihil, quod magis eruditioñis tuae profectum adjuvet, efficere potes, quam si saepius ad nos latine scripseris. Quare tuum erit quam primum ad scribendas literas animum inducere: id si feceris, alacriores nos in tui expectatione reddideris. Domestici tui tibi salutem dicunt. Lugani, xi. Kal. Decembbris MDXLVI.

## EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS CICEREIUS JOANNI OPORINO IMPRESSORI  
SOLENTISSIMO S. P. D.

*ARGUM. Delatae ne fuerint priores ad eum datæ litteræ, exploratum sibi non esse, dicit. Libros quosdam petit.*

**U**NDECIMO ferme ab hinc mense literas ad te dedi, quibus, ut parerat, immortaleis tibi gratias agebam, quod pro tua in me benevolentia libellum illum de Grammatica, quem ad te miseram, typis tuis elegantissimis commisisses, excusaque ex eo exemplaria CCC. mihi misisses, quæ quidem literæ an tibi perlatæ sint, nescio. Eas si accepisti, gaudeo; sin minus, hoc breviter scribo, ut habeas, quidnam tibi illis longiori sermone scriberem. Video tam propenso te animo mihi satisfecisse, teque cum mihi animum hac in re ostendisse, ut nullum tempus futurum sit, quin tibi debeam. Dabis, si placet, huic, a quo

has literas acceperis, libros, quorum titulos statim adscribemus. Id verò feceris, si mihi fidem adhibes; pretium enim, si mihi credis, cum primū libros accepero, statim ad te transmittam.

Aristotelis opera, omnium postremò latine redditæ.

Ex novissima editione Plinii *Naturalis Historiae* libri.

Plutarchi vitæ a pluribus viris doctis latinitate donatæ.

Fab. Quintiliani Opera.

Othonis Bronfelli *Puerorum institutio*.

Horum omnium quaterniones dissolutos esse volumus, quales ex officina tua solent prodire. Sint præterea ex paginis, quæ ex una tantum plica componuntur, huc est, ex maximis. Reliquum est, ut quam optima conditione mecum transtigas, quod facere soles pro tuo in eos, qui bonas literas exercent, animo. Vale, meque tibi commendatum habe. Lugani, postridie Natalis Servatoris nostri MDLVI.

## EPISTOLA IX.

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Libros ut amico suo tradat, Oporinum rogar.*

POSTRIDIE ejus diei, quo ad te literas dedi, quibus libros aliquot abs te petebam, adulescens sane quam nobilis, amicus, & idem municeps noster, quicum de tua in execudendo exacta diligentia sèpe loquutus sum, oravi me, ut ad te scriberem, petere inque, ut huic, qui has literas tibi reddiderit, hos libros dares, quorum tituli paulo post legentur. Curabis igitur, si me amas, ut ex officina tua nuperime prodierunt. Quaterniones dabis dissolutos, qui constent ex paginis maximis, quæ una tantum plica sunt contentæ. In summa quidquid huic adolescenti diligentia in hac re, mihi ipse præstiteris, quem tibi amicum esse persuadeas velim. Cui volumina dederis, ab eodem pretium habebis, is enim hic pretium accepit. Tu tamen quantum estimaris, nos certiores feceris. Sed nos tempus admonet, ut librorum titulos adscribamus:

(D. Thomæ Aquini in Aristotel. *Dialect.*

Commentaria (Joannis Grammatici in ejusdem *Dialect.*

Plinii *Naturalis Historiae* libri.

Plutarchi vitæ a pluribus viris doctis latinitate donatæ.

Marsilius Ficini Opuscula, quæ ad studiosorum valetudinem attinent.

Si quod non aliter eveniet, huic adolescenti libri illi placuerint, brevi

P ij

futurum spero, ut libros omnes, qui ad Medicinæ studium attinent, abs te petat. Nos tua erga nos benevolentia freti, familiariter tecum loqui non dubitamus, imo forte tibi molesti sumus, cum tibi gravissimis negotiis impedito, de re parvi admodum momenti tecum agentes, tot verbis caput obtundimus. Sed hoc mihi condonabit tuorum morum facilitas. Faxis D. O. M., ut diu sis superstes, ut opera tua R̄cipub. literariæ maximum adjumentum adfert. Vale, Lugani, Kal. Jan. MDXLVII.

## E P I S T O L A X.

S. CRISTOPHORUS LEPORARIUS, ET FRANCISCUS  
CICEREIUS F. CORNELIO SICULO S. P. D.

**ARGUM.** *De palinodia, quam ab eo decantatam audierant, veritatem exquirunt, factumque istud, aliorum exemplo, dedecori non esse, tribuendum ostendunt.*

**N**ON mediocri admittatione tenemur, quod, ut coram pollicitus fueras, nos tui amantissimos nunquam certiores feceris, quo nam pacto se habent res tuæ, ex quo a nobis te absolvisti. Heri nobis nunciatum est, te a disputatione vietum discessisse, & palinodiam recantasse, quod, verum ne sit, ex te scire cupimus. Si verum isti nunciant, nihil est, quod hoc iniquo animo feras: si enim je emendasti, fecisti, quod proorsus est angelicum; cum peccasse humanum fuisset. Cæterum fecerunt hoc & alii multi, qui te doctiores habebantur, inter quos fuit D. Augustinus, (1) & Petrus Lombardus, quem, ut nosti, Parisii emendarunt. (2) Ea est tua prudentia, ut, ne scribamus plura, deterreamur. Quare, si unum addiderimus, finem dicendi faciemus; si bene sentientibus cessisti, est mehercule, quod tibi gratulemur, quod tua morum facilitate dignum feceris. Vale, nosque tibi commendatos habe. Lugani, Kal. Februarii MDXLVII.

(1) Hujus eximii Ecclesiæ Doctoris Codices nonnullos habemus; in uno autem ex illis, qui super ex Morimundensi Monasterio in hanc S. Ambrosii Bibliothecam translati fuerunt, sign. n.º 345, integer Sermo extat in illud Evangelii *Petite & accipietis*, cuius dumtaxat fragmentum ex Beda nondum vulgato ediderunt Maurini Patres inter fragmenta Sermonum S. Doctoris, qui adhuc desiderantur, Tom. 5. p. 1519.

(2) Joannes Aleaume, & Lovanienses Professores a mendis pluribus, quibus Sententiarum Petri Lombardi liber antea scatebat, expurgandum curarunt, siveque emendatum typis concessere Lovani 1546, idemque ab iis correctus liber Parisii fuit impressus 1550. V. Ceiller *Histoire des Auteurs Sacres, & Ecclesiastiques* tom. 23.

## EPISTOLA XI.

FRANCISCUS CICEREIUS ANTONIO CASTOREO S. P. D.

**ARGUM.** *Gratas sibi ejus literas fuisse ait; tum, quod optimo Praeceptori det operam, gaudet.*

**N**isi mehercule tuis literis præventus fuisset, ego te ad scribendum provocare institueram, nunc tuis literis respondeam necesse est, non tuas expectare; quod pro mea in te singulari benevolentia mihi pergratum est. Et certe tuis factis dignum fecisti, ut ad Cicerinum tuum amantissimum scriberes. Sed tantum mihi tribuis in literis tuis, quantum nec agnosco, nec mereo. Sed, cum illud amice facias, facile tibi concedo, & id te facere facile patior, cum tu erga me benevolentiam adducius eum me describas, quem non esse non te lateat. Nunciavit mihi Pater tuus, te in Othonis Lupani contubernium receptum esse, quod profecto tibi inviderem, nisi mihi amicus essem; nec injuria. Qui enim eorum omnium, qui humaniores literas profitentur, facile princeps est, cum tu pro Praeceptore habes. O te felicem, si, quod spero, tanto Praeceptore dignus evaseris! quod te præstaturum tuarum literarum elegantia pollicetis. Quare ego, & Pater tuus, & ceteri omnes tui magnopere gaudemus. Tu vale, & bonarum literarum studium, quod facis, complectere. Lugani, Kal. Febr. MDXLVII.

## EPISTOLA XII.

JOANNI MENABENO S. P. D.

**ARGUM.** *Jovii Carmen mittit.*

**N**OLI putare tuæ in me benevolentia recordationem iccirco immixtui, quod rarius ad te scribam: imo velim tibi persuadeas ad eam in dies non parvam fieri accessionem. Nactus sum proximis diebus lucubratiunculam (1) hanc Jovii eruditissimi, carmine conscriptam; quam ut descripti, digna mihi visa est, quæ tibi dono mittatur, cum quod in ea Carolus V. Caesar laudatur, cuius nunquam intermoritur gloriae es admodum studiosus, tum quia ab eo profecta est, cuius rarissimum ingenium, & summam eruditionem adeo suspicis, ut & vivum semper

amaveris, & mortuum (2) meritis laudibus prosequaris. Accipies igitur hunc libellum eo animo, & fronte, qua soles omnia, quæ a Cicerino tuo tibi transmittuntur. Vale. Lugani, ex ædibus nostris, vii. Idus Febr. MDXLVII.

(1) Lucubratio hæc ea est, de qua ep. 17 hujus, nempe *Farrago de Turca fugia viso Cæsar's apparatu*. Librum hunc descriptum vidi in Codicibus Principiis Belgiojossii, & Abbatis Masnagi.

(2) De Benedicto Jovio jam defuncto mentio est in epistola Cicerei (Codice Belgiojossiano) scripta i Decembri 1546, pag. 3. Erravit ergo Aloysius Tatti, (4) qui Benedicti Jovii mortem ad decennium protrahit, consignatque anno 1556, quo ejus Filii elogium ipsi apposuerunt in Templo Comi primario, ut Inscriptio sp̄ia indicat, quæ apud laudatum Auctorem legitur, idque fortasse errandi occasione, ipsi tribuit.

(3) *Annal. Dyc. 3. pag. 632.*

### EPISTOLA XIII.

ANDREÆ CAMUTIO S. P. D.

**ARGUM.** *Fratri, ejus nomine gratias agit, cum suum erga eundem obsequium ad omnia paratum esse adfirmat.*

F RATER tuus Hieronymus, Medicus mehercule solertissimus, narravit nobis, quæ tua est humanitas, & in omnes municipes tuos non obscura benevolentia, tē de contubernio Mugini nostri, cum nobili, atque bono quodam viro Papiensi convenisse, comparasseque illi locum non longe ab ædibus tuis. Quare quantas gratias tibi agat ejus Pater, non paucis possem consequi. Tuum enim in eum studium perbelle declarasti, cum confessim ei obtemperaveris; quare nunc tibi plurimum debet, plus tamen se tibi debitum in posterum confidit, cum sciat te non parvō adjumento futurum suo eidem Filio, quem ad ea percipienda istuc perducit, quæ tu in florenti Ticinensi Academia profiteris, & jam aliquot annis cum magno auditorum concursu professus es. Sed nā ego stultus sum, qui, dum tua in alios merita commemoro, quæ in me contulisti, taceam. Id tamen a me consulto factum esse, velim tibi persuadeas. Videntur enim mihi epistolares limites angustiores esse, quam ut ibi sit, ac tanta merita recenseri possint. Quare mihi satis pro tempore futurum arbitror, si, quod ad id attinet, illud nunc ad te scripsero. Existimabo tibi gratum esse, quod debeam, si iis rebus meis, quibus tibi gratificari me posse perspicis, libere uti volueris.

Quare mihi impera, meâ utere operâ. Nam, si qua in re ea tibi grata esse poterit, mihi ipse gratulabor; nihil enim habeo, quod meritò tibi acceptum non referam. Quod si secus facerem, aut opinarer, omnium, qui sunt, aut fuerunt, ingratissimus habendus essem. Sed hæc melius aliâs. Nunc ad Muginum redeo. Etsi eum apud te commendatione non egere sciebam, tamen facere non potui, quia illum tibi non commendarem. Habebis igitur commendatum adulescentem, quem non secus ac germanum fratrem diligimus, ac charum habemus. Sed jam finem scribendi faciam, memor te gravioribus occupationibus detineri. Vale, Lugani, Kalend. Martii MDXLVII.

## E P I S T O L A XIV.

FRANCISCO CASTANEO S. P. D.

*ARGUM. Muginum commendat; aliqua nunciat.*

MIHI faciendum existimavi, ut Josephum Muginum ad vos proficiscentem tibi commendarem, quem et si sciebam tibi satis commendatum fore, tamen tua in me benevolentia hortabatur, ut illum tibi commendarem, præsertim cum propter meam commendationem illum tibi chariorem fore confiderem. Commendo igitur tibi Muginum nostrum, quem tanti facio, quanti Fratrem chariss., cum propter ejus Patris in nos amorem, tum, quia discendi avidum eum esse cognoverim. Bacchanalibus proxime celebratis nihil Lugani actum est, quod tuis auribus dignum putemus, nisi forte illud vis audire: Hieronymus Canevalius uxorem duxit. Quam? inquires. Antoniam Roviliam adulescentulam certe lectissimam, tibi, ut arbitror, cognatam. Restat tamen unum, quod tibi significem, quod utinam ita non accidisset, ut lachrymans illud tibi nuntio. Joannes Marius Moresinus, æqualis noster suavissimus, decimo abhinc die, vulnere in sinistro jugulo accepto periit; nosque mæstissimos reliquit. Domestici tui bene valent. Marcum Somaticum, & Stephanum Brocchum, juvenes summa virtute, & summo ingenio, mihi salutes velim. Vale, Lugani, Kal. Martii MDXLVII.

## EPISTOLA XV.

FRANCISCO JERARGO S. P. D.

**ARGUM.** *Excusatio de litterarum tarditate; de libris ejus prescribi cupit, itemque de libro, cui adlaborat. Grammaticam ejusdem laudat, & quare hanc discipulis suis nondum prælegat, causam indicat.*

**A**DMIRATIONI tibi esse non debet, Jerarge doctissime, quod rarius ad te scribam, id enim sit, quod perquam rari sint, quos ad te per venturos putamus. Cum igitur cognovissem Josephum nostrum inter eundum Papiam te conventurum esse, has ei ad te dedi, quibus non commemorabo tua in me innumerabilia beneficia, cum tot ac tanta sint, ut, si id facerem, non epistolam, sed librum ad te scribere mihi necesse esset. Illud tantum dicam, me summopere cupere, ut aliquando tibi gratificari possim, mihi in optatis esse, efficere, ut intelligas, qui sit meus in te animus. Cupio mihi significari, an adhuc lites tuas se daveris. Dixit mihi Josephus noster, quod & præsens ex te audivi, te sub incude habere *Institutiones Græco-Latinas*. Eas an hactenus perfecoris, nisi tibi molestum esset, mihi significares vellem, & ubi eas prælo impressorio committere constitueris. Nam, si fortasse id Basileæ fieri tibi placaret, haberemus, qui nobis satisfacrent, qui mihi & noti, & amici sunt non vulgares. *Grammaticales Canones* tuos latinos, quos æternitatem adepturos spero, pueris qui mihi crediti sunt, libenter jam pridem prælegissem, & nunc prælegerem, sed mihi res est cum ejusmodi hominibus, ut in emendis libris perparci sint, adeo ut raro admodum, nonnisi rogati, liberis suis libros mercentur. Quare frustra tentasse tuos libros illis emendos exponere, cum tanti non emissent, quanti vel duos quaterniones æstimares. Tu vale, nosque, ut soles, ama. Lugani, Kalend. Martii MDLVII.

EPI-

## EPISTOLA XVI.

ANTONIO CASTOREO S. P. D.

**ARGUM.** *Litterarum ejus elegantiam laudat, monetque ne ab incepto studio desciscat, cui omnia abunde suppetere dicit, quæ ad scientiæ consecutionem desiderari queant. Ad scribendas sibi, easque latinas litteras excitat.*

**H**ERI a prandio paulisper a docendi labore quiescebam, cum Pater tuus unâ cum Avo tuo summa cum lætitia me domum meam converunt, & tuas mihi literas obtulerunt, eas, inquam, quibus ad meas proximas apte quidem respondebas, quas cum obtulissent, eas resignare, coramque legere me voluerunt. Quo facto, anxi, tuæque eruditiois studiosi, de me quærere cœperunt, quid mihi de illis videretur, quodve judicium adferrem. Quamobrem dixi, literas tuas mihi vehementer probari, te ( id quod erat ) non solum scite, verum etiam ornate, atque eleganter respondisse, addidique te eorum expectationem non tantum æquaturum, sed etiam brevi superaturum. Quo accepto nuntio, quanta lætitia affecti a me discesserint, vix mille chartarum scripturâ consequi me posse confiderein. Avus ad cælum manus sufferebat, Pater Deo Optimo gratias maximas agebat: tanta erat eorum lætitia; neque mehercule aliter res se habebat, adeo ut, si secus me sentire dixisset, mendacio certe non caruissem. Nunc autem illud tibi diligenter curandum est, ne ab incepto desistas; alioqui vides, quanta turpitudinis nota & tibi, & mihi inurenda esset: tibi, qui ( quod Deus avertat ) tuorum spem de te conceptiam secessisses, mihi, qui eosdem inani spectaculasse. Hoc te præstare tuum est, & nihil est, quod id te præstaturum sperare non debeam, imo, ut rectius loquar, polliceri non possum. Primum enim ingenio, & memoriam non modicâ te ornavit natura, deinde ( o te felicem! ) Pater iis rebus omnibus, quibus ad capiendum ingenii cultum opus esse perspexerat, te munitum esse voluit. Quare, quod certe gaudeo, tibi minime dicendum est, quod cùm ego, tum multi alii dicerent:

*Ingenio poteram superas volitare per arces,  
Me nisi paupertas invida deprimereat.*

Notum enim est tibi illud Junii Juvenalis: (a)

*Haud facile emergunt, quorum virtutibus obflat  
Res angusta domi ....*

(a) Lib. 2. Satyræ 3.

Q

Ut igitur potes sic erudiri, bonisque disciplinis dedolari, velle debet  
bis. Postremo eum Institutorem naeptus es, quo nec meliorem, nec praes-  
stantiorem bonis literis inveniri posse existimo. Id facilè arguunt multa  
ab eo elegantissime conscripta, tum certe liber Tusca lingua composi-  
tus, cui *Torricella* ipse titulum indidit. Illum autem me biennium  
isthic publice profitentem audivisse, dum vivam, semper mihi gaude-  
bo. Cum itaque nihil tibi ad solidam eruditionem comparandam deesse  
videam, teque id maxime cupere perspiciam, sit, ut nihil esse existi-  
mem, quod te facturum & mihi, & ceteris tuis omnibus non polli-  
cear; quæ spes si nos nequaquam fecellerit, illud, ut hic reliqua ta-  
ccam, assequere: qui tibi male volunt, atque te nihil unquam profe-  
eturum esse dictitant, mendaces videri cogentur. Nunc me tempus ad-  
monet, ut rescribam ad ea, quæ in suavissimis, iisque gratissimis literis  
tuis legi. Dicis, te mihi maximas habere gratias, & ideo cupere, ut  
aliqua digna tibi referenda gratia offeratur occasio. Hic autem, mi  
Antoni, non satis video, quare mihi debeas: quod si ita est, ut di-  
cis, ut aliquo modo mihi devinctus sis, nulla certe alia ratione te mihi  
gratiorem ostendere potes, quam si tuo labore, atque diligentia mea  
de te expectationi responderis. Num dignorem referenda gratia oc-  
casionem tibi offerri exoptabis? Quod enim doctior evaseris, eò mihi  
gratior es futurus. Quare contendere, mi Antoni, & in literas toto in-  
cumbe pectori. Non parum autem adjuvabit tuæ eruditionis profectum  
frequens scribendarum epistolarum exercitatio. Nullo igitur pacto ad me  
sæpius scribere intermitas: sic enim te facturum esse literæ tuæ nobis  
significarunt. Ego autem has ad te longiores dedi, ut intelligeres, me  
non minores abs te expectare. Adde, quod tuas literas tantò mihi gra-  
tiores futuras esse, quantò crebriores miseris, intelliges. Ut ego tibi Ma-  
trem meam salutavi, ita tu mihi Othonem Lupanum magistrum tuum  
salutabis. Vale, v. Nonas Martii MDXLVII. Lugani.

## EPISTOLA XVII.

JOANNI OPORINO TYPOGRAPHO S. P. D.

*ARGUM. Libros poscit, elegantes ejus typos commendat. Orationem  
transmittit, alias, seme[m] ac obtinebit, lucubrationes missurus.*

**C**UM haberem, cui literas recte darem, facere non potui, quin ad  
te scriberem. Quanvis scirem te occupationibus tam gravibus detine-

ri, ut absurdum esset, & parum æquum videretur, te nostris literis inanioribus interpellare; tamen tuus in nos animus, & in omnes, qui literas amant, non obscura benevolentia effecit, ut non vererer, quin pro tua morum facilitate, quæ scribo, æqui, bonique facias. Tertio abhinc mense literas ad te dedi, quibus hos libros, quorum titulos statim adponam, dissolutos mihi transmitti petebam. Has an adhuc accepisses nesciebam; quod si accepisti, confessim ad me transmittas, precor. Si pretium scivisse, nummos cum literis tibi exarasse. Cum primum igitur eos accepero, cprabo, ut pretium tibi adnumeretur; atque eorum tituli tales sunt, quales hic descriptos vides: ex novissima editione tua

Aristotelis opera omnium postremò vel emendata, vel latine reddita.

Plinii *Naturalis Historiae* libri.

Plutarchi Vitæ a pluribus doctis viris latinitate donatae.

Fabii Quintiliani opera.

Othonis Bronfelsii *Puerorum Institutio*.

His adjungas velim Lycophronis *Cassandra* cum Zeze (a) interprete, & Joannis Zezis varias Historias. Quos libros, tu juvandi cupidissimus, primus anno superiori in lucem erisisti, hos libros omnes dabis, si placet, nobili & insigni viro Leonardo Lucelmano, cuius servorum operâ Luganum ad me deferentur. Velle me Hercule aliquam mihi occasionem obferri, qua tibi gratificarer, & meum in te doctissimum, & eundem humaniss. virum animum declararem: ita enim es meritus, non solum a me, quem tibi non vulgari beneficio devinxisti, sed etiam ab omnibus, quibus manifestum est, quo animo sis affectus erga bonarum literarum studiosos. Is enim est eruditiss. tuus animus, ut nec sumptui ulli, vel labori parcas, dummodo veterum libri aut typis non ante editi perquirantur, & per typorum tuorum elegantiam omnibus studiosis publicentur, & communicentur, aut jam cogniti a mendis repurgentur, & nativo candori restituantur. Quemadmodum cum aliis, tum certe proxime te fecisse cognovimus ex eruditiss. Gerbelii (b), Arnoldi, (c) Borrahi, (d) Sebastiani Castelionis (e) epistolis, tum Lycophroni, tum aliis libris præfixis. Quare nihil attinere videtur, ut ego te laudem, cum id fa-

(a) Zezes, vel Tzetzer Jacobus *Cassandra* interpres, Joannis Historici, & Poetæ Frater. V. *Dictionn. Morerii*.

(b) Nicolaus Gerbelius, de quo Melchior Adam in *Vita Juriscons. Germanor.*

(c) Arnoidus Arlenius Peraxvius, de quo Bælius *Dictionn. Critique*, & hic infra ep. 16. lib. 5.

(d) Martinus Borrhaus, de quo Teissier *Eloge des Homm. savans*.

(e) V. eundem.

ciant viri nostræ etatis eruditissimi. Illud autem non prætermittamus, esse, quod mihi gratuler, quod tecum amicitiam inierim, quod in tuam benevolentiam vel ignotus admissus fuerim: tuam, inquam, qui, ut es literarum scientia præstantissimus, ita illud unum in animo habes, ut nemini noceas, pro sis omnibus, de omnibus benemerearis.

Amicus quidam meus, heri mihi misit orationem (a) a M. Antonio Majoragio, homine doctissimo, proxime conscriptam, in qua de nominis mutatione agitur. Quæ cum nova sit & materiâ, & editione, eam ad te mittimus. Hujus dictiōnē, & lucubratiōnes, si tibi ex hujus lectiōne probari intellexero, curabo, ut aliquot aliæ ejusdem orationes, quas adhuc in Germania minime vulgatas esse arbitramur, tibi reddantur. Est etiam, qui se nobis daturum sit pollicitus *Farraginem quandam de Turcæ fuga visto Cæsarisi apparatu, & librum de XII. Fontibus Comum ambientibus*, & alium librum carmine conscriptum, cui titulus est *Philautia*, (b) quæ conscripsit vir non parum eloquens Benedictus Jovius, Episcopi Nucerini (1) frater. Hæc, quæ impressa nunquam in lucem prodierunt, si, ut spero, nactus fuero, ad te transmittam. Quanquam quid attinet, hæc tibi levia polliceri, cum non desint, qui tibi maxima opera e pluribus, in quibus multa sœcula delituerant, eruta, vel e longinquis, & remotis petita regionibus inveniunt? Sed magna tibi a magnis dentur æquum est. Ego pene indoctus, & adulescens parva, ac levia daturum me tibi polliceor, non quod his tibi opus esse existimem; sed ut gratificandi voluntatem adesse mihi, facultatem autem abesse intelligas. Vale, vi. Kal. Mart. MDXLVII.

(a) Quæ impressa tum seorsim est, tum una cum alijs Majoragii *Orationibus*. V. Argelatum.

(b) Tria hæc Jovii opera MSS. habentur in Archivo Belgiojoso.

(1) Scilicet Pauli Jovii celebris Historici, qui frater natu minor Benedicto fuit. (a) Mentionem ejus facit Benedictus ipse in calce *Historiae Novocomensis*, Ghilinus, Morerius, & alli sexcenti. Manuscripta aliquot Pauli Jovii videre hic Mediolani mihi licuit, veluti *Chorographiam Larii Lacus* (aliоquin impressam) charactere antiquo descriptam in Archivo Belgiosiano, & in Ambrosiana Bibliotheca autographas epistolas varias, ex quibus una ad Hieronymum Angleriam in lucem edita fuit in libro, *Raccolta Milanese* fol. 40. 1756. In altero ex Codicibus Benedicti Jovii penes Abbatem Masnagum legitur: *ad Paulum Jovium Pontificis Maximi Medicum meritissimum M. Antonii Liburnatis Exastichon*, quod incipit: *Est fortuna Comes, & ibidem: Pauli Jovii Nucerini Præfusis designati Responso ad lepidissimum Poetam M. Antonium Liburnatorem*, cujus hæc priora sunt verba: *Carmina que nuper. Pauli Jovii*, qui Episcopi Nucerianæ, ac dicti Pauli pronepos fuit, (b) nonnulla sunt carmina in *Elogiis Pauli Jovii Senioris*, tum ununa ejus-

(a) V. Belium *Dictionnaire*.

(b) V. Aloysium Tatti *Annal. Dec. 3.* pag. 626.

dem lego, Cod. nostro 304, (a) fol. 36, quod, cum inter alia Jovii junioris vulgata carmina, mihi saltem comperta, minime extet, evulgare nunc operæ pretium arbitror. Carmen est in laudem Alphonsi Davali:

Quid sceptra ad tumulum, vincit quid compede Reges?  
 Quidve tot invictâ signa relata manu?  
 Quid galea? quid scuta nitent? quid gæsa? quid enses?  
 Quid viret æternis laurus opaca comis?  
 Num Mars, num Davalus tumulo jacer? hic fitus, hic est  
 Heu Davalus, quin Mars cum Davalo ipse jacer.

(e) *Inscription. Jacobi Valerii.*

## E P I S T O L A XVIII.

## A N D R E Æ S A X O S. P. D.

**ARGUM.** Ut amicorum suorum numero se accenseat, Saxum deprecatur, quem ab eruditione, & eximiis moribus commendat.

**H**ECTOR, opinor, apud Nævium (a) se a Patre gravi viro laudari lætabatur. Hujus exemplo postea & M. Cicero sua, quæ faceret, probari M. Catoni summopere gaudebat. Quandoquidem ea est vera atque jucunda laus, quæ laudatos habet Autores. Quare, mi Saxe, nihil est, quod & tu gloriari, & vehementer lætari non debeas, quod Joannis Menabeni, viri eruditione, atque integritate mirabilis, acerrimo judicio commendatus, apud nos eruditus, & idem optimus juvenis habearis, quales omnes ii esse deberent, qui juventutem erudiendam suscipiunt. Ille namque, cum apud me proxime esset, tantis laudibus ingenium, eruditionem, & mores tuos prosequutus est, ut postea semper maxime illud mihi in votis fuerit, ut per literas amicitiam tecum inire conarer. Is enim sum, ut quanvis pene indoctus, doctos tamen suspiciam, & vehementer observem, adeo ut (quod ajunt) omnem lapidem moveam, quod me in suorum amicorum numerum recipient. Id quoties tentavi, toties mihi, D.O.M. beneficio, feliciter successit. Hoc enim modo Basileæ aliquot viri undequaque eruditissimi benevolentâ se mihi conjunxerunt; idem fecit Venetiis Paulus Manutius Aldi filius, vir rarissimo ingenio, & summa eruditione præditus. Quapropter idem quoque a te factum iri sperare deboeo. Nolle tam interim temeritatis, aut assentationis me insimulares, quod ad ignotum hujus generis literas mittam, quodque te laudem. Hæc namque crimina a me penitus sunt transferenda, & in aliud quenpiam conferenda. Siquidem ab iis scim-

(e) Cicer. Epist. Famil. 6. lib. 25.

per abhorruit genius meus. Quod si tamen tibi damnandus videbor, mea de te opinio, & meus in literatos, & probos homines amor absolvere me debebunt, quibus adductus & te laudavi, & scriptis meis te visere non dubitavi. Hæc eò brevius scribo, quod sperem, tuas literas, quibus ad has rescriperis, latiorem atque ampliorem scribendi materiam mihi subministraturas. Joannem Menabenum anticum nostrum, & præceptorem saluta. Vale. Lugani, xvii. Kalend. Maji MDXLVII.

## EPISTOLA XIX.

F. MAURITIO VIGLEVANENSI DIVINI VERBI  
INTERPRETI S. P. D.

**ARGUM.** *Dantis carmina exposcit, tum carmina alia, quæ ad ejus effigiem appicata noverat.*

CUM proximis diebus in hortis vestris, ut a cœna fieri consuevit, cum Hieronymo Camutio, atque Augustino Planta confabulareris, multis verbis ultro, citroque factis sermonem tuum ad Dantem (1) Florentinum Poetam lepidissimum convertisti: quare non pauca de ejus vita, ac moribus attulisti, præsertim exulem illum Florentia, Ravennæ fato concessisse, ibique te vidisse ejus effigiem ad vivum delineatam; huic etiam appensa esse carmina aliquot pulcherrima. (2) Hæc igitur cum memoriâ teneas, vellem scripta ad me mitteres, illis enim commentariolos quosdam nostros ornatum iri cuperem. His adjunges etiam carmina illa a Dante.....dicta. Tua morum facilitate fretus, hoc oneris tibi imponere non erubesco, & id audacius facio, quod eum me esse cupiam, qui tibi tali ac tanto viro plurimum sit obligatus. Lugani, ex ædibus nostris, xi. Kalend. Majas MDXLVII.

(1) Dantis Aligherii Florentini MSS. tum pergamenta, tum chartacea in Ambrosiana Bibliotheca sunt, quæ enumerat Saxius; (a) aliasque Codex Dantis *de Monarchia* in Archivo Belgiojofiano servatur.

(2) Bernardus Bembus Petri Cardinalis frater, cum Præturam Ravennæ ageret, instaurari jussit tumulum Dantis, eidemque Exastichon apponi, quod legitur apud Morerium. (b) Instauratio alia ejusdem tumuli facta est an. 1692. (c)

(a) *Histor. Typograph. Litterar. Mediol.* pag. 132.

(b) *Diction. Historiq.*

(c) *Stato presente di tutti i Paesi, e Popoli del Mondo*, Vol. 21. pag. 425.

## EPISTOLA XX.

AUGUSTINO PLANTÆ J.C. S. P. D.

ARGUM. *Orationem mittit. Litterarium Plantæ studium celebrat.*

**H**ERI vesperi, cum unâ tecum animi molestias deambulatione sublevarim, de politioribus literis mecum statim agere cœpisti. Quare multa verba ultro, citroque fecimus, & in mentionem incidimus ejus orationis nuper Mediolani habitæ, in qua de nominis mutatione agitur: hanc autem orationem ad te legendam mitto, quod sperem ejus lectionem tibi jucundam fore, quemadmodum ejusmodi reliquæ consueverunt. Is namque est tuus in literas animus, Augustine, ut quidquid ocii a sanctissimarum legum studio tibi datur, id omne in humanioribus literis consumere consueveris, adeo ut quanvis graviora studia pertractes, mansuetiores tamen Musas non parum suspicias. Quod sit, ut te non solum amem, verum etiam vehementer observem. Quod si aliquot tui similes haberemus, fieret mehercule, ne bonæ literæ domi nostræ tantopere parvipenderentur. Vale. E palæstra nostra literaria.

## EPISTOLA XXI.

AUGUSTINO PLANTÆ S. P. D.

ARGUM. *Laudat carmina, quæ censuræ suæ subjecerat.*

**F**ELICI prosa quæ Marcus tractat acute  
Vidi, Francisce, grata fuere mihi.

*Reddere transmissum cupienti sœpe libellum,*  
*Lectio Prætoris distulit: ecce tuum.*

Quod hæc pulcherrima carmina meæ, qui indoctus sum, subjicias censuræ, facis tu quidem civiliter; quare huc spectat proverbium illud, Minerva vult se a sue edoceri, (a) sed tamen tibi morem geram. Censuram nostram accipe:

Tam bene convenientiunt versus, ut diceret hospes:  
Hæc cecinit, Nemesis cuius amica fuit.

(a) Adagium apud Ciceron. lib. 1. Academ. Quæst.

Define Planta igitur, mihi vena hæc aurea non est;  
 Dicere, cur non est publica vena tibi?  
 Omnia dixisset si sic nam Tullius olim,  
 Quis legeret, Marcum publica vena fugit?

## EPISTOLA XXII.

HIERONYMO FRICK LUGANENSI PRÆTORI S. P. D.

**ARGUM.** Majoragii *Decisiones* mittit. Fricci eruditionem probitatemque laudibus extollit.

**A**UGUSTINUS Planta, vir non vulgari eruditione præditus, quocum mihi magnus est usus, heri vesperi inter deambulandum multa mihi de te narravit, præsertim tibi summopere probari Majoragii dictionem, cum ejus orationem, quam de mutatione sui nominis habitam emisit, proxime videris, teque ideo cupere alias ejusdem lucubrationes evolvere. Quod cum primùm audivi, non mediocriter latari cœpi, sperans scilicet iccirco ansam, ut ajunt, mihi præberi, ut, quod jamdiu mihi est in votis, aliquando tibi viro eruditissimo, & eidem optimo gratificarer, simulque te meis literis non satis latinis inviserem, & id mihi statim feliciter successurum sum arbitratus, si Majoragii *Decisiones* xxv. ad te legendas mitterem, eas, inquam, quibus ille Cœlium Calcagniūm injustissimum Ciceronis criminatorem insectatur. Id igitur libentissime præstiti, easque ad te dedi. Nunc autem spero, quæ tua est humanitas, me temeritatis a te non accusatum iri, quod & indoctus, & ignotus te salem ac tantum virum literulis meis alloqui audeam. Excusare namque me debebit vehemens meus in omnes Germaniæ viros literaturā præstantissimos amor, inter quos tu certe postremus non es, quod facile ab iis omnibus judicatur, qui scripta tua, cedro quidem digna, & cupresso servanda lectitarunt, cuius eruditionem & probitatem adeo suspicio, ut quanvis temeritatis extremæ notam mihi insutum iri perspicarem, ideo tamen minime prætermittendum non judicassem, ut mihi non obtemperarem, & te per epistolam qualemcumque non alloquerer. Atque in hac re mihi fidem faciet Planta, quocum nunquam confabulor, id enim fere quotidie accidit, quin tribus primis verbis dicam: quid noster Prætor? quod librorum genus evolvit hoc tempore? & alia id genus plurima. Plura scriberem, nisi pudor me a scribendo deterret. Nec injuria, cum mihi non satis esse videatur, quod

quod indoctus, & ignotus ad te scribam, nisi etiam tecum familiariter agere incipiam. Quare vale. E palaestra nostra literaria.

## EPISTOLA XXIII.

ANTONIO CASTOREO S. P. D.

**ARGUM.** *Nunquam sibi non gratissimas Castorei futuras litteras testatur; dictioñem quandam ab eo improbatam tuetur.*

**A**D xvii. Kalend. Junii accepi tuas literas, quæ, perinde ac solent, mihi gratissimæ, & jucundissimæ fuerunt. His me admones, te ideo rarius ad me scribere, ne, cum scias me negotiis non modicis impediri, importunus magis quam officiosus videreris. Nihil est quod aut id tale diccas, aut arbitreris, semper enim tuae mihi literæ exoptatae redduntur: si quidem nunquam adeo negociosum me judicarem, quin tuas literas libenter inspicerem. Atque hoc jure quodam suo postulat mea in te non vulgaris benevolentia. Quapropter cave posthac hoc vereare; & tuas literas eo mihi gratiiores fore, quo saepius ad me scripseris, existima. Ceterum dicens, te in literis meis mendoſam quandam ῥηγονονομίαν (a) compriſſe; quod cum legi, mirabiliter latatus sum, id namque signi est, te diligenter & tua, & aliorum scripta lecitare. Sed tamen non video, qua ratione adductus non probaveris, atque barbarum judicaveris, quod dixerim: *ad tuas litteras respondeo*. Nam & Plinius junior in Epistolis ejusmodi locutionis genere utitur, cum inquit: *Quum ad eos brevissime respondisssem*; proinde, si quis dicit: *respondeo ad eum*, quis prohibet, quin latine dicatur: *respondeo ad tuas litteras?* Ad hanc autem orationem meam confirmandam hoc satis esse existimo; alioqui innumeræ exempla ex illustrium Authorum monumentis deprompta possem adferre. Quare rectius dixisses, si, te quædam esse in epistola mea animadvertisse, protulisses, quæ tibi non satis latina viderentur. *Non videtur mihi latine dici, ita dicendum videtur*, erat scribendum, non autem, *menda est, ita dicendum est*. Memineris, Antoni mi, Philosophos maximos de rebus vel plane apparentibus videtur, non autem est dicere conservisse; quod in ejus generis rebus est arrogantia, videtur, autem modestia nefcio quid habere videatur. Atque haec admonendi, non criminanti causa a me dicuntur. Ego namque quæque dicens, aut scribis, boni consulam, quæ mihi sunt jucundissimæ.

(a) Constructionem.

R

sima, quod nobis de te conceptam spem augent? Quod mandatum meum de Petro Varrono diligenter obiveris, immortales tibi ago gratias. Vale. Lugani, xv. Kal. Junias MDXLVII.

## E P I S T O L A XXIV.

FRANCISCO CASTOREO S. P. D.

**ARGUM.** *Diuturni silentii post receptas postremo litteras excusatum habet, petit tamen, ut frequentior deinceps in scribendo sit. Mendum aliquid in ejus litteris corrigit, quarum tamen scriptionem in universum probat.*

AM tibi non parum succensebam, quod tandem absens ne tribus quidem verbis me salutasses. Noveram enim hoc a te siccirco non fieri, quod consuetudinis nostrae memoriam ex animo tuo delevisses: ii namque, qui vere sunt amici, licet locorum, atque temporum magno intervallo sejungantur, non tamen amicitiam oblivioni tradunt; neque negotia tibi impedimento esse arbitrabar, quod minus me tuis literis inviseres. Quis enim occupationibus est adeo distractus, ut tantillum temporis desit, quod in scribendo epistolio insumitur? Quare illa de te suspicarer, erat necesse: valde jam superciliosus est Castoreus noster, qui ad me, hominem prope domesticum, literas dare gravetur: postquam Mediolanum attigit, & eruditos Majoragios, atque Comites audiens cœpit, tam magnifice de se sentit, ut tertium Catonem se se existimet. Nec mehercule immerito hæc de te suspicabar, præsertim cum, quæ mihi coram promisisses, absens minime præstares. Receperas enim mihi, te ad me literas daturum, priusquam de rebus tuis alium quenquam certiore faceres. Has, cum nunquam reddi viderem, quid de te sentire, aut opinari, aut suspicari debebam, nisi te nostram amicitiam parvifacere? Verum literæ tuæ amantissimæ, & cædem exoptatissimæ, non solum omnem spretæ suspicionem amicitiae mihi ademerunt, sed etiam illam non parum auxerunt, arctioreisque reddiderunt; unde fit, ut te merito excusatum habeam. Nollem tamen arbitrareris, me tuis argumentis, atque rationibus ingeniose excogitatis adeo lenitum, atque pacatum esse redditum, ut posthac silentii tui excusationem sim accepturus. Non faciam, crede mihi, Francisce. Quare illud cures non oro, sed jure quodam meo postulo, ut posthac sèpissime scribendo, non solum quod debes, præstes; verum etiam tempus illud omne,

quod in silentio contrivisti, loquacitate resarcias. Sed existimo te perspicere hoc non temere a te curatum iri velle. Video enim te hinc duplarem consequiturum utilitatem: primum enim mihi tui amantissimo gratum feceris, deinde, quod exercitationis genus tibi majori adjuvamento esse potest ad Romanam dictionem comparandam, quam frequens scribendarum epistolarum usus? Sed haec dixisse tatis esse existimo, ut intelligas, te superciliosi hominis notam subiturum, si literas tuas e somno non excitaveris; contra vero magnam apud nos laudem adepturum, si crebro scripseris. Nunc ad tuas literas venio, quarum dictionem mihi quidem vehementer probari Patri tuo affirmavi. Nihil enim in eis legi, quod mihi latinum non visum sit, nisi quod alicubi sic scribis: *Tecum mehercule libenius, quam cum nullo alio consummire studebam.* Ubi arbitror supervacanciam esse negationem, neque scribendum consummo, ita ut duplex m adscribatur. Hoc autem censuræ meæ adjungere placuit: me non sequi vulgarium amicorum consuetudinem, qui in hujusmodi rebus assentantur potius, quam ingenue fateri velint. Atqui, ut nullius propemodum momenti errata tua correxi, ita si graviores mendas in illis comperissem, minus tacerem. Neque enim te eum esse puto, apud quem, ut ait Terentius, (a) veritas odium pariat. Cæterum et sunt tuæ literæ, ut maximam fidem faciant, spem, quam de te concepi, non solum æquaturum, sed etiam incredibili celeritate superaturum esse. Quare sit, ut cum mihi, tum tibi maxime gratulandum existimem; mihi quidem, qui omnia de te polliceri nunquam dubitaverim, tibi vero, qui solidam eruditionem, qua nihil sanctius, nihil nobilior, nihil utilius, nihil denique dulcior, Deorum immortalium beneficio, in nos collatum est, consequi licet. Plura scribam alias, cum plus otii naectus fuero. Velim per proximas literas tuas mihi signifiques, an adhuc sit isthic Julius Cattus adulescens, qui alias in Antonii Majoragii Gymnasio versabatur. Vale. Lugani, Kal. Jun. MDXLVII.

(a) Andr. A&R. 1. Sc. 2.

DE CICERONIS IMITATIONE SENTENTIA  
AD ERUDITISSIMUM VIRUM HIERONYMUM FRICK  
PRÆFATIO.

**ARGUM.** Friccius humanitatem, atque eruditionem commendat. Deinde non eam esse Majoragii sententiam contendit, quod unius Ciceronis ad eloquentiam capessendam imitatione opus sit, fere ac veteres qui- cumque alii contemnendi Scriptores sint. Tum suam de imitatione Ciceronis mentem aperit, nempe in eloquentia sibi comparanda Tul- lium omnibus anteponendum esse, simul tamen ad veteres etiam alios aureæ ætatis Auctores confugiendum. Denique duo genera Ciceronis Imitatorum distinguit.

**N**EQUEO satis admirari, Hieronyme, tantam, tamque multiplicem eruditionem tuam, nam ex prima tua confabulatione (nunquam enim antea te coram audieram) tot subtiliter atque prudenter a te disputata memoriz mandavi, ut merito mihi gratulandum censem: quemadmo- dum non mediocri afficiar lætitia, quod multo felicius mihi successerit, quod in optatis erat, quam ego arbitratus fuisset; optabam namque summopere mihi occasionem aliquam offerri, per quam mihi tecum per epistolam confabulari liceret. Id Deorum immortalium beneficio mihi successit, occasionemque mittendarum literarum sum nactus; lite- ras meas qualecumque misi, quæ tua est humanitas, læta atque hilari fronte accepisti, reque illis responsurum es pollicitus. Sed tuorum morum facilitas fecit, ut hoc satis tibi non videretur, nisi me hoc etiam munere cohonestares, & tuo colloquio dignum judicares. Huma- nitate igitur adductus, non solum mihi permisisti, ut tua confabulatione per epistolam fruerer, verum etiam liceret, quod ait Vergilius:

... veras audire, ac reddere voces. (a)

quod adeo mihi gratum, ac jucundum evenit, ut una cum Ovidio sic dicam:

*Proveniant læti sic mihi saepe dies.* (b)

Quid enim in illo sermone tuo intentatum reliquisti? Omnia fere scien- tiarum semina magna cum eloquentia attigisti. Postremo vero de Erasmo Roterodamo, Melanchthon, Gryno, (c) Picardo, Othorino, Picar-

(a) *Ensid. x.*

(b) *Amer. l. r. Eleg. 5. v. 26. Provenient medii sic mihi saepe dies.*

(c) *Simon Grynaeus, de quo Gelnerus in Biblioteca, & Mazzuchellinus in Musso.*

do, (a) Camerario (b), Pellicano, (c) Munstero, (d) viris literatis., quos omnes & præceptores, & familiares habuisti, non pauca narrasti, quæ memoratu dignissima omnibus videri possent: quapropter futurum est, ut, dum vivam, tui sim memor, dicamque: hæc per Frick virum eruditissimum sum consequutus; & ideo me tibi plurimum debere profitear. Quæ quum in memoriam revoco, fieri non potest, quin me negligentiæ, atque tarditatis incusæ, qui ante hoc tempus omnem, quod ajunt, lapidem non moverim, ut ad te audiendum pateret aditus. Quoties enim ad te accessissem, toxies etiam multò doctior discessissem; is enim es, in quem meritò hoc distichon, qualecumque est, contulerim:

Mantua Vergilio, sic Berna Helvetica Fricko

Gaudet, quem Musæ perpoliere novem.

Nam tales, ac tantæ sunt virtutes tuæ, ut meritò Luganensibus gratulandum existimem, qui te Prætorem habeant. O felicia sæcula, si tui similes essent omnes qui Magistratum gerunt! Sed jam tuarum laudum amplum, atque patentem cænpum me sensim ingredi sentio, cuius planitiem quum circumspicio, unde mihi excundi fiat copia, nusquam video. Fusiorem itaque tuarum laudum catalogum hic nequaquam texero, memor id non esse virium mearum, quas imbecilles admodum esse non me praterit. Laudent te igitur alii, quibus a natura ingenii tantum est concessum, ut virum omnigena eruditione expolitum meritis laudibus prosequantur. Ego nanque interim orationem meam alio convertere institui. Cum ea, quæ superius commemoravi, differuisse: quid tibi de Majoragio videretur, cuius *Decisiones* jam fere evolveras, libere protulisti. Ejus nanque dictiōnēm vehementer te commendare dicebas, magnam autem ejus eruditionem te admirari libentissime prædicabas. In summa ejus hominis omnia tibi probari affirmabas, nisi quod dicat, atque asseveret latini sermonis candorem, atque elegantiam ab uno Cicerone comparari posse. Quare hinc statim aliam differendi occasionem arripuit, multaque de Ciceronis imitatione in medium protulisti. Iccirco ego quoque, utcumque coram licuit, ea de re sententiam meam dixi. Eam nunc absens resumo, & pluribus explico, simulque non tam cognoscendi, quam emendandi caussa tibi transmitto: Sed id facilius me facturum esse arbitror, si quid sibi velit Majoragius, in quo ab eo dissentiris, brevibus prius exposuero. Quum dicit,

(a) Michael Picardus V. *Decisiones*. Morenii.

(b) Joachimus Camerarius.

(c) Corradus Pellicanus.

(d) Sebastianus Munsterus.

ab uno Cicerone latini sermonis candorem, atque elegantiam comparari posse, hoc certe facit, ut Ciceronem, quantum potest, laudet, & Calcagninum, utsipote audacissimum, quod eum carpere ausus fuit, lectoribus in odium, in invidiam, in contemptionem adducat. Quae minime existimandum videtur, Majoragum judicasse, nullius veterum, praeterquam unius Ciceronis, imitatione nobis ad eloquentiam opus esse, & juniores omnes, qui latine, atque eleganter scripserunt, ex eruditorum, facundorumque hominum numero proscribendos censuisse; imo veteres imitandos docet, eos, inquam, qui ex lingue cultu magnam laudem adepti sunt, nec interim juniores sua laude fraudat. Quod facilè datur ex eo intelligere, quod in suis lucubrationibus non est adeo Ciceronis unius studiosus, quin, quum opus est, & res ipsa exigit, ad eloquentissimorum veterum imitationem configuiat. Quantis vero laudibus neotericos prosequatur, manifestum est ex ejus oratione, quam *De nominis mutatione inscripsit*. In ea namque Erasinum virum Divino pene ingenio nominat, Angelum Politianum (1) virum facundum, & oratione politum appellat. Sed, cum jam planam fecerim Majoragi de Ciceronis imitatione sententiam, meam de eadem re subjungendam tempus admonet. Laudo Authores omnes & veteres, & recentiones, quos aut propter admirabilem rerum cognitionem, aut excultum dicendi genus eruditorum consensus approbavit; sed eos maxime, qui suam eruditionem verbis Romanæ facundiæ majestate dignissimis expresserunt. Verum, quod ad imitationem attinet, Ciceronem unum esse censeo, quem reliquis omnibus præponamus, & cujus imitatione latinam nobis eloquentiam comparemus. In iis autem, in quibus nostram dictionem, quantum per nos fieri poterit, ad illius divinæ eloquentiæ modulum & exemplar informare non licuerit, ad veteres configendum esse fentio: ad eos, inquam, qui in dicendo claruerunt; veluti ad Terentium, Julium Cæsarem, Sallustium, & alios aliquot horum similes. Quare & hic intelligo opus esse mediocritate, quæ aurea ab Horatio (a) merito appellatur: ita, ne omnem ætatem, quæ ad excolendum animum maxime facit, in Cicerone uno conteramus, & discipularum ignari ad senectutem perveniamus, neve adeo Ciceronis studiosi simus, ut ex iis finibus, in quibus se continuit Cicero, pedem efferre non audeamus, nihilque proferamus, quod Cicero nos dixerit; neque interim tantum a Cicerone discedamus, ut sermo noster, non ad Ciceronis imitationem, sed potius ad aliis cuiuscumque compositus esse videatur. Exposui quænam mea sit sententia de M. Tullii imitatione.

(a) Lib. 2. Ode 2.

Nunc operæ pretium me facturum existimo, si quibus rationibus ad ductus sic sentiam, planum ac dilucidum fecero. Qua quidem in re eo utar ordine, quo sententiam ipsam attuli; ita enim fiet, ut & facilius intelligar, & commodius, quæ institui, persequar. In ipso meæ sententiaæ vestibulo dixi probatos Authores mihi etiam probari, quod ideo feci, ne quis de cæteris Authoribus omnibus me male sentire existimet, cum Ciceronem Romanæ parentem eloquentiæ primum, maximeque, & post eum aliquot alios, quum opus est, imitandos esse judicem. Nam quis ego sum, ut quod communia doctorum omnium suffragia approbarunt, id mihi displicere prædicem? An hos Authores non legendos existimet? Nemo est ita demens, qui omnes libros, vel barbaros ipsos nobis legendos esse non arbitretur, ut immensam (si fieri potest) rerum sylvam nobis comparemus. Illud nanque Plinii notum est, nullum esse librum tam malum, qui lectori aliquam utilitatem non adferat. Quid ergo? (dicit aliquis) si eos imitatione nostra indignos censes, omni eloquentiæ latinæ laude privas, linguæ latinæ ignorantie accusas, barbaros denique facis? Nihil minus. Quid igitur? legendos non sequendos, evolvendos non imitandos, conterendos non æmulandos esse doceo, cum Ciceronem Romani sermonis castimoniæ, atque lauitiæ authorem præcipuum, cuius eloquentiam intuentes non satiamur, imitandum habeamus; cui non omnem eloquentiæ laudem, sed principatum meritò tribuimus. Sed jam ad alia transeamus. Judicavi Ciceronem, utpote Oratorum omnium facile principem, nos ante alios æmulari debere, nec mehercule immeritò. Nam si quem interrogavero: cuius vestigiis nobis præcipue insistendum censes, ut eloquentes evadamus? Is, modò quæ ad eloquentiam faciant noverit, sic, nec me animus fallit, respondebit: ejus, qui primas in cultu, atque ornatu latinæ linguae tenet, qui cæteros facundia multum excellit; quo magistro eloquentes usi sunt, non qui latine solum loquitur, non qui in eloquentium numero tantum recensetur, non qui superiorem, aut parem in dicendo habet. Atque quis hic, si non est Cicero? cui eruditorum omnium consensu eloquentiæ palmam delatam esse multis jam saeculis constat, in quem illud elogium unicum consentiunt eruditæ: Musas, si latine loqui vellent, non alio, quam Ciceroniano sermone usurpas. Quid? quod Andreas Alciatus, Jurisconsultorum, atque adeo Oratorum omnium hujus ætatis facilè princeps, scite facit, Cicerone occiso, Romanum quoque perditum fuisse eloquium; inquit enim in *Emblematis*: (a)

*Romanum eloquium postquam, Cicerone perempto,*

*Perdiderat patriæ pestis acerba fææ;*

(a) XXIX. inter ejus *Emblematis*.

Neque ignoro quantas tragœdias agam, & quot in me concitēt, cum Ciceroni nec superiorem, nec parem adhuc ullum inventum esse asseverem; quare longius hæc oportet agam, hic diutius aliquanto immorandum esse existimo, quod nonnullorum opinionem refellam. Audio enim nonnullos, qui unum, atque alterum ex recentioribus divino Ciceroni non solum æquiparent, verum etiam præponunt, quod certe non fecus faciunt, quam qui χαλκέτ τῶν χρυσειών (2) meliora & pretiosiora existimant. Sed desinent, opinor, isti aliquem Ciceroni præponere, cum illum ne parem quidem adhuc habuisse ratione probavero. Quanquam quid attinet in comprobando elaborare, cum res ipsa sit luce clarior? Memini, quin non ita pridem Ciceronis orationes legerem, me doctam admodum Andreæ Navagarii (6) viri eloquentissimi præfationem ipsis orationibus præfixam vidisse, in qua vir ille doctissimus differendo judicabat, eloquentiam primum a mukis Romanis & excultam, & auctam fuisse, deinde Hortensium sic in ea excelluisse, ut in eo pene perfecta esse videretur, postremo unius Ciceronis operâ tantum effectum, ut ad eam nullam accessionem fieri posse existimat, cum ei extremam manum imposuerit, & colophonem addiderit; quod ita esse is deinceps facile coaperiet, qui Ciceronianam phrasim cum cuiuslibet veterum stylo contulerit. Antiquorum multi in dicendo fluerunt, sed ita potissimum, Plautus scilicet, Terentius, Sallustius, Julius Cæsar, Vergilius, Livius Patavinus, Quintilianus. Ciceronem horum unicuique conferamus, neminem certe ei parem, nendum superiorem esse videbimus. Quod si nemo ex iis, quos retuli, cum Cicerone certare potest neotericos, illis multo inferiores, Ciceroni aut anteponeamus, aut certe æquabimus? Absit id procul: equidem fateor Franciscum Philelphum, (2) Leonardum Aretinum, (3) Laurentium Vallam, Guarinum Veronensem, (4) Georgium Trapezuntium, Hermolaum Barbarum, Joannem Picum, Angelum Politianum, Aldum Manutium, Erasmum Roterodamum, Gulielmum Budæum, (5) multoisque alios latine scripsi, atque eleganter scripsisse, eorumque operâ bonas literas, tanquam ædificium putre vetustate collapsum, restitutas fuisse; quam quidem laudem, & gloriam nemo est, qui libenter illis non concedat. Sed qui eloquentiæ veteribus, quos attuli, comparandi sint (nam de scientiarum cognitione non loquor) nemo vel mediocriter eruditus existimaverit. Quibus enim latinæ lingue usus, castimonia, lauitia propria, atque pecularis fuit, illi sibi eos, quibus lingua latina fuit aliena, eloquentiæ

(2) Eneæ aureis.

(6) V. Niceron Mémoire t. 13.

quentiâ se æquare patientur? Nequaquam. Hi nanque ex illis, tanquam e fontibus, latinæ linguae castimoniam hauserunt, hi latina in dictione comparanda accuratissime illos sibi æmulandos duxerunt. Hoc autem sic esse, nemo est, qui neget. Sed argumenta mea novi adversariis minime probari, & frigida atque infirma existimari, cum dicant, facilimum esse inventis addere, & id Ciceronis exemplo comprobent in hunc modum argumentantes: quemadmodum Cicero elegantiae ac eloquentiae latinæ sibi per majorum præclara monumenta traditæ tantum adjunxit, ut omnes eloquentes, qui ante se floruerunt, facile superaverit, ita & juniores vicissim Ciceronis industriæ plurimum addentes præstiterunt. Hoc isti argumento putant se probasse recentiores scriptores non tantum Ciceroni pares, verum etiam in dicendo superiores esse. Nullo labore illis concederem juniores Ciceronem assecutos fuisse, modò eloquentia, latinæque linguae elegantia talis ad eorum manus pervenisset, qualis Ciceroni fuit tradita. Verum neque illud satis esset, nisi etiam hi quoque tantum ingenio possent, quantum unus Cicero valuit. Sed cum & hoc, & illud junioribus defuerit, qui fieri potest, ut illi Ciceronein sint assecuti? Quod si Ciceronem ne æquarunt quidem, quis illos ei antecellere affirmabit? Dicamus igitur audaciter, Ciceronem præcipue sequendum esse, ut eloquentes evadamus, propterea quod nemō post homines natos inventus fuerit, quem, sive linguae latinæ simplicitate, sive puritate, sive lautitia, atque elegantia, sive artificio, sive denique quibusvis eloquentiae viribus illi æquemus, nedum præponamus. Sed jam ad judicium meum redeo. Illa etiam me ratio invitavit, ut dicerem Ciceronis unius vestigiis nobis maxime insistendum esse, quod sciam aliquem nunquam imitationem suam ad exitum, sive ad scopum quendam posse perducere, si plures sibi æmulandos accuratissime duxerit. Qui nanque pluribus similis esse enititur, is saepius imitationis ludit operam, & neminem in dicendo refert. Siquidem fit, ut maxime incertus, in tanta dicendi varietate, in tam varia differendi ratione, viam, qua dexteritate quadam ad scopum perveniat imitationis, ignoret; & non aliter illi eveniat in hoc itineris genere, quam imprudenti viatori evenire consuevit, qui relicta via regia, & ea certissima, diverticula quædam, & ea valde diversa ingressus, non semel, sed iterum atque iterum fallitur, neque eō, quo intendit, pervenit, nisi facto interim non parvo viæ dispendio in rectam viam redeat. Non male igitur censuisse videor, si Ciceronis imitationem præcipuam dixi nobis esse debere. Præcipuam, primaque dico, non unicam, ut, cum accesse fuerit, ad aliquot aliorum veterum imitationem ingenii nostri

S

vires conferamus. Cujus quidem rei ea est ratio, quod, quanvis Cicero ea, qua diximus, eloquentia fuerit, tamen fieri non potest, ut natura omnes dicendi vires, atque facultates in eum unum contulerit. Siquidem nihil simplici in genere omnibus ex partibus ea perfectum expolivit. Id quod viderat & Heracleotes ille Zeuxis pictor clarissimus, qui, cum excellentem muliebris formæ pulchritudinem Helenæ simulacro exprimere instituisset, ejus venustatem non ex una virgine, sed ex aliquot vere formosis effinxit. Itaque ne putemus omnia, quæ quærimus ad eloquentiam, uno in corpore, hoc est auctore nos reperire posse. Ex uno nanque Cicerone eloquentiæ, latinique sermonis elegantia, castimoniam, venustatis tantum hauriemus, quantum nobis licuerit, ut stylo nostro illius phrasim, potius quam cujusquam alius, quoad ejus facere poterimus, referamus. Sed interdum cæterorum veterum aliquot imitationem non aspernabimur, memores ex uno Cicerone, quæ imitemur, plura, quam ex omnibus aliis, non tamen omnia petenda. In reliquis autem meæ sententiæ partibus, quare sic judicem, planum esse arbitrор. Exposui quænam me invitarint, ut Ciceronem unum præcipue sequendum in eloquentia, atque latina elegantia dixerim, & post eum aliquot veteres alios imitandos judicaverim: quæ ed pluribus tecum agere volui, Hieronyme humanissime, bonarumque literarum petitiss., ut intelligas, quantum ego video, duo esse genera eorum, qui sibi Ciceronem imitandum proponunt; unum scilicet, cuius sunt ii, qui se ideo appellari Ciceronianos nolunt, quod Ciceronianis verbis tantum utantur, sed potius, quod rerum cognitionem, & scientias, quibus præditus fuit Cicero, Ciceronianis dicendi characteribus exprimant, neque adeo sunt imitandi Ciceronis studiosi, ut nihil, quod ille non dixerit, ipsi dicant, nec dicere audeant, & ideo ex aliorum veterum, qui ex lingue cultu non parvam sibi gloriam paraverunt, imitationem negligant. Qualem fuisse videmus olim D. Hieronymum, & multos alios; nostris vero temporibus Andream Alciatum, Julium Camillum Carnum, (6) Marc. Ant. Majoragium, & Jacobum Sadoletum, (7) qui ob egregiam eruditionem, dicendique ubertatem admirabilem, magnam apud omnes nominis claritatem est consequutus, & Paulum Manutium Aldi filium, juvenem cum summa eruditione, tum orationis elegantia præstantem, & Franciscum Crassum, (8) virum maximis rebus gestis clarissimum, qui non ita pridem Mediolani coram V. Carolo Cæfare invictissimo orationem (9) habuit, totam ad imitationem Ciceronis facundiæ compositam, qua omnes, qui aderant, in maximam sui admirationem adduxit. Alterum Ciceronianorum genus est eorum, qui Ciceronis phrasis adeo

sunt studiosi, ut illius suavitate mirum in modum affecti, alleiectique tantam tamque variam disciplinarum supellectilem aspernentur, satis arbitrantes se eruditos fore, si ejus verba expresserint, si sermonis nuda liniamenta repræsentaverint, si denique verba Ciceronis ad omnem argumenti occasionem in promptu habeant; qui interim tam variarum scientiarum ignari, nihil prorsus Ciceronis imitatore dignum agunt, adeo ut mira religione, aut superstitione alligati uni Ciceroni, nimia imitationis cura, bonam naturam corrumpant, propterea quod dicta grandia rebus exiguis, & contra parva magnis accomodent. Accedit etiam, quod tales Ciceronis imitatores adeo sunt inepti, ut nullum verbum effterant, quod Cicero dentibus non attriverit, & barbaros eos existimarent, qui non ad præscriptum, regulamque Ciceronis verba enuncient, & angustis adeo finibus circumscriptam arbitrantur eloquentiam, ut nihil recte se habere putent, quod Cicero non expresserit, usque adeo uni Ciceroni omnem eloquentiæ laudem, & latinæ elegantiæ gloriam concedant, & reliquos omnes, cùm iuvenes, tum juniores authores omni earum rerum laude privent. Hujus generis multos novi, qui indigni sunt ut hic nominentur. Qui hoc pacto se Ciceronis imitatores esse profitentur, hi (dicam apertius quod sentio) non Ciceronianii, sed picæ, aut psittaci Ciceronis sunt appellandi, hi ðios (a) ab Echo Erasimiana (b) meritò sunt nominandi, nec injuriâ; tales enim communis sensus sunt penitus expertes. His hac infania purgandis opus est tuo helleboro, quod illis præbes ex epistola, quam ad Plantam nostrum proxime scripsisti. Quam quidem epistolam legere non desistimus, & ut decet doctissimam lucubrationem, caram habemus. Vale, Id. Maji MDXLVII.

(a) Afni.

(b) In Colloquiis.

(1) In Archivo Belgiojof. Angeli Politiani Epistola est ad Tristatum Calchum satis diversa ab impressa Noremburgæ 1499, inter *Epistolas Illustr. Viror.*

(2) Græcas, latinasque litteras Mediolani docuit Franciscus Philephus. Sane in Precibus impreissis Lucilii Terzagi ad Senatum Mediolani, Cod. nostro 260 aliâ laudato, sic legitur: *Primo Mediolani Duce Francisco Sforzia... dominante Mediolani publice profuebatur græcas, & latinas litteras Franciscus Philephus, Eques auratus, Poetaque laureatus, & Georgius Valla, ut ex eorum libris in lucem editis appareat.* Plures Philephi vitam, & gesta litteris confignunt, veluti Niceronius, Foppius, Saxius, Lancellotus. Philephi uxor Theodora, Emmanuelis Chrysoloræ neptis, unacum hoc ipso avunculo suo, humata est in Templo S. Eustorgii, ut monumentum eorum ostendit, quod videbis apud Allegraniam. (a)

Tres apud nos Philephi sunt Codices, quorum unus, n. 128, versio est *Apophthegmatum Plutarchi* per Philephum, scriptusque Codex infra annotatur per

(c) De Sepulchr. Crisian. pag. 83.

S ij

Balsarinum Caymum an. 1464. In alio Cod., n. 306, plures sunt Orationes, & nonnulla Orationum exordia, quorum nihil typis impressum, nec ab ullo enunciatur agnovi. Prinæ, quæ ibi legitur Oratio, est de laudibus Philippi Mariæ Angli Mediolani Ducis; Orationes aliæ varii sunt argumenti, nempe pro Capitulo Provinciali, pro electione Præsidis, in Nativitate Domini, de Eucharistia, de Divina Scriptura, ac de aliis. Codex alias, n. 307, nuper Bibliothecæ nostræ accessit ex humanissimo dono P. Allegrantia: mutulus ab initio est, continetque primò Comediam quædam latino eleganti sermone conscriptam, in qua Philogenia quædani primas agit partes. Nullum quidem Auctorem Comedie hæc præfert; sed facile crediderim Philephi opus, cum alia, quæ sequuntur in Codice, Philephi auctoris nomen exhibeant, eodemque tum charactere, tum etiam styli similitudine totus Codex exaratus sit; sequitur autem in Codice sic: *Supplicazione di Francesco Filelfo alla SS. Vergine Maria per la conservazione del Gloriosissimo Prencipe Filippo Maria*. Carminibus conscriptum est opus. Concluditur Codex opusculo, ubi de virtutibus, ac de vitiis agitur, suntque hæc alia italico, alia latino sermone concepta. De his autem, quæ in hoc sunt Codice, Philephi lubricationibus mentionem non faciunt nec Niceronius, (a) neque Apostolus Zenus (b).

In Codice apud Principem Belgiojosum est Francisci Philephi *Cantus Moralis ad Christum Salvatorem, & Ambrosium Pontificem pro face*, & in alio Codice apud eundem est *Philephi Parenesis in Francisci Sforiae felicitate*. De his pariter verbum nullum apud Niceronium, Zenum, aut alios, quos sciam.

Magni voluminis autographus Codex latinarum, græcarumque epistolarum Philephi est penes Illustr. Marchion. D. Georgium Theodorum, & Fratres Trivultios, ex quibus epistolis duas evulgandas defunxit Cl. D. Angelus Theodorus Villa in Ticinensi Lyceo Eloquentiæ Professor, typisque edidit, unacum annotationibus, latinaque versiōne. (c) Duos Philephi Codices in fol. possidet eruditissimus D. Carolus prædictorum Marchionum patruus; alter epistolas, Orationesque contains, alter autem, qui autographus, ejus *Sforiatadem*, in cuius priori pagina duo visuntur stemmata ipsius Philephi: in primo dux aquilæ imperialès habentur, & quatuor capita ursorum, quæ capita stemma sunt Ursæ Osnaghæ, secundæ ejus uxoris, de qua Zenus in *Dissertationibus Vossianis*; stemma aliud Mercurium exhibet, quod symbolum erat sibi a Philepho assumptum, de quo Mazzuchellius in *Museo*: e lateribus, seu supra stemmata litteræ extant FR. PH.

In Conventu S. Mariæ Coronatæ MSS. sunt Plutarchi *Apophthegmata* per Philephum, Codice 25, in quo etiam extat *Oratio Lysæ in defensionem occisi Eratothenis latine reddita per eundem*. Jam vero in annotationibus, quibus indicem Bibliothecæ Conventus illius illustravit Cl. P. Thomas Veranus Augustinensis, optime animadversum est, quod ea Lysæ Orationis versio singulis plane convenit verbis cum ea, quam Janus Vitalis Panormitanus Romæ edidit, typis Mazzochii an. 1515, atque hinc propterea constat Janum Vitalem, qui Philepho posterior fuit, totam illam Philephi versionem pro sua venditasse. Eodem in Codice, quod miniæ silendum arbitror, est Xenophontis *Oeconomicon* \* per Lampium Biragum Mediolanensem latine factum.

In Biblioteca Principis Belgiojosii sunt Francisci Philephi *Exercitariunculae*, impressæ Mediolani per Antonium Zarotum Parmensem, 10 Februarii 1498. Edi-

(a) *Mémoire des Hommes illustres*.

(b) *Dissert. Voss.*

(c) In Libro Raccolta Milanesi 1757.

tionem hanc non indicat in Catalogo librorum Mediolani sæculo XV. impressorum. Saxius, qui tantum nominat Mediolanensem editionem an. 1489.

(3) Aliquos Leonardi Aretini, seu Bruni Codices MSS., quos hic Mediolani inspexi, palam facere haud ineptum erit. Primo ejus Codicem, n. 157, nos possidemus *della prima Guerra Cartaginese*. Venetiis impressus hic liber est per Junctas an. 1545, eundemque inter rariores accenset libros Nicolaus Franciscus Haynus. (a) MS. Codex, in quo *Tyrannus Xenophontis*, & *Isocratis Parænesis* latine versa per Leonardum Aretinum, extat apud Principem Belgiojosium, penes quem etiam est nitidissimus alter, & optimæ notæ Codex *della Guerra Italiana contro i Goti*. Idem hoc opus, sed latine scriptum, servatur in Bibliotheca Conventus SS. Cosmi, & Damiani, Augustinensium Discalceatorum. *Tyrannus Xenophontis* typis impressus est ex Bibliotheca Fabritii. Opus pariter de Bello Gothicō, seu italicum, seu latinum, editum est, (Vide Niceron. tom. 25.) licet istud memorare omiserit Fabritius. An autem *Parænesis* excusa sit, plane ignoro; non enim hæc recensetur, nec ab Apostolo Zeno, (b) nec a Mazzuchellio. (c) In Codice Ambrosianæ, M. 44., duo sunt opuscula MSS. Aretini, *Laudatio Florentiae Urbis*, ac *de Militia*, quæ a Mazzuchellio indicantur.

In Conventu S. Mariæ Coronatæ Codex, n.º 25., continet Aretini *Invectivam contra hypocritas ex omni genere hominum*, quam impressam esse constat ex Fabritio, & *Bibliotheca Imperiali*. In eodem Codice habentur Commentaria Aretini in I., & II. *Oeconomicorum Aristotelis*. Quavis nondum hæc prodiisse scribat Fabritius, typis tamen Junctarum vulgata revera sunt, ut constat ex *Bibliotheca Imperialis*. Pariter in eodem Codice epistola est Poggii Florentini ad Leonardum Aretinum, de morte Hieronymi Pragæ, cuius exemplum aliud prostat in Codice Bibliothecæ S. Victoris Monachorum Olivetanorum, aliudque in Ambrosiana, (d) lucemque epistola hæc vidit in editione Basileensi. (e) In Codice alio, n.º 28, S. Mariæ Coronatæ Oratio est in funere cujusdam Othonis, de qua mentionem facit Laurentius Mehus in Vita ejusdem Aretini, & in eodem Cod. epistola ad Omohonum, de qua idem Mehus.

(4) Codicem Guarini possidet hæc nostra S. Ambrosii Bibliotheca, n.º 241, ubi Commentaria ejus sunt in Ciceronis *Paradoxa*, de *Amicitia*, & *Senectute*, sæculo XV. exeunte, vel ineunte XVI. conscriptum, quod colligo ex nomine Cardinalis Grimani, olim illius possessoris. Guarini annotationes in Ciceronis *Paradoxa*, & de *Senectute* eruditis hactenus incompartas arbitror, cum hasce memoriari non viderim nec a Fabritio in *Bibliotheca*, nec a Maffeo Verona *illustrata*, si que a Zeno in *Dissert. Voss.* Codicem autem Guarini annotationes continentem in Ciceronem de *Amicitia*, sed imperfectas, possideri a Doctore Jacobo Facciolato proditum est (*Diario Veneto* tom. 12. pag. 362.)

Guarini epistolæ sex in Ambrosiana extant, duæ ad Bartholomæum Capram Archiepisc. Mediolani, tres ad Joannem de Casate, & alia ad Joannem Lamolam. Plures itidem extant Guarini MSS. epistolæ, ac orationes apud Augustinenses tum S. Mariæ Coronatæ Mediolani, tum S. Mariæ de Populo Romæ, quas eruditæ descriptit Cl. P. Thomas Veranus; (f) sed in Archivo Belgiojosiano Guarini opusculum occurrit in libellum *Iocates*, seu *Symmachicus* ad *Iulustr.*

(a) *Notizia de libri vari.*

pag. 127.

(b) *Dissert. Voss.*

(c) V. eundem.

(c) *Scrittori d'Italia.*

(f) *Nova Diario di Modena* tom. 20. an. 1780.

(d) *De quo Saxius Histor. Typogr. litter.*

D. Nicolaum Estensem, itemque ejusdem de *Affentatoris, & amici differentia ex Plutarcho*. Guarini opus in *Nicoclem* ab nullo unquam citatum comperi, secus tamen illud *de differentia affentatoris*, quod laudatur in opere (*Diario Veneto* tom. 12. pag. 361) ubi citatum dicitur a Panvinio, & aliis, ac dicti operis Codicem possessum a Doctore Jacobo Facciolato una cum aliis Guarini scriptis. Ibidem etiam citantur epistolæ MSS. Guarini ad Tortellum, & Poggium, & alias Codex epistolarum, pag. 369.

Inter paucos, sed selectos Codices, quos possidet eruditus, mihiique affinitate, & amicitia junctus D. Joannes Recalcati, unus extat in folio, ubi nonnulla exhibentur carmina Guarini, de quo huc usque dixi, senioris, tum alia etiam Joannis Baptiste Guarini, hujus filii, & quidem utriusque autographa, quorum aliqua nondum typis suisse impressa facile arbitror. Sunt vero in eodem Codice aliorum carmina ad utrumque pariter ex Guarinis. Baptiste alterius Guarini Junioris epistolæ italicæ plures sunt apud Principem Belgiojoshum ad Marchionem Philippum Estensem Taurinum scriptæ, ubi is tunc primarius Ducis Sabaudie Administrator agebat.

(5) Latina hujus Epistola MS. ad Benedictum Jovium continetur in altero ex duobus Jovii Codicibus apud Abbatem Masnagum.

(6) Eum nempe, qui Delminius dicebatur, a Ghilino laudatum, Gaddio, Morhofio, Morerio, & aliis. Præter ejus opera communis explorata, aliquot sunt ipsius epistolæ italicæ in variis epistolarum collectionibus, scilicet *Lettore volgari di diversi*, Venet. 1560, in aliis per Bernardinum Pinum, Venetiis 1582, & aliis per Bartholomæum Gualdum, ibidem 1592. Ejusdem Carmen *Davalus*, Miscell. n. 299, in Ambrosiana Bibliotheca extat, ac denique epigramma, seu epitaphium pro sepulcro celebris Lauræ, Francisco Petrarchæ dilecta, ab Julio Camillo compositum, mandante Francisco I. Galliarum Rege, habetur in operibus ejusdem Petrarchæ, Lugduni apud Rovilium 1574. Ad eundem Camillum Ode legitur Petri Angeli Bargi, pag. 248., Venet. 1568. Mediolani extat ejus Inscriptio in clauistro interiori Conventus S. Marie Gratiarum, eaque, pro ut legitur apud Allegrantiam, (a) sic habet:

JVLIO . CAMILLO . VIRO . AD  
OMNIA . OMNIVM . SCIENTI  
ARVM . SENSA . MIRIFICE  
ERVENDA . ET . AD . SCIEN  
TIAS . IPSAS . IN . SVVM  
ORDINEM . APTE . CONSTI  
TVENDAS . NATVRA . MIRE  
FACTO . QVI . APVD  
DOMINICVM . SAVLIVM  
ID . MAII  
MDXLIV  
REPENTINO . MORTVVS  
CONCIDIT  
DO . SAVLIVS . AMICO  
DESIDERATISSIMO  
POSVIT

Hinc annum dignoscimus, quo e vivis discessit Camillus, quod ignoravit Morevius, qui eum obiisse scribit anno circiter 1550. Dominicus ille Saulius, de quo

(a) *De Sepulcr. Cbris.* pag. 232.

in Inscriptione, pater fuit B. Alexandri Saulii Congregationis Regularium S. Pauli, ac Ticinensis Ecclesiae Antistiticis; atque hunc quidem filium suum Mediolani, ubi eum generat, humioribus litteris in primori sua adolescentia imbuendum tradiderat tum aliis, tum eidem etiam Julio Camillo Delminio. Vide ejusdem B. Episcopi Vitam ab Joanne Antonio Gabutio conscriptam, atque additamentis illustratain a P. D. Paullo Onufrio Branda, Mediolani 1748, pag. 45.

(7) Epistolæ 4. Jacobi Cardinalis Sadoleti ad Cardinalem Viseum, quæ inter opera Sadoleti etiam postremæ editionis Veronensis non habentur, in Archivo extant Belgiojosiano. In eadem Veronensi editione epistola desideratur a Sadoleto conscripta nomine Leonis X. ad Federicum Gonzagam Mantuae Ducem, 1. Julii 1521, quæ legitur in fine Mantuani Commentarii per Marium Aequicolum, Mantuae, 1607.

(8) Manuscripta *Dissertatio in Bibliotheca nostra habetur*, Cod. 73, *De origine, antiquitate, & nobilitate Familiae Crassæ Romanæ in diversas Italie urbes propagatae, deque ejusdem viris roga, sagove conspicuis*, auctore Joanne Baptista Blanchino, qui ibi etiam laudat Franciscum Crassum. Scripta *Dissertatio* est ipsius Blanchini charactere. Aliaque similis pariter idiographa custoditur in Bibliotheca Belgiojosiana. Franciscus Crassus clara Mediolanensi Familia ortus Petrum Antonium parentem habuit; primum forenses res tractavit, fuit enim Fisci advocatus, Jurisconsultus Colleg., Quæsturæ Ordinar. Præses, Senator, Genuæ, Cremonæ, atque alibi Prætor, tum Ecclesiastice vitæ se addixit, atque ad Cardinalitiam usque dignitatem electus fuit. Romæ obiit anno 1566, ejusque caderer Mediolanum delatum est, atque in Templo S. Mariæ Pacis conditum, ubi sepulcrale ejus elogium spectatur. Vide Sitonum, Argelatum, Benalium; inter quos tamen non convenit de anno, quo Advocatus Fisci evaserit noster Crassus, quove J.C.C. Collegio fuerit adscriptus. Ex libello dierum utilium, vulgo *Diuile*, hæc mihi comperta sunt, nempe Fisci Advocatum egisse an. 1528, & 1529, Quæstorem & Senatorem 1554, Præsidem Magistratus reddituum 1560, Romanam deinde purpuram habuisse an. 1565, & extreamum ejus vitæ an. 1566 ex Argelato didici.

In *Constitutionibus Dominii Mediolanensis* per Franciscum Crassum collectis, Epigramma legitur Gabrielis Faerni in laudem ejusdem, quod minime commemorarunt, nec Franciscus Arisius in *Cremona literata*, nec alii, qui omnia Faerni scripta, parva quamlibet, indagare, ac recensere studuerunt.

In litteratis Mediolanensibus apud Argelatum, præter eum, de quo nunc dixi, Franciscum, alter laudatur Franciscus Crassus Alberto genitus, eodem florens tempore. Paulus Camillus hujusc filius fuit, in cuius cooptatione in Collegium J.C.C. Oratio extat Francisci Alciati MS. apud Princip. Belgiojosum.

(9) Oratio hæc habita in Templo primario Mediolani fuit, die 24 Augusti 1541, typisque edita apud Malatestam. Alia item ejusdem Oratio in funere Caroli V. Mediolani impressa est apud Franciscum Molchenium an. 1559. Latinas etiam orationes alias, aliaque elucubravit opera idem Franciscus Crassus partim edita, partim nondum in vulgus emissæ, de quibus videndus Argelatus.

## EPISTOLA VI.

F. CORNELIO SICULO S. P. D.

**ARGUM.** *Nummorum quidpiam cum munusculo mittit in grati animi argumentum.*

**X**ENIOLUM ad te mittimus, quod & nobis a Discipulis nostris dono datum est; sed par erat, ut eō majus mitteremus, quod tu me es eruditior. Tu tamen, quae tua est morum facilitas, boni consulas velim, tibique persuadeas, me eo in te animo hæc parva, te sane quam indigna, mittere, ut si majora, teque digna mitteremus, libentius te donatum iri vellemus. Ceterum, ut non minus utilis, quam jucundæ lectionis tuæ memores esse videamur, accipies eo, quo soles, animo hoc parum pecuniarum, memor nos hoc pacto significare, nos tibi tantum deberes, quantum quisquam mortalium alicui potest. Ex ædibus nostris, Nápoli MDLVI.

## EPISTOLA VII.(a)

**JOSEPHUS OSSUTIUS PETRO CRIBELLO SORORIO (b)**  
SUO S. P. D.

**ARGUM.** *Ad bonarum artium studium pluribus, multaque facundia hor-tatur, cum ad se ut sæpius, latineque conscribat.*

**C**UM superioribus diebus ad te scribere instituisse, negotia, quibus non parum impediri soleo, in hunc usque diem illud rejecerunt. Quare ne tibi persuadeas velim, me levi causa motum nunc ad scribendum venire. Hæc enim sunt, quibus adducor, ut ad te scribam: primum ut te ad bonarum literarum, & solidæ eruditionis studium adhorter, deinde ut tibi gratuler, cui in tam florenti gymnasio versari, in tanta doctorum virorum frequentia commorari contigerit, postremq, ut his expositis singularem meum in te amorem attestem; hinc igitur mearum literarum

(a) A Francisco Cicereio, nomine Josephi Ossutii, conscripta, ut in Codice.

(b) Qui nempe Josephi Ossutii uxoris frater erat. V. ep. 2. l. 5.

literarum exordium sumendum censeo. Quanquam te eo in literas animo esse confido, ut omnem cohortationis laborem esse mihi præceptum existimem; tamen mea in te benevolentia mihi faciendum admonet, ut te ad præclarum eruditionis studium inflammem. Quare scio non multis ad hoc mihi opus esse. Cui enim difficile est volentem trahere? Vides mehercule hoc nostro sæculo nullos majori in pretio esse, quam, qui bonis literis sunt dedolati; quandoquidem ii sunt, quibus omnes favent, quibus in Repub. administranda honores deferuntur, ii sunt, qui ab omnibus laudantur, ii probitatem, cæterasque bonas artes amplectuntur, ac fovent, ii demum, quo pacto D. O. M. se gratos præbeant, exploratum habent. Puto te perspicere nihil aliud Ciceronem obscuro genere natum ad summos honores, & usque ad sydera evenisse, quam bonarum literarum scientiam; quid Vergilium, quid Plinium, nobilissimis Romanorum viris, atque adeo ipsis Cæsaribus gratos ac charos effecit? Nihil præter eruditionem optimam. Sed quid hæc commemo, cum ejus generis sint innumera? Quamobrem his veteribus sepositis, ad proximum, domesticumque exemplum veniam. Consydera quid in causa fuerit, quod nostrates tantum Patri, & Fratribus tuis semper detulerint, ut nostræ Reipub. Luganensis gravissima quæque illis committant. Invenies non gentilitia stemmata, quibus maxime pollent, at potius literas, quibus non parum valent, id efficere. Quare videre est verum esse illud Diogenis de eruditione elogium: (a) *eruditio juvenibus sobrietas est, senibus solatium, pauperibus divitiae, divitibus ornamentum.* Quapropter jam est tibi perspicuum, quam honestum, quam utile, quam denique laudabile sit in eruditum virum evadere, imo, inquam, ex bellua hominem fieri. Tales enim literæ sunt, ut ideo in nos a Diis immortalibus collatum sit earum munus, ut a belluis dignoscatur. Cæterum ex illæ sunt, quibus Philosophus quidam olim dicere solitus erat, doctum hominem ab indocto tantum differre, quantum, qui vivit ab eo, qui jam ex humanis excessit. Tibi igitur maxime gratulandum est, cui tam belle eas assequi liceat. Pater enim tuus, & idem fœcer meus te rebus omnibus, quibus ad id opus esse noverat, ornavit; te namque isthuc misit, ut interim de cæteris taceam, ubi linguæ tres, cæteræque scientiæ, & disciplinæ non minus vigent, quam & olim Athenis bonarum literarum studia. Isthic (b) enim Frixius Joannes, Rodolphus Gualtherus, Corradus Gesnerus, viri trium linguarum peritissimi, multijugaque eruditione mirabiles, non solum tres

(a) V. Diogenem Cynicum in ejus Vita apud Plutarch.

(b) Nempe Tiguri, ubi tres hic laudati Professores egerunt. V. Dictionem Morerii.

linguas, sed etiam omnis generis scientias profitentur. O te felicem, qui tales provinciam sis sortitus! qui tam pulchram discendi facultatem sis natus! Inviderem mehercule, nisi te magno amore prosequerer, adeo ut quod tibi contigit, id mihi evenisse existimem. Jam vide, quanto vitio tibi dandum esset, si spem, quam apud nos omnes non vulgarem sustines, falleres. Sed cui haec ego? Nonne exploratum habeo, te non solum spem de te conceptam æquaturum, verum etiam brevi, superaturum? Quare velim, hoc tibi persuades, me haec eð non dixisse, quod de tuo in virtutem animo dubitarem; sed potius, ut supra dixi, quo meum in te amorem testificarer: qui etsi tantus est, ut ad eum nullam posse fieri accessionem arbitrer, tamen tunc non parum in te accrescam, cum, ut spero, talis ad nos redieris, qualem speramus. Sed video te nostram omnium spem mirifice confirmaturum, si ad nos literas aliquot dare institueris; sic enim & te in scribendo exercueris, & nos tui amantissimos maxima latitia affeceris. Accedit quod nihil, quod magis eruditioñis tuae profectum adjuvet, efficere potes, quam si saepius ad nos latine scriperis. Quare tuum erit quam primum ad scribendas literas animum inducere: id si feceris, alacriores nos in tui expectatione reddideris. Domestici tui tibi salutem dicunt. Lugani, xi. Kal. Decembbris MDXLVI.

## EPISTOLA VIII.

FRANCISCUS CICEREIUS JOANNI OPORINO IMPRESSORI  
SOLERTISSIMO S. P. D.

*ARGUM. Delatae ne fuerint priores ad eum datæ litteræ, exploratum sibi non esse, dicit. Libros quosdam petit.*

**U**NDECIMO ferme ab hinc mense literas ad te dedi, quibus, ut parerat, immortaleis tibi gratias agebam, quod pro tua in me benevolentia libellum illum de Grammatica, quem ad te miseram, typis tuis elegantissimis commisisses, excusaque ex eo exemplaria CCC. mihi misisses, quæ quidem literæ an tibi perlatæ sint, nescio. Eas si accepisti, gaudeo; sin minus, hoc breviter scribo, ut habeas, quidnam tibi illis longiori sermone scriberem. Video tam propenso te animo mihi satisfecisse, teque eum mihi animum hac in re ostendisse, ut nullum tempus futurum sit, quin tibi debeam. Dabis, si placet, huic, a quo

has literas acceperis, libros, quorum titulos statim adscribemus. Id verò feceris, si mihi fidem adhibes; pretium enim, si mihi credis, cum primū libros accepero, statim ad te transmittam.

*Aristotelis opera, omnium postremò latine redditæ.*  
*Ex novissima editione Plinii Naturalis Historiæ libri.*  
*Plutarchi vitæ a pluribus viris doctis latinitate donatæ.*  
*tua. Fab. Quintiliani Opera.*

*Othonis Bronfelli Puerorum institutio.*

Horum omnium quaterniones dissolutos esse volumus, quales ex officina tua solent prodire. Sint præterea ex paginis, quæ ex una tantum plica componuntur, hòc est, ex maximis. Reliquum est, ut quam optima conditione mecum transfigas, quod facere soles pro tuo in eos, qui bonas literas exercent, animo. Vale, meque tibi commendatum habe. Lugani, postridie Natalis Servatoris nostri MDXLVI.

## EPISTOLA IX.

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Libros ut amico suo tradat, Oporinum rogar.*

POSTRIDIE ejus diei, quo ad te literas dedi, quibus libros aliquot abs te petebam, adulescens sane quam nobilis, amicus, & idem municeps noster, quicum de tua in execudendo exacta diligentia sèpe loquutus sum, oravi me, ut ad te scriberem, petere inque, ut huic, qui has literas tibi reddiderit, hos libros dares, quorum tituli paulo post legentur. Curabis igitur, si me amas, ut ex officina tua nuperrime prodierunt. Quaterniones dabis dissolutos, qui constent ex paginis maximis, quæ una tantum plica sunt contentæ. In summa quidquid huic adulescenti diligentiae in hac re, mihi ipse præstiteris, quem tibi amicum esse persuadeas velim. Cui volumina dedetis, ab eodem pretium habebis, is enim hic pretium accepit. Tu tamen quantum estimaris, nos certiores feceris. Sed nos tempus admonet, ut librorum titulos adscribamus:

(D. Thomæ Aquini in Aristotel. *Dialect.*  
*Commentaria* (Joannis Grammatici in ejusdem *Dialect.*

*Plinii Naturalis Historiæ libri.*

*Plutarchi vitæ a pluribus viris doctis latinitate donatæ.*

*Marsilius Ficini Opuscula, quæ ad studiosorum valetudinem attinent.*

*Si quod non aliter eveniet, huic adulescenti libri illi placuerint, brevi*

P ij

futurum spero, ut libros omnes, qui ad Medicinæ studium attinent, abs te petat. Nos tua erga nos benevolentia freti, familiariter tecum loqui non dubitamus, imo forte tibi molesti sumus, cum tibi gravissimis negotiis impedito, de re parvi admodum momenti tecum agentes, tot verbis caput obtundimus. Sed hoc mihi condonabit tuorum morum facilitas. Faxit D. O. M., ut diu sis superstes, ut opera tua Rēpub. literariæ maximum adjumentum adfert. Vale, Lugani, Kal. Jan. MDXLVII.

## E P I S T O L A X.

S. CRISTOPHORUS LEPORARIUS, ET FRANCISCUS  
CICEREIUS F. CORNELIO SICULO S. P. D.

**ARGUM.** *De palinodia, quam ab eo decantatam audierant, veritatem exquirunt, factumque istud, aliorum exemplo, dedecori non esse, tribuendum ostendunt.*

**N**ON mediocri admittitione tenemur, quod, ut coram pollicitus fueras, nos tui amantissimos nunquam certiores feceris, quo nam pacto se habeant res tuæ, ex quo a nobis te absolvesti. Heri nobis nunciatum est, te a disputatione victum discessisse, & palinodiam recantasse, quod verum ne sit, ex te scire cupimus. Si verum isti nunciant, nihil est, quod hoc iniquo animo feras: si enim te emendasti, fecisti, quod prorsus est angelicum; cum peccasse humanum fuisset. Cæterum fecerunt hoc & alii multi, qui te doctiores habebantur, inter quos fuit D. Augustinus, (1) & Petrus Lombardus, quem, ut nosti, Parisii emendarunt. (2) Ea est tua prudentia, ut, ne scribamus plura, deterreamur. Quare, si unum addiderimus, finem dicendi faciemus; si bene sentientibus cessisti, est meherculo, quod tibi gratulemur, quod tua morum facilitate dignum feceris. Vale, nosque tibi commendatos habe. Lugani, Kal. Februarii MDXLVII.

(1) Hujus eximii Ecclesiæ Doctoris Codices nonnullos habenuit; in uno autem ex illis, qui nuper ex Morimundensi Monasterio in hanc S. Ambrosii Bibliothecam translati fuerunt, sign. n.º 345, integer Sernio extat in illud Evangelii *Petite & accipietis*, cuius dumtaxat fragmentum ex Beda nondum vulgato ediderunt Maurini Patres inter fragmenta Sermonum S. Doctoris, qui adhuc desiderantur, Tom. 5. p. 1519.

(2) Joannes Aleaûme, & Lovanienses Professores a mendis pluribus, quibus Sententiarum Petri Lombardi liber antea scatabat, expurganduni curarunt, sicque emendatum typis concessere Lovaniæ 1546, idemque ab iis correctus liber Parisiis fuit impressus 1550. V. Ceiller *Histoire des Auteurs Sacres, & Ecclesiastiques* tom. 23.

## EPISTOLA XI.

FRANCISCUS CICEREIUS ANTONIO CASTOREO S. P. D.

**ARGUM.** *Gratas sibi ejus litteras fuisse ait; tum, quod optimo Præceptor det operam, gaudet.*

**N**isi mehercule tuis literis præventus fuisset, ego te ad scribendum provocare institueram, nunc tuis literis respondeam necesse est, non tuas expectare; quod pro mea in te singulari benivolentia mihi per gratum est. Et certe tuis factis dignum fecisti, ut ad Cicerinum tur amantissimum scriberes. Sed tantum mihi tribuis in literis tuis, quantum nec agnosco, nec mereo. Sed, cum illud amice facias, facile tibi concedo, & id te facere facilè patior, cum tuā erga me benevolentia adduclus eum me describas, quem non esse non te lateat. Nuncavit mihi Pater tuus, te in Othonis Lupani contubernium receptum esse, quod profectō tibi inviderem, nisi mihi amicus esses; nec injuriā. Qui enim eorum omnium, qui humaniores literas profitentur, facilè princeps est, cum tu pro Præceptore habes. O te felicem, si, quod spero, tanto Præceptore dignus evaseris! quod te præstaturum tuarum literarum elegantia pollicetūr. Quare ego, & Pater tuus, & cæteri omnes tui magnopere gaudemus. Tu vale, & bonarum literarum studiuin, quod facis, complectere. Lugani, Kal. Febr. MDXLVII.

## EPISTOLA XII.

JOANNI MENABENO S. P. D.

**ARGUM.** *Jovii Carmen mittit.*

**N**OLI putare tuæ in me benevolentia recordationem iccirco imminui, quod rarius ad te scribam: imo velim tibi persuadeas ad eam in dies non parvam fieri accessionem. Nactus sum proximis diebus lucubratiunculam (1) hanc Jovii eruditissimi, carmine conscriptam; quam ut descripsi, digna mihi visa est, quæ tibi dono mittatur, cum quod in ea Carolus V. Cæsar laudatur, cuius nunquam intermorituræ gloriæ es admodum studiosus, tum quia ab eo profecta est, cuius rarissimum ingenium, & summam eruditionem adeo suspicis, ut & vivum semper

amaveris, & mortuum (2) meritis laudibus prosequaris. Accipies igitur hunc libellum eo animo, & fronte, qua soles omnia, quæ a Cicerino tuo tibi transmittuntur. Vale. Lugani, ex ædibus nostris, vii. Idus Febr. MDXLVII.

(1) Lucubratio hæc ea est, de qua ep. 17 hujus, nempe *Farrago de Turce fugia viso Cæsar's apparatu*. Librum hunc descriptum vidi in Codicibus Principiis Belgiojosi, & Abbatis Masnagi.

(2) De Benedicto Jovio jam defuncto mentio est in epistola Cicerei (Codice Belgiojiano) scripta i Decenbris 1546, pag. 3. Erravit ergo Aloysius Tatti, (4) qui Benedicti Jovii mortem ad decennium protrahit, consignatque anno 1556, quo ejus Filii elogiunt ipsi apposuerunt in Templo Comi primario, et Inscriptio ipsa indicat, quæ apud laudatum Auctorem legitur, idque fortasse errandi occasione, ipsi tribuit.

(a) *Annal. Dyc.* 3. pag. 632.

## EPISTOLA XIII.

ANDREÆ CAMUTIO S. P. D.

**ARGUM.** *Fratri ejus nomine gratias agit, cum suum erga eundem obsequium ad omnia paratum esse adfirmat.*

**F**RATER tuus Hieronymus, Medicus mehercule solertissimus, narravit nobis, quæ tua est humanitas, & in omnes municipes tuos non obscura benevolentia, tñ de contubernio Mugini nostri, cum nobili, atque bono quodam viro Papiensi convenisse, comparasseque illi locum non longe ab ædibus tuis. Quare quantas gratias tibi agat ejus Pater, non paucis possem consequi. Tuum enim in eum studium perbelle declarasti, cum confessim ei obtemperaveris; quare nunc tibi plurimum debet, plus tamen se tibi debitum in posterum confidit, cum sciat te non parvò adjumento futurum suo eidem Filio, quem ad ea percipienda istuc perducit, quæ tu in florenti Ticinensi Academia profiteris, & jam aliquot annis cum magno auditorum concursu professus es. Sed næ ego stultus sum, qui, dum tua in alios merita commemoro, quæ in me contulisti, taceam. Id tamen a me consulto factum esse, velim tibi persuadeas. Videntur enim mihi epistolares limites angustiores esse, quam ut ibi tot, ac tanta merita recenseri possint. Quare mihi satis pro tempore futurum arbitror, si, quod ad id attinet, illud nunc ad te scripsero. Existimabo tibi gratum esse, quod debeam, si iis rebus meis, quibus tibi gratificari me posse perspicis, libere uti volueris.

Quare mihi impera, meâ utere operâ. Nam, si qua in re ea tibi grata esse poterit, mihi ipse gratulabor; nihil enim habeo, quod meritò tibi acceptum non referam. Quod si secus facerem, aut opinarer, omnium, qui sunt, aut fuerunt, ingratissimus habendus essem. Sed hæc melius alias. Nunc ad Muginum redeo. Etsi eum apud te commendatione non egere sciebam, tamen facere non potui, quia illum tibi non commendarem. Habebis igitur commendatum adolescentem, quem non secus ac germanum fratrem diligimus, ac charum habemus. Sed jam finem scribendi faciam, memor te gravioribus occupationibus dñtineri. Vale, Lugani, Kalend. Martii MDXLVII.

## EPISTOLA XIV.

FRANCISCO CASTANEO S. P. D.

*ARGUM. Muginum commendat; aliqua nunciat.*

MIHI faciendum existimavi, ut Josephum Muginum ad vos proficiscentem tibi commendarem, quem et si sciebam tibi satis commendatum fore, tamen tua in me benevolentia hortabatur, ut illum tibi commendarem, præsertim cum propter meam commendationem illum tibi chariorem fore confiderem. Commendo igitur tibi Muginum nostrum, quem tanti facio, quanti Fratrem chariss., cum propter ejus Patris in nos amorem, tum, quia discendi avidum eum esse cognoverim. Bacchanalibus proxime celebratis nihil Lugani actum est, quod tuis auribus dignum putemus, nisi forte illud vis audire: Hieronymus Canevalius uxorem duxit. Quam? inquires. Antoniam Roviliam adolescentulam certe lectissimam, tibi, ut arbitror, cognatam. Restat tamen unum, quod tibi significem, quod utinam ita non accidisset, ut lachrymans illud tibi nuntio. Joannes Marius Moresinus, æqualis noster suavissimus, decimo abhinc die, vulnere in sinistro jugulo accepto periit; nosque mæstissimos reliquit. Domestici tui bene valent. Marcum Somaticum, & Stephanum Brocchum, juvenes summa virtute, & summo ingenio, mihi salutes velim. Vale, Lugani, Kal. Martii MDXLVII.

## EPISTOLA XV.

FRANCISCO JERARGO S. P. D.

**ARGUM.** *Excusatio de litterarum tarditate; de libris ejus perscribi cunctis, itemque de libro, cui adlaborat. Grammaticam ejusdem laudas, & quare hanc discipulis suis nondum prælegat, causam indicat.*

**A**DMIRATIONI tibi esse non debet, Jerarge doctissime, quod rarius ad te scribam, id enim fit, quod perquam rari sint, quos ad te per venturos putamus. Cum igitur cognovissem Josephum nostrum inter eundum Papiam te conventurum esse, has ei ad te dedi, quibus non commemorabo tua in me innumerabilia beneficia, cum tot ac tanta sint, ut, si id facerem, non epistolam, sed librum ad te scribere mihi necesse esset. Illud tantum dicam, me summopere cupere, ut aliquando tibi gratificari possim, mihi in optatis esse, efficere, ut intelligas, qui sit meus in te animus. Cupio mihi significari, an adhuc lites tuas se daveris. Dixit mihi Josephus noster, quod & præsens ex te audivi, te sub incude habere *Institutiones Græco-Latinas*. Eas an hactenus perfeceras, nisi tibi molestum esset, mihi significares vellem, & ubi eas prælo impressorio committi constitueris. Nam, si fortasse id Basileæ fieri tibi placaret, haberemus, qui nobis satisfaccerent, qui mihi & noti, & amici sunt non vulgares. *Grammaticales Canones* tuos latinos, quos æternitatem adepturos spero, pueris qui mihi crediti sunt, libenter jam pridem prælegissem, & nunc prælegerem, sed mihi res est cum ejusmodi hominibus, ut in emendis libris perparci sint, adeo ut raro ad modum, nonnisi rogati, liberis suis libros mercentur. Quare frustra tentasse tuos libros illis emendos exponere, cum tanti non emissent, quanti vel duos quaterniones æstimares. Tu vale, nosque, ut soles, ama. Lugani, Kalend. Martii MDLVII.

EPI-

## EPISTOLA XVI.

ANTONIO CASTOREO S. P. D.

**ARGUM.** *Litterarum ejus elegantiam laudat, monetque ne ab incœpto studio desciscat, cui omnia abunde suppetere dicit, quæ ad scientiæ consecutionem desiderari queant. Ad scribendas sibi, easque latinas litteras excitat.*

**H**ERI a prandio paulisper a docendi labore quiescebam, cum Pater tuus unâ cum Avo tuo summa cum lætitia me domum meam conve-nerunt, & tuas mihi literas obtulerunt, eas, inquam, quibus ad meas proximas apte quidem respondebas, quas cum obtulissent, eas resignare, coramque legere me voluerunt. Quo facto, anxii, tuæque eruditiois stu-diosi, de me quærere cœperunt, quid mihi de illis videretur, quodve judicium adferrem. Quamobrem dixi, literas tuas mihi vehementer pro-barri, te ( id quod erat ) non solum scite, verum etiam ornate, atque eleganter respondisse, addidique te eorum expectationem non tantum æquaturum, sed etiam brevi superaturum. Quo accepto nuntio, quanta lætitia affecti a me discesserint, vix mille chartarum scripturâ conse-qui me posse confiderem. Avus ad cælum manus sufferebat, Pater Deo Optimo gratias maximas agebat: tanta erat eorum lætitia; neque mehercule aliter res se habebat, adeo ut, si secus me sentire dixisset, mendacio certe non caruissem. Nunc autem illud tibi diligenter curan-dum est, ne ab incœpto desistas; alioqui vides, quanta turpitudinis nota & tibi, & mihi inurenda esset: tibi, qui ( quod Deus avertat ) tuorum spem de te conceptam fœllisses, mihi, qui eosdem inani spe-lactassem. Hoc te præstare tuum est, & nihil est, quod id te præsti-turum sperare non debeam, imo, ut rectius loquar, polliceri non pos-sim. Primum enim ingenio, & memoriam non modicâ te ornavit natu-ra, deinde ( o te felicem! ) Pater iis rebus omnibus, quibus ad ca-piendum ingenii cultum opus esse perspexerat, te munitum esse voluit. Quare, quod certe gaudeo, tibi minime dicendum est, quod cum ego, tum multi alii dicerent:

*Ingenio poteram superas volitare per arces,  
Me nisi paupertas invida deprimaret.*

Notum enim est tibi illud Junii Juvenalis: (a)

*Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat  
Res angusta domi ....*

(a) Lib. 2. Satyræ 3.

Q

Ut igitur potes sic erudiri, bonisque disciplinis dedolari, velle debet-  
bis. Postremo eum Institutorem nactus es, quo nec meliorem, nec præ-  
stantiorem bonis literis inveniri posse existimo. Id facile arguunt multa  
ab eo elegantissime conscripta, tum certe liber Tusca lingua composi-  
tus, cui *Torricella* ipse titulum indidit. Illum autem me biennium  
isthic publice profitentem audivisse, dum vivam, semper mihi gaude-  
bo. Cum itaque nihil tibi ad solidam eruditionem comparandam deesse  
videam, teque id maxime cupere perspiciam, sit, ut nihil esse existi-  
mem, quod te facturum & mihi, & ceteris tuis omnibus non polli-  
cear; quæ spes si nos nequaquam fecellerit, illud, ut hic reliqua ta-  
ceam, assequere: qui tibi male volunt, atque te nihil unquam profe-  
cturum esse dictitant, mendaces videri cogentur. Nunc me tempus ad-  
monet, ut describam ad ea, quæ in suavissimis, iisque gratissimis literis  
tuis legi. Dicis, te mihi maximas habere gratias, & ideo cupere, ut  
aliqua digna tibi referendæ gratiæ offeratur occasio. Hic autem, mi  
Antoni, non satis video, quare mihi debebas: quod si ita est, ut di-  
cis, ut aliquo modo mihi devinctus sis, nulla certe alia ratione te mihi  
gratiorem ostendere potes, quam si tuo labore, atque diligentia meæ  
de te expectationi responderis. Num dignorem referendæ gratiæ oc-  
casionem tibi offerri exoptabis? Quod enim doctior evaseris, et mihi  
gratiior es futurus. Quare contendere, mi Antoni, & in literas toto in-  
cumbe pectore. Non parum autem adjuvabit tuæ eruditionis profectum  
frequens scribendarum epistolarum exercitatio. Nullo igitur pacto ad me  
sæpius scribere intermitas: sic enim te facturum esse literæ tuæ nobis  
significarunt. Ego autem has ad te longiores dedi, ut intelligeres, me  
non minores abs te expectare. Adde, quod tuas literas tantò mihi gra-  
tiiores futuras esse, quantò cœbriores miseris, intelliges. Ut ego tibi Ma-  
trem meam salutavi, ita tu mihi Othonem Lupanum magistrum tuum  
salutabis. Vale, v. Nonas Martii MDXLVII. Lugani.

## E P I S T O L A XVII.

JOANNI OPORINO TYPOGRAPHO S. P. D.

*ARGUM. Libros poscit, elegantes ejus typos commendat. Orationem  
transmittit, alias, semel ac obtinebit, lucubraciones missurus.*

**C**um haberem, cui literas recte darem, facere non potui, quin ad  
te scriberem. Quanvis scirem te occupationibus tam gravibus detine-

ri, ut absurdum esset, & parum æquum videretur, te nostris literis inanioribus interpellare; tamen tuus in nos animus, & in omnes, qui literas amant, non obscura benevolentia effecit, ut non vererer, quin pro tua morum facilitate, quæ scribo, æqui, bonique facias. Tertio abhinc mense literas ad te dedi, quibus hos libros, quorum titulos statim adponam, dissolutos mihi transmitti petebam. Has an adhuc accepisses nesciebam; quod si accepisti, confessim ad me transmittas, precor. Si pretium scivissem, nummos cum literis tibi exarasse. Cum primùm igitur eos accepero, cprabo, ut pretium tibi adnumeretur; atque eorum tituli tales sunt, quales hic descriptos vides: ex novissima editione tua

Aristotelis opera omnium postremò vel emendata, vel latine reddita.

Plinii *Naturalis Historiae* libri.

Plutarchi Vitæ a pluribus doctis viris latinitate donatae.

Fabii Quintiliani opera.

Othonis Bronfelsii *Puerorum Institutio*.

His adjungas velim Lycophronis *Cassandra* cum Zeze (a) interprete, & Joannis Zezis varias Historias. Quos libros, tu juvandi cupidissimus, primus anno superiori in lucem emisisti, hos libros omneis dabis, si placet, nobili & insigni viro Leonardo Lucelmano, cuius servorum operâ Luganum ad me deferentur. Vellem mehercule aliquam mihi occasionem obserri, qua tibi gratificarer, & meum in te doctissimum, & eundem humaniss. virum animum declararem: ita enim es meritus, non solum a me, quem tibi non vulgari beneficio devinxisti, sed etiam ab omnibus, quibus manifestum est, quo animo sis affectus erga bonarum literarum studiosos. Is enim est eruditiss. tuus animus, ut nec sumptui ulli, vel labori parcas, dummodo veterum libri aut typis non ante editi perquirantur, & per typorum tuorum elegantiam omnibus studiosis publicentur, & communicentur, aut jam cogniti a mendis repurgentur, & nativo candori restituantur. Quemadmodum cum aliis, tum certe proxime te fecisse cognovimus ex eruditiss. Gerbelii (b), Arnoldi, (c) Borrahi, (d) Sebastiani Castelionis (e) epistolis, tum Lycophroni, tum aliis libris præfixis. Quare nihil attinere videtur, ut ego te laudem, cum id fa-

(a) Zeses, vel Tzetze Jacobus *Cassandra* interpres, Joannis Historici, & Poetæ Frater. V. *Dictionn. Morerii*.

(b) Nicolaus Gerbelius, de quo Melchior Adam in *Vita Juriscons. Germanor.*

(c) Arnoidus Arlenius Peraxvlus, de quo Bælius *Dictionn. Critique*, & hic infra ep. 16. lib. 5.

(d) Martinus Borrahus, de quo Teissier *Eloge des Homm. Sçavans*.

(e) V. eundem.

ciant viri nostræ etatis eruditissimi. Illud autem non prætermittamus, esse, quod mihi gratuler, quod tecum amicitiam inierim, quod in tuam benevolentiam vel ignotus admissus fuerim: tuam, inquam, qui, ut es literarum scientia præstantissimus, ita illud unum in animo habes, ut nemini noceas, pro sis omnibus, de omnibus benemerearis.

Amicus quidam meus, heri mihi misit orationem (a) a M. Antonio Majoragio, homine doctissimo, proxime conscriptam, in qua de nominis mutatione agitur. Quæ cum nova sit & materiâ, & editione, eam ad te mittimus. Hujus dictiōnem, & lucubrations, si tibi ex hujus lectione probari intellexero, curabo, ut aliquot aliæ ejusdem orationes, quas adhuc in Germania minime vulgatas esse arbitramur, tibi reddantur. Est etiam, qui se nobis daturum sit pollicitus *Farraginem quandam de Turcæ fuga viso Cæsaris apparatu, & librum de XII. Fontibus Comum ambientibus*, & alium librum carmine conscriptum, cui titulus est *Philautia*, (b) quæ conscripsit vir non parum eloquens Benedictus Jovius, Episcopi Nucerini (1) frater. Hæc, quæ impressa nunquam in lucem prodierunt, si, ut spero, nactus fuero, ad te transmittam. Quanquam quid attinet, hæc tibi levia polliceri, cum non desint, qui tibi maxima opera e pluribus, in quibus multa sœcula delituerant, eruta, vel e longinquis, & remotis petita regionibus inveniant? Sed magna tibi a magnis dentur æquum est. Ego pene indoctus, & adulescens parva, ac levia daturum me tibi polliceor, non quod his tibi opus esse existimem; sed ut gratificandi voluntatem adesse mihi, facultatem autem abesse intelligas. Vale, vi. Kal. Mart. MDXLVII.

(a) Quæ impressa tum seorsim est, tum una cum aliis Majoragii *Orationibus*. V. Argelatum.

(b) Tria hæc Jovii opera MASS. habentur in Archivo Belgiojoso.

(1) Scilicet Pauli Jovii celebris Historici, qui frater natu minor Benedicto fuit. (a) Mentionem ejus facit Benedictus ipse in calce *Historiae Novocomensis*, Ghilius, Morerius, & alii sexcenti. Manuscripta aliquot Pauli Jovii videre hic Mediolani mihi licuit, veluti *Chorographiam Larii Lacus* (alioquin impressam) charactere antiquo descriptam in Archivo Belgiojosiano, & in Ambrosiana Bibliotheca autographas epistolas varias, ex quibus una ad Hieronymum Angleriam in lucem edita fuit in libro, *Raccolta Milanese* fol. 40. 1756. In altero ex Codicibus Benedicti Jovii penes Abbatem Masnagum legitur: *ad Paulum Jovium Pontificis Maximi Medicum meritissimum M. Antonii Liburnatis Exastichon*, quod incipit: *Est fortuna Comes, & ibidem: Pauli Jovii Nucerini Praefulsi designati Responso ad lepidissimum Poetam M. Antonium Liburnatem*, cuius hæc priora sunt verba: *Carmina quæ nuper. Pauli Jovii*, qui Episcopi Nuceriae, ac dicti Pauli pronepos fuit, (b) nonnulla sunt carmina in *Elogiis Pauli Jovii Senioris*, tum una eis-

(a) V. Bælium *Dictionnaire*.

(b) V. Aloylium Tatti *Annal. Dec. 3.* pag. 626.

dem lego, Cod. nostro 304, (a) fol. 36, quod, cum inter alia Jovii junioris vulgata carmina, mihi saltem comperta, minime extet, evulgare nunc operæ pretium arbitror. Carmen est in laudem Alphoni Davali:

Quid sceptra ad tumulum, vincit quid compede Reges?  
 Quidve tot invicta signa relata manu?  
 Quid galea? quid scuta nitent? quid gæsa? quid enses?  
 Quid viret æternis laurus opaca comis?  
 Num Mars, num Davalus tumulo jacet? hic fitus, hic est  
 Heu Davalus, quin Mars cum Davalo ipse jacet.

(e) *Inscription.* Jacobi Valerii.

## E P I S T O L A XVIII.

## A N D R E Æ S A X O S . P . D .

**ARGUM.** Ut amicorum suorum numero se accenseat, Saxum deprecatur, quem ab eruditione, & eximiis moribus commendat.

**H**ECTOR, opinor, apud Nævium (a) se a Patre gravi viro laudari lætabatur. Hujus exemplo postea & M. Cicero sua, quæ faceret, probari M. Catoni summopere gaudebat. Quandoquidem ea est vera atque jucunda laus, quæ laudatos habet Autores. Quare, mi Saxe, nihil est, quod & tu gloriari, & vehementer lætari non debeas, quod Joannis Menabeni, viri eruditione, atque integritate mirabilis, acerrimo judicio commendatus, apud nos eruditus, & idem optimus juvenis habearis, quales omnes ii esse deberent, qui juventutem erudiendam suscipiunt. Ille namque, cum apud me proxime esset, tantis laudibus ingenium, eruditionem, & mores tuos prosequutus est, ut postea semper maxime illud mihi in votis fuerit, ut per literas amicitiam tecum inire conarer. Is enim sum, ut quanvis pene indoctus, doctos tamen suspiciam, & vehementer observem, adeo ut (quod ajunt) omnem lapidem moveam, quod me in suorum amicorum numerum recipient. Id quoties tentavi, toties mihi, D.O.M. beneficio, feliciter successit. Hoc enim modo Basileæ aliquot viri undequaque eruditissimi benevolentia se mihi conjunxerunt; idem fecit Venetiis Paulus Manutius Aldi filius, vir rarissimo ingenio, & summa eruditione præditus. Quapropter idem quoque a te factum iri sperare deboeo. Nolle tam interim temeritatis, aut assentationis me insimulares, quod ad ignotum hujus generis literas mittam, quodque te laudem. Hæc namque crimina a me penitus sunt transferenda, & in alium quenpiam conferenda. Siquidem ab iis sem-

(e) Cicer. Epist. Famil. 6. lib. 15.

per abhorruit genius meus. Quod si tamen tibi damnandus videbor, mea de te opinio, & meus in literatos, & probos homines amor absolvere me debebunt, quibus adductus & te laudavi, & scriptis meis te visere non dubitavi. Hæc eò brevius scribo, quod sperem, tuas literas, quibus ad has rescripseris, latiorem atque ampliorem scribendi materiam mihi subministraturas. Joannem Menabenum amicum nostrum, & præceptorem saluta. Vale. Lugani, xvii. Kalend. Maji MDXLVII.

## E P I S T O L A XIX.

F. MAURITIO VIGLEVANENSI DIVINI VERBI  
INTERPRETI S. P. D.

**ARGUM.** *Dantis carmina exposcit, tum carmina alia, quæ ad ejus effigiem appicata noverat.*

**C**UM proximis diebus in hortis vestris, ut a cœna fieri consuevit, cum Hieronymo Camutio, atque Augustino Planta confabulareris, multis verbis ultro, citroque factis sermonem tuum ad Dantem (1) Florentinum Poetam lepidissimum convertisti: quare non pauca de ejus vita, ac moribus attulisti, præsertim exulem illum Florentia, Ravennæ fato concessisse, ibique te vidisse ejus effigiem ad vivum delineatam; huic etiam appensa esse carmina aliquot pulcherrima. (2) Hæc igitur cum memoriâ teneas, vellem scripta ad me mitteres, illis enim commentariolos quosdam nostros ornatum iri cuperem. His adjunges etiam carmina illa a Dante . . . . . dicta. Tua morum facilitate fretus, hoc oneris tibi imponere non erubesco, & id audacius facio, quod eum me esse cupiam, qui tibi tali ac tanto viro plurimum sit obligatus. Lugani, ex ædibus nostris, xi. Kalend. Majas MDXLVII.

(1) Dantis Aligherii Florentini MSS. tum pergamenta, tum chartacea in Ambrosiana Bibliotheca sunt, quæ enumerat Saxius; (a) aliasque Codex Dantis *de Monarchia* in Archivo Belgiojoso servatur.

(2) Bernardus Bembus Petri Cardinalis frater, cum Præturam Ravennæ ageret, instaurari jussit tumulum Dantis, eidemque Exastichon apponi, quod legitur apud Morerium. (b) Instauratio alia ejusdem tumuli facta est an. 1694. (c)

(a) *Histor. Typograph. Litterat. Mediol.* pag. 132.

(b) *Dictionn. Historiq.*

(c) *Stato presente di tutti i Paesi, e Popoli del Mondo*, Vol. 21. pag. 425.

## EPISTOLA XX.

AUGUSTINO PLANTÆ J.C. S. P. D.

ARGUM. *Orationem mittit. Litterarium Plantæ studium celebrat.*

**H**ERI vesperi, cum unâ tecum animi molestias deambulatione sublevarim, de politioribus literis mecum statim agere cœpisti. Quare multa verba ultro, citroque fecimus, & in mentionem incidimus ejus orationis nuper Mediolani habitæ, in qua de nominis mutatione agitur: hanc autem orationem ad te legendam mitto, quod sperem ejus lectionem tibi jucundam fore, quemadmodum ejusmodi reliquæ consueverunt. Is namque est tuus in literas animus, Augustine, ut quidquid ocii a sanctissimarum legum studio tibi datur, id omne in humanioribus literis consumere consueveris, adeo ut quanvis graviora studia pertractes, mansuetiores tamen Musas non parum suspicias. Quod sit, ut te non solum amem, verum etiam vehementer observem. Quod si aliquot tui similes haberemus, fieret mehercule, ne bonæ literæ domi nostræ tantopere parvipenderentur. Vale. E palæstra nostra literaria.

## EPISTOLA XXI.

AUGUSTINO PLANTÆ S. P. D.

ARGUM. *Laudat carmina, quæ censuræ suæ subjecerat.*

**F**ELICI prosa quæ Marcus tractat acute  
Vidi, Francisce, grata fuere mihi.  
Reddere transmissum cupienti sœpe libellum,  
Lectione Prætoris distulit: ecce tuum.

Quod hæc pulcherrima carmina meæ, qui indoctus sum, subjicias censuræ, facis tu quidem civiliter; quare huc spectat proverbium illud, Minerva vult se a sue edoceri, (a) sed tamen tibi morem geram. Censuram nostram accipe:

Tam bene conveniunt versus, ut diceret hospes:  
Hæc cecinit, Nemesis cuius amica fuit.

(a) Adagium apud Ciceron. lib. 1. Academ. Quæst.

Define Planta igitur, mihi vena hæc aurea non est;  
 Dicere, cur non est publica vena tibi?  
 Omnia dixisset si sic nam Tullius olim,  
 Quis legeret, Marcum publica vena fugit?

## EPISTOLA XXII.

HIERONYMO FRICK LUGANENSI PRÆTORI S. P. D.

**ARGUM.** Majoragii *Decisiones* misit. Fricci eruditionem probitatemque laudibus extollit.

**A**UGUSTINUS Planta, vir non vulgari eruditione præditus, quocum mihi magnus est usus, heri vesperi inter deambulandum multa mihi de te narravit, præsertim tibi summopere probari Majoragii dictionem, cum ejus orationem, quam de mutatione sui nominis habitam emisit, proxime videris, teque ideo cupere alias ejusdem lucubrationes evolvere. Quod cum primùm audivi, non mediocriter lætari cœpi, sperans scilicet iccirco ansam, ut ajunt, mihi præberi, ut, quod jamdiu mihi est in votis, aliquando tibi viro eruditissimo, & eidem optimo gratificarer, simulque te meis literis non satis latinis inviserem, & id mihi statim feliciter successurum sum arbitratus, si Majoragii *Decisiones* xxv. ad te legendas mitterem, eas, inquam, quibus ille Cœlium Calcagni-  
num injustissimum Ciceronis criminatorem insectatur. Id igitur libentissime præstiti, easque ad te dedi. Nunc autem spero, quæ tua est hu-  
manitas, me temeritatis a te non accusatum iri, quod & indoctius, &  
ignotus te tales ac tantum virum literulis meis alloqui audeam. Ex-  
cusare namque me debet vehemens meus in omnes Germaniæ viros  
literaturâ præstantissimos amor, inter quos tu certe postremus non es,  
quod facilè ab iis omnibus judicatur, qui scripta tua, cedro quidem  
digna, & cupresso servanda lectitarunt, cujus eruditionem & probita-  
tem adeo suspicio, ut quanvis temeritatis extremæ notam mihi inuf-  
sum iri perspicarem, ideo tamen minime prætermittendum non judica-  
rem, ut mihi non obtemperarem, & te per epistolam qualecumque  
non alloquerer. Atque in hac re mihi fidem faciet Planta, quocum  
nunquam confabulor, id enim fere quoridie accidit, quin tribus primis  
verbis dicam: quid noster Prætor? quod librorum genus evolvit hoc  
tempore? & alia id genus plurima. Plura scriberem, nisi pudor me  
a scribendo deterreret. Nec injuriâ, cum mihi non satis esse videatur,  
quod

quod indoctus, & ignotus ad te scribam, nisi etiam tecum familiariter agere incipiam. Quare vale. E palestra nostra literaria.

## EPISTOLA XXIII.

ANTONIO CASTOREO S. P. D.

**ARGUM.** *Nunquam sibi non gratissimas Castorei futuras litteras testatur; dictionem quandam ab eo improbatam metur.*

**A**D XVII. Kalend. Junii accepi tuas literas, quæ, perinde ac solent, mihi gratissimæ, & jucundissimæ fuerunt. His me admones, te ideo rarius ad me scribere, ne, cum scias me negotiis non modicis impediri, importunus magis quam officiosus videreris. Nihil est quod aut id tale diccas, aut arbitreris, semper enim tuæ mihi literæ exoptatae redduntur: si quidem nunquam adeo negociosum me judicarem, quin tuas literas libenter inspicerem. Atque hoc jure quodam suo postulat mea in te non vulgaris benevolentia. Quapropter cave posthac hoc vereare; & tuas literas eo mihi gratiiores fore, quo sèpius ad me scripseris, existima. Ceterum dicis, te in literis meis mendosam quandam ῥῆγον σύνταξιν (*a*) compertisse; quod cum legi, mirabiliter latatus sum, id namque signi est, te diligenter & tua, & aliorum scripta lectitare. Sed tamen non video, qua ratione adductus non probaveris, atque barbarum judicaveris, quod dixerim: *ad tuas litteras respondeo*. Nam & Plinius junior in Epistolis ejusmodi locutionis genere utitur, cum inquit: *Quum ad eos brevissime respondisssem*; proinde, si quis dicit: *respondeo ad eum*, quis prohibet, quin latine dicatur: *respondeo ad tuas litteras?* Ad hanc autem orationem meam confirmandam hoc satis esse existimo; alioqui innumera exempla ex illustrium Authorum monumentis deprompta possem adferre. Quare rectius dixisses, si, te quædam esse in epistola mea animadvertisse, protulisses, quæ tibi non satis latina viderentur. *Non videtur mihi latine dici, ita dicendum videtur*, erat scribendum, non autem, *menda est, ita dicendum est*. Memineris, Antoni mi, Philosophos maximos de rebus vel plane apparentibus videtur, non autem est dicere consueuisse; quod in ejus generis rebus est arrogantiæ, videtur, autem modestiæ nescio quid habere videatur. Atque hæc admonendi, non criminandi causa a me dicuntur. Ego namque quæque dicis, aue scribis, boni consulo. Anne boni consulam, quæ mihi sunt jucundif-

(*a*) Constructionem.

sima, quod nobis de te conceptam spem augent? Quod mandatum meum de Petro Varrono diligenter obiveris, immortales tibi ago gratias. Vale. Lugani, xv. Kal. Junias MDXLVII.

## EPISTOLA XXIV.

FRANCISCO CASTOREO S. P. D.

**ARGUM.** *Diuturni silentii post receptas postremo litteras excusatum habet, petit tamen, ut frequentior deinceps in scribendo sit. Mendum aliquid in ejus litteris corrigit, quarum tamen scriptio[n]em in universum probat.*

JAM tibi non parum succensebam, quod tandem absens ne tribus quidem verbis me salutasses. Noveram enim hoc a te siccirco non fieri, quod consuetudinis nostrae memoriam ex animo tuo delevisses: ii namque, qui vere sunt amici, licet locorum, atque temporum magno intervallo sejungantur, non tamen amicitiam oblivioni tradunt; neque negotia tibi impedimento esse arbitrabar, quod minus me tuis literis inviseres. Quis enim occupationibus est adeo distractus, ut tantillum temporis desit, quod in scribendo epistolio insumitur? Quare illa de te suspicarer, erat necesse: valde jam superciliosus est Castoreus noster, qui ad me, hominem prope domesticum, literas dare gravetur: postquam Mediolanum attigit, & eruditos Majoragios, atque Comites audire coepit, tam magnifice de se sentit, ut tertium Catonem se se existimet. Nec mehercule immerito haec de te suspicabar, praesertim cum, quae mihi coram promississes, absens minime praestares. Receperas enim mihi, te ad me litteras daturum, priusquam de rebus tuis alium quenam certiore faceres. Has, cum nunquam reddi viderem, quid de te sentire, aut opinari, aut suspicari debebam, nisi te nostram amicitiam parvifacere? Verum litterae tuæ amantissimæ, & eadem exoptatissimæ, non solum omnem spretæ suspicionem amicitiaz mihi ademerunt, sed etiam illam non parum auxerunt, arctioremque reddiderunt; unde fit, ut te merito excusatum habeam. Nolle tam arbitrareris, me tuis argumentis, atque rationibus ingeniose excogitatis adeo lenitum, atque pacatum esse redditum, ut posthac silentii tui excusationem sim accepturus. Non faciam, crede mihi, Francisce. Quare illud cures non oro, sed jure quodam meo postulo, ut posthac saepissime scribendo, non solum quod debes, præstes; verum etiam tempus illud omne,

quod in silentio contrivisti, loquacitate resarcias. Sed existimo te perspicere hoc non temere a te curatum iri velle. Video enim te hinc duplice consequiturum utilitatem: primum enim mihi tui amantissimo gratum feceris, deinde, quod exercitationis genus tibi majori adjuvamento esse potest ad Romanam dictionem comparandam, quam frequens scribendarum epistolarum usus? Sed haec dixisse satis esse existimo, ut intelligas, te superciliosi hominis notam subitum, si literas tuas e somno non excitaveris; contra vero magnam apud nos laudem adepturum, si crebro scripseris. Nunc ad tuas literas venio, quarum dictionem mihi quidem vehementer probari Patri tuo affirmavi. Nihil enim in eis legi, quod mihi latinum non visum sit, nisi quod alicubi sic scribis: *Tecum mehercule libenius, quam cum nullo alio consumere studebam.* Ubi arbitror supervacaneam esse negationem, neque scribendum *consummo*, ita ut duplex *m* adscribatur. Hoc autem censoria mea adjungere placuit: me non sequi vulgarium amicorum consuetudinem, qui in hujusmodi rebus assentantur potius, quam ingenue fateri velint. Atqui, ut nullius propemodum momenti errata tua correxii, ita si graviores mendas in illis comperissem, minus tacerem. Neque enim te eum esse puto, apud quem, ut ait Terentius, (a) veritas odium pariat. Cæterum ex sunt tuæ literæ, ut maximam fidem faciant, spem, quam de te concepi, non solum æquaturum, sed etiam incredibili celeritate superaturum esse. Quare sit, ut cum mihi, tum tibi maxime gratulandum existimem; mihi quidem, qui omnia de te polliceri nunquam dubitaverim, tibi vero, qui solidam eruditionem, qua nihil sanctius, nihil nobilior, nihil utilius, nihil denique dulcior, Deorum immortalium beneficio, in nos collatum est, consequi liceat. Plura scribam alias, cum plus otii naectus fuero. Velim per proximas literas tuas mihi signifiques, an adhuc sit isthic Julius Cattus adulescens, qui alias in Antonii Majoragii Gymnasio versabatur. Vale. Lugani, Kal. Jun. MDXLVII.

(a) *Andr. Ad. 1. Sc. 2.*

DE CICERONIS IMITATIONE SENTENTIA  
AD ERUDITISSIMUM VIRUM HIERONYMUM FRICK  
PRÆFATIO.

**ARGUM.** Fricci humanitatem, atque eruditionem commendat. Deinde non eam esse Majoragii sententiam contendit, quod unius Ciceronis ad eloquentiam capessendam imitatione opus sit, fere ac veteres qui cumque alii contemnendi Scriptores sint. Tum suam de imitatione Ciceronis mentem aperit, nempe in eloquentia sibi comparanda Tullium omnibus anteponendum esse, simul tamen ad veteres etiam alios aureæ ætatis Auctores confugiendum. Denique duo genera Ciceronis Imitatorum distinguit.

**N**EQUEO satis admirari, Hieronyme, tantam, tamque multiplicem eruditionem tuam, nam ex prima tua confabulatione (nunquam enim antea te coram audieram) tot subtiliter atque prudenter a te disputata memoriaz mandavi, ut meritè mihi gratulandum censem: quemadmodum non mediocri afficio lætitia, quod multò felicius mihi successerit, quod in optatis erat, quam ego arbitratus fuisset; optabam namque summopere mihi occasionem aliquam offerri, per quam mihi tecum per epistolam confabulari liceret. Id Deorum immortalium beneficio mihi successit, occasionemque mittendarum literarum sum natus; literas meas qualecumque misi, quæ tua est humanitas, læta atque hilari fronte acceperisti, reque illis responsurum es pollicitus. Sed tuorum morum facilitas fecit, ut hoc satis tibi non videretur, nisi me hoc etiam munere cohonestares, & tuo colloquio dignum judicares. Humanitate igitur adductus, non solum mihi permisisti, ut tua confabulatione per epistolam fruerer, verum etiam liceret, quod ait Vergilius:

... veras audire, ac reddere voces. (a)

quod adeo mihi gratum, ac jucundum evenit, ut una cum Ovidio sic dicam:

*Proveniant lœti sic mihi saepe dies.* (b)

Quid enim in illo sermone tuo intentatum reliquisti? Omnia fere scientiarum semina magna cum eloquentia attigisti. Postremò vero de Erasmo Roterodamo, Melanchthonc, Grynzo, (c) Piscardo, Othorino, Picar-

(a) *Ennid. x.*

(b) *Amer. l. r. Eleg. 5. v. 26. Proveniant medii sic mihi saepe dies.*

(c) *Simon Grynaeus, de quo Geluerus in Biblioteca, & Mazzuchellius in Museo.*

do, (a) Camerario (b), Pellicano, (c) Munstero, (d) viris literatis, quos omneis & præceptores, & familiares habuisti, non pauca narrasti, quæ memoratu dignissima omnibus videri possent: quapropter futurum est, ut, dum vivam, tui sim memor, dicamque: hæc per Frick virum eruditissimum sum consequutus; & ideo me tibi plurimum debere profitear. Quæ quum in memoriam revoco, fieri non potest, quin me negligenter, atque tarditatis incusem, qui ante hoc tempus omnem, quod ajunt, lapidem non moverim, ut ad te audiendum pateret aditus. Quoties enim ad te accessissimem, toties etiam multò doctior discessissimem; is enim es, in quem merito hoc distichon, qualecumque est, contulerim:

Mantua Vergilio, sic Berna Helvetica Fricko

Gaudet, quem Musæ perpoliere novem.

Nam tales, ac tantæ sunt virtutes tuæ, ut merito Luganensibus gratulandum existimem, qui te Prætorem habeant. O felicia sæcula, si tui similes essent omnes qui Magistratum gerunt! Sed jam tuarum laudum amplum, atque patentem campum me sensim ingredi sentio, cuius placitiem quum circumspicio, unde mihi exeundi fiat copia, nusquam video. Fusiorem itaque tuarum laudum catalogum hic nequaquam texero, memor id non esse virium mearum, quas imbecilles admodum esse non me præterit. Laudent te igitur alii, quibus a natura ingenii tantum est concessum, ut virum omnigena eruditione expolitum meritis laudibus prosequantur. Ego nanque interim orationem meam alio convertere institui. Cum ea, quæ superius commemoravi, differuisses: quid tibi de Majoragio videretur, cuius *Decisiones* jam fere evolveras, libere protulisti. Ejus nanque dictionem vehementer te commendare dicebas, magnam autem ejus eruditionem te admirari libentissime prædicabas. In summa ejus hominis omnia tibi probari affirmabas, nisi quod dicat, atque asseveret latini sermonis candorem, atque elegantiam ab uno Cicerone comparari posse. Quare hinc statim aliam differendi occasionem arripuisti, multaque de Ciceronis imitatione in medium protulisti. Iccirco ego quoque, utcumque coram licuit, ea de re sententiam meam dixi. Eam nunc absens resumo, & pluribus explico, simulque non tam cognoscendi, quam emendandi caussa tibi transmitto. Sed id facilius me fakturum esse arbitror, si quid sibi velit Majoragius, in quo ab eo dissentiris, brevibus prius exposuero. Quum dicit,

(a) Michael Picardus V. *Decisiones*. Morerii.

(b) Joachimus Camerarius.

(c) Corradus Pellicanus.

(d) Sebastianus Munsterus.

ab uno Cicerone latini sermonis candorem, atque elegantiam comparari posse, hoc certe facit, ut Ciceronem, quantum potest, laudet, & Calcagninum, utpote audacissimum, quod eum carpere ausus fuerit, lectoribus in odium, in invidiam, in contemptionem adducat. Quae uniuine existimandum videtur, Majoragum judicasse, nullius veterum, praeterquam unius Ciceronis, imitatione nobis ad eloquentiam opus esse, & juniores omnes, qui latine, atque eleganter scriperunt, ex eruditorum, facundorumque hominum numero proscribendos censuisse; imo veteres imitandos docet, eos, inquam, qui ex linguae cultu magnam laudem adepti sunt, nec interim juniores sua laude fraudat. Quod facile datur ex eo intelligere, quod in suis lucubrationibus non est adeo Ciceronis unius studiosus, quin, quum opus est, & res ipsa exigit, ad eloquentissimorum veterum imitationem confugiat. Quantis vero laudibus neotericos prosequatur, manifestum est ex ejus oratione, quam *De nominis mutatione inscrisit*. In ea namque Erasinum virum Divino pene ingenio nominat, Angelum Politianum (1) virum facundum, & oratione politum appellat. Sed, cum jam planam fecerim Majoragi de Ciceronis imitatione sententiam, meam de eadem re subjungendam tempus admonet. Laudo Authores omnes & veteres, & recentiones, quos aut propter admirabilem rerum cognitionem, aut excultum dicendi genus eruditorum consensus approbavit; sed eos maxime, qui suam eruditionem verbis Romanæ facundiæ majestate dignissimis expresserunt. Verum, quod ad imitationem attinet, Ciceronem unum esse censeo, quem reliquis omnibus præponamus, & cujus imitatione latinam nobis eloquentiam comparemus. In iis autem, in quibus nostram dictionem, quantum per nos fieri poterit, ad illius divinæ eloquentiæ modulum & exemplar informare non licuerit, ad veteres confugiendum esse sentio: ad eos, inquam, qui in dicendo claruerunt; veluti ad Terentium, Julium Cæsarem, Sallustium, & alios aliquot horum similes. Quare & hic intelligo opus esse mediocritate, quæ aurea ab Horatio (2) merito appellatur: ita, ne omnem ætatem, quæ ad excendendum animum maxime facit, in Cicerone uno conteramus, & discipularum ignari ad senectutem perveniamus, neve adeo Ciceronis studiosi simus, ut ex iis finibus, in quibus se continuit Cicero, pedem efferre non audeamus, nihilque proferamus, quod Cicero nostra dixerit; neque interim tantum a Cicerone discedamus, ut sermo noster, non ad Ciceronis imitationem, sed potius ad alias cujusquam compositus esse videatur. Exposui quænam mea sit sententia de M. Tullii imitatione.

(1) Lib. 2. Ode 2.

Nunc operæ pretium me facturum existimo, si quibus rationibus ad ductus sic sentiam, planum ac dilucidum fecero. Qua quidem in re eo utar ordine, quo sententiam ipsam attuli; ita enim fiet, ut & facilius intelligar, & commodius, quæ institui, persequar. In ipso meæ sententiaz vestibulo dixi probatos Authores mihi etiam probari, quod ideo feci, ne quis de cæteris Authoribus omnibus me male sentire existimet, cum Ciceronem Romanæ parentem eloquentiæ primum, maximeque, & post eum aliquot alios, quum opus est, imitandos esse judicem. Nam quis ego sum, ut quod communia doctorum omnium suffragia approbarunt, id mihi displicere prædicem? An hos Authores non legendos existimet? Nemo est ita demens, qui omnes libros, vel barbaros ipsos nobis legendos esse non arbitretur, ut immensam (si fieri potest) rerum sylvam nobis comparemus. Illud nanque Plinii notum est, nullum esse librum tam malum, qui lectori aliquam utilitatem non adferat. Quid ergo? (dicit aliquis) si eos imitatione nostra indignos censes, omni eloquentiæ latinæ laude privas, linguæ latinæ ignorantiae accusas, barbaros denique facis? Nihil minus. Quid igitur? legendos non sequendos, evolvendos non imitandos, conterendos non æmulandos esse doceo, cum Ciceronem Romani sermonis castimoniæ, atque lauitiæ authorem præcipuum, cuius eloquentiam intuentes non satiamur, imitandum habeamus; cui non omnem eloquentiæ laudem, sed principatum meritò tribuimus. Sed jam ad alia transeamus. Judicavi Ciceronem, utpote Oratorum omnium facilè principem, nos ante alios æmulari debere, nec mehercule immeritò. Nam si quem interrogavero: cuius vestigiis nobis præcipue insistendum censes, ut eloquentes evadamus? Is, modò quæ ad eloquentiam faciant noverit, sic, nec me animus fallit, respondebit: ejus, qui primas in cultu, atque ornatu latinæ linguae tenet, qui cæteros facundia multum excellit; quo magistro eloquentes usi sunt, non qui latine solum loquitur, non qui in eloquentium numero tantum recensetur, non qui superiorem, aut parem in dicendo habet. Atque quis hic, si non est Cicero? cui eruditorum omnium consensu eloquentiæ palmam delatam esse multis jam sacerulis constat, in quem illud elogium unicum consentiunt eruditæ: Musas, si latine loqui vellent, non alio, quam Ciceroniano sermone usurpas. Quid? quod Andreas Alciatus, Jurisconsultorum, atque adeo Oratorum omnium hujus ætatis facilè princeps, scite facit, Cicerone occiso, Romanum quoque perditum fuisse eloquium; inquit enim in *Emblematis*: (a)

*Romanum eloquium postquam, Cicerone perempto,*

*Perdiderat patriæ pessis acerba fæ;*

(a) XXIX. inter ejus *Emblematos*.

Neque ignoro quantas tragœdias agam, & quo in me concitèm, cum Ciceroni nec superiorem, nec parem adhuc ullum inventum esse asseverem; quare longius hæc oportet agam, hic diutius aliquanto immorandum esse existimo, quod nonnullorum opinionem refellam. Audio enim nonnullos, qui unum, atque alterum ex recentioribus divino Ciceroni non solum æquiparent, verum etiam præponunt, quod certe non fecus faciunt, quam qui χαλκές τῶν χρυσειών (a) meliora & pretiosiora existimant. Sed desinent, opinor, illi aliquem Ciceroni præponere, cum illum ne parem quidem adhuc habuisse ratione probavero. Quanquam quid attinet in comprobando elaborare, cum res ipsa sit luce clarius? Memini, quum non ita pridem Ciceronis orationes legerem, me doctam admodum Andreæ Navagarii (b) viri eloquentissimi præfationem ipsis orationibus præfixam vidisse, in qua vir ille doctissimus differendo judicabat, eloquentiam primùm a multis Romanis & excultam, & audaciam fuisse, deinde Hortensium sic in ea excelluisse, ut in eo pene perfecta esse videretur, postremò unius Ciceronis operâ tantum effectum, ut ad eam nullam accessionem fieri posse existimatetur, cum ei extremam manum imposuerit, & colophonem addiderit; quod ita esse is deinceps facile conperiet, qui Ciceronianam phrasim cum evijslibet veterum stylo contulerit. Antiquorum multi in dicendo fluerunt, sed ii potissimum, Plautus scilicet, Terentius, Sallustius, Iulius Cæsar, Vergilius, Livius Patavinus, Quintilianus. Ciceronem horum unicuique conferamus, neminem certe ei parem, sedum superiorum esse videbimus. Quod si nemo ex iis, quos retuli, cum Cicerone certare potest neotericos, illis multo inferiores, Ciceroni aut anteponamus, aut certe æquabimus? Abiit id procul: equidem fateor Franciscum Philelphum, (a) Leonardum Aretinum, (3) Laurentium Vallam, Guarium Veronensem, (4) Georgium Trapezuntium, Hermolaum Barbarum, Joannem Picum, Angelum Politianum, Aldum Manutium, Erasmum Roterodamum, Gullielmum Budæum, (5) multosque alios latine serfe, atque eleganter scripsisse, eorumque operâ bonas literas, tanquam ædificium putre vetustate collapsum, restitutas fuisse; quam quidem laudem, & gloriam nemo est, qui libenter illis non concedat. Sed qui eloquentia veteribus, quos attuli, comparandi sint (nam de scientiarum cognitione non loquor) nemo vel mediocriter eruditus existimaverit. Quibus enim lingue usus, castimonia, lauitia propria, atque peculiaris fuit, illi sibi eos, quibus lingua latina fuit aliena, eloquentia

(a) Enea aureis.

(b) V. Niceron Mémoire t. 13.

quentia se æquare patientur? Nequaquam. Hi nanque ex illis, tanquam e fontibus, latinæ linguae castimoniam hauserunt, hi latina in ditione comparanda accuratissime illos sibi æmulandos duxerunt. Hoc autem sic esse, nemo est, qui neget. Sed argumenta mea novi adversariis minime probari, & frigida atque infirma existimari, cum dicant, facilimum esse inventis addere, & id Ciceronis exemplo comprobent in hunc modum argumentantes: quemadmodum Cicero elegantiae ac eloquentiae latinæ sibi per majorum præclara monumenta traditæ tantum adjunxit, ut omnes eloquentes, qui ante se floruerunt, facile superaverit, ita & juniores vicissim Ciceronis industria plurimum addentes præstiterunt. Hoc isti argumento putant se probasse recentiores scriptores non tantum Ciceroni pares, verum etiam in dicendo superiores esse. Nullo labore illis concederem juniores Ciceronem assecutos fuisse, modò eloquentia, latinæque linguae elegantia talis ad eorum manus pervenisset, qualis Ciceroni fuit tradita. Verum neque illud satis esset, nisi etiam hi quoque tantum ingenio possent, quantum unus Cicero valuit. Sed cum & hoc, & illud junioribus defuerit, qui fieri potest, ut illi Cicerone in sint assecuti? Quod si Ciceronem ne æquarunt quidem, quis illos ei antecellere affirmabit? Dicamus igitur audaciter, Ciceronem præcipue sequendum esse, ut eloquentes evadamus, propterea quod nemō post homines natos inventus fuerit, quem, sive linguae latinæ simplicitate, sive puritate, sive lauitia, atque elegantia, sive artificio, sive denique quibusvis eloquentiae viribus illi æquemus, nedum præponamus. Sed jam ad judicium meum redeo. Illa etiam me ratio invitavit, ut dicerem Ciceronis unius vestigiis nobis maxime insistendum esse, quod sciam aliquem nunquam imitationem suam ad exitum, sive ad scopum quendam posse perducere, si plures sibi æmulandos accuratissime duxerit. Qui nanque pluribus similis esse enititur, is saepius imitationis ludit operam, & neminem in dicendo refert. Siquidem fit, ut maxime incertus, in tanta dicendi varietate, in tam varia differendis ratione, viam, qua dexteritate quadam ad scopum perveniat imitationis, ignoret; & non aliter illi eveniat in hoc itineris genere, quam imprudenti viatori evenire consuevit, qui relicta via regia, & ea certissima, diverticula quædam, & ea valde diversa ingressus, non semel, sed iterum atque iterum fallitur, neque eð, quo intendit, pervenit, nisi facto interim non parvo viæ dispendio in rectam viam redeat. Non male igitur censuisse videor, si Ciceronis imitationem præcipuam dixi nobis esse debere. Præcipuam, primamque dico, non unicam, ut, cum æcesserit, ad aliquot aliorum veterum imitationem ingenii nostri

S

vires conferamus. Cujus quidem rei ea est ratio, quod, quanvis Cicero ea, qua diximus, eloquentia fuerit, tamen fieri non potest, ut natura omnes dicendi vires, atque facultates in eum unum contulerit. Siquidem nihil simplici in genere omnibus ex partibus ea perfectum expolivit. Id quod viderat & Heracleotes ille Zeuxis pictor clarissimus, qui, cum excellentem muliebris formæ pulchritudinem Helenæ simulacro exprimere instituisset, ejus venustatem non ex una virginе, sed ex aliquot vere formosis effinxit. Itaque ne putemus omnia, quæ querimus ad eloquentiam, uno in corpore, hoc est authore nos reperire posse. Ex uno nanque Cicerone eloquentiæ, latinique sermonis elegantia, castimoniam, venustatis tantum hauriemus, quantum nobis licuerit, ut stylo nostro illius phrasim, potius quam cujusquam alius, quoad ejus facere poterimus, referamus. Sed interdum cæterorum veterum aliquot imitationem non aspernabimur, memores ex uno Cicerone, quæ imitemur, plura, quam ex omnibus aliis, non tamen omnia petenda. In reliquis autem meæ sententiaæ partibus, quare sic judicem, planum esse arbitrор. Exposui quænam me invitarint, ut Ciceronem unum præcipue sequendum in eloquentia, atque latina elegantia dixerim, & post eum aliquot veteres alios imitandos judicaverim: quæ ed pluribus tecum agere volui, Hieronyme humanissime, bonarumque literarum peritiss., ut intelligas, quantum ego video, duo esse genera eorum, qui sibi Ciceronem imitandum proponunt; unum scilicet, cuius sunt ii, qui se ideo appellari Ciceronianos nolunt, quod Ciceronianis verbis tantum utantur, sed potius, quod rerum cognitionem, & scientias, quibus præditus fuit Cicero, Ciceronianis dicendi characteribus exprimant, neque adeo sunt imitandi Ciceronis studiosi, ut nihil, quod ille non dixerit, ipsi dicant, nec dicere audeant, & ideo ex aliorum veterum, qui ex lingua cultu non parvam sibi gloriam paraverunt, imitationem negligant. Qualem fuisse videmus olim D. Hieronymum, & multos alios; nostris vero temporibus Andream Alciatum, Julium Camillum Carnum, (6) Marc. Ant. Majoragium, & Jacobum Sadoleum, (7) qui ob egregiam eruditionem, dicendique ubertatem admirabilem, magnam apud omnes nominis claritatem est consequutus, & Paulum Manutium Aldi filium, juvenem cum summa eruditione, tum orationis elegantia præstantem, & Franciscum Crassum, (8) virum maximis rebus gestis clarissimum, qui non ita pridem Mediolani coram V. Carolo Cæfare invictissimo orationem (9) habuit, totam ad imitationem Ciceronis facundiæ compositam, qua omnes, qui aderant, in maximam sui admirationem adduxit. Alterum Ciceronianorum genus est eorum, qui Ciceronis phrasis adeo

sunt studiosi, ut illius suavitate mirum in modum affecti, allectique tantam tamque variam disciplinarum suppellectilem aspernentur, satis arbitrantes se eruditos fore, si ejus verba expresserint, si sermonis nuda liniamenta repräsentaverint, si denique verba Ciceronis ad omnem argumenti occasionem in promptu habeant; qui interim tam variarum scientiarum ignari, nihil prorsus Ciceronis imitatore dignum agunt, adeo ut mira religione, aut superstitione alligati uni Ciceroni, nimia imitationis cura, bonam naturam corrumpant, propterea quod dicta grandia rebus exiguis, & contra parva magnis accomodent. Accedit etiam, quod tales Ciceronis imitatores adeo sunt inepti, ut nullum verbum effterant, quod Cicero dentibus non attriverit, & barbaros eos existimarent, qui non ad præscriptum, regulamque Ciceronis verba enuncient, & angustis adeo finibus circumscriptam arbitrantur eloquentiam, ut nihil recte se habere putent, quod Cicero non expresserit, usque adeo uni Ciceroni omnem eloquentiæ laudem, & latinæ elegantiæ gloriam concedant, & reliquos omneis, cùm veteres, tum juniores authores omni earum rerum laude privent. Hujus generis multos novi, qui indigni sunt ut hie nominentur. Qui hoc pacto se Ciceronis imitatores esse profitentur, hi (dicam apertius quod sentio) non Ciceroniani, sed picæ, aut psittaci Ciceronis sunt appellandi, hi δοῦλοι (a) ab Echo Erasmiana (b) meritò sunt nominandi, nec injuriâ; tales enim communis sensus sunt penitus expertes. His hac insania purgandis opus est tuo helleboro, quod illis præbes ex epistola, quam ad Plantam nostrum proxime scripsisti. Quam quidem epistolam legere non desistimus, & ut decet doctissimam lucubrationem, caram habemus. Vale, Id. Maji MDXLVII.

(a) Afni.

(b) In Colloquiis.

(1) In Archivo Belgiojosi. Angeli Politiani Epistola est ad Tristamum Calchum satis diversa ab impressa Nurembergæ 1499, inter *Epistolas Illustr. Viror.*

(2) Græcas, latinasque litteras Mediolani docuit Franciscus Philephus. Sane in Precibus impremis Lucilii Terzagi ad Senatum Mediolani, Cod. nostro 260 aliâs laudato, sic legitur: *Primo Mediolani Duce Francisco Sforzia... dominante Mediolani publice profitebatur græcas, & latinas litteras Franciscus Philephus, Eques auratus, Poetaque laureatus, & Georgius Valla, ut ex eorum libris in lucem editis appareat.* Plures Philephi vitam, & gesta litteris consignant, veluti Niceronius, Foppius, Saxius, Lancellotus. Philephi uxor Theodora, Emmanuelis Chrysoloræ neptis, unacum hoc ipso avunculo suo, humata est in Templo S. Eustorgii, ut monumentum eorum ostendit, quod videlis apud Allegraniam. (a)

Ties apud nos Philephi sunt Codices, quorum unus, n. 128, versio est *Apophthegmatum Plutarchi* per Philelphum, scriptusque Codex infra annotatus per

(c) De Sepulchr. Christian. pag. 83.

Balsarinum Caymum an. 1464. In alio Cod., n. 306, plures sunt Orationes, & nonnulla Orationum exordia, quorum nihil typis impressum, nec ab ullo enunciatum agnovi. Prinæ, quæ ibi legitur Oratio, est de laudibus Philippi Mariæ Angli Mediolani Ducis; Orationes aliæ varii sunt argumenti, nempe pro Capitulo Provinciali, pro electione Præsidis, in Nativitate Domini, de Eucharistia, de Divina Scriptura, ac de aliis. Codex alias, n. 307, nuper Bibliothecæ nostræ accessit ex humanissimo dono P. Allegrantiae: mutulus ab initio est, continetque primò Comœdiam quædam latino eleganti sermone conscriptam, in qua Philogenia quædam primas agit partes. Nullum quidem Auctorem Comœdia hæc præfert; sed facile crediderim Philephi opus, cum alia, quæ sequuntur in Codice, Philephi auctoris nomen exhibeant, eodemque tum charactere, tum etiam styli similitudine totus Codex exaratus sit; sequitur autem in Codice sic: *Supplicazione di Francesco Filelfo alla SS. Vergine Maria per la conservazione del Gloriosissimo Prencipe Filippo Maria. Carminibus conscriptum est opus. Concluditur Codex opusculo, ubi de virtutibus, ac de vitiis agitur, suntque h̄ic alia italico, alia latino sermone concepta. De his autem, quæ in hoc sunt Codice, Philephi lubrificationibus mentionem non faciunt nec Niceronius, (a) neque Apostolus Zenus (b).*

In Codice apud Principem Belgiojosium est Francisci Philephi *Cantio Moralis ad Christum Salvatorem, & Ambrosum Pontificem pro pace*, & in alio Codice apud eundem est *Philephi Paræfis in Francisci Sfortia felicitate*. De his pariter verbum nullum apud Niceronium, Zenum, aut alios, quos sciam.

Magni voluminis autographus Codex latinorum, græcarumque epistolarum Philephi est penes Illustr. Marchion. D. Georgium Theodorum, & Fratres Trivultios, ex quibus epistolis duas evulgandas defūmpsit Cl. D. Angelus Theodorus Villa in Ticinensi Lyceo Eloquentiae Professor, typisque edidit, unacum annotationibus, latinaque versione. (c) Duos Philephi Codices in fol. possidet eruditio Clarissimus D. Carolus prædictorum Marchionum patruus; alter epistolas, Orationesque containet, alter autem, qui autographus, ejus *Sfortiadem*, in cuius priori pagina duo visuntur stemmata ipsius Philephi: in prímo duæ aquilæ imperialès habentur, & quatuor capita ursorum, quæ capita stemma sunt Ursæ Osnaghæ, secundæ ejus uxoris, de qua Zenus in *Dissertationibus Vossianis*; stemma aliud Mercurium exhibet, quod symbolum erat sibi a Philepho assumptum, de quo Mazzuchellius in *Museo*: e lateribus, seu supra stemmata litteræ extant FR. PH.

In Conventu S. Mariæ Coronatæ MSS. sunt Plutarchi *Apophthegmata* per Philephum, Codice 25, in quo etiam extat *Oratio Lyfix in defensionem occisi Eratothenis latine reddita per eundem*. Jam vero in annotationibus, quibus indicem Bibliothecæ Conventus illius illustravit Cl. P. Thomas Veranus Augustinensis, optime animadversum est, quod ea Lyfix Orationis versio singulis plane convenient verbis cum ea, quam Janus Vitalis Panormitanus Romæ edidit, typis Mazzochii an. 1515, atque hinc propterea constat Janum Vitalem, qui Philepho posterior fuit, totam illam Philephi versionem pro sua venditasse. Eodem in Codice, quod miniæ silendum arbitror, est Xenophontis *Oeconomicon* \* per Lampium Biragum Mediolanensem latine factum.

In Biblioteca Principis Belgiojosii sunt Francisci Philephi *Exercitatiunculae*, impressæ Mediolani per Antonium Zarotum Parmensem, 10 Februarii 1498. Edi-

(a) *Mémoire des Hommes illustres.*

(b) *Dissert. Voss.*

(c) In Libro Raccolta Milanese 1757.

tionem hanc non indicat in Catalogo librorum Mediolani s<sup>e</sup>culo XV. impressorum. Saxius, qui tantum nominat Mediolanensem editionem an. 1489.

(3) Aliquos Leonardi Aretini, seu Bruni Codices MSS., quos hic Mediolani inspexi, palam facere haud ineptum erit. Primo ejus Codicem, n. 157, nos possidemus *della prima Guerra Cartaginense*. Venetiis impressus hic liber est per Junctas an. 1545, eundemque inter rariores accenset libros Nicolaus Franciscus Haynius. (a) MS. Codex, in quo *Tyrannus Xenophontis*, & *Isocratis Parænensis* latine versa per Leonardum Aretinum, extat apud Principem Belgiojosium, penes quem etiam est nitidissimus alter, & optimæ notæ Codex *della Guerra Italiana contro i Goti*. Idem hoc opus, sed latine scriptum, servatur in Bibliotheca Conventus SS. Cosmi, & Damiani, Augustinensium Discalceatorum. *Tyrannus Xenophontis* typis impressus est ex Bibliotheca Fabritii. Opus pariter de Bello Gothic<sup>o</sup>, seu italicum, seu latinum, editum est, (Vide Niceron. tom. 25.) licet istud memorare omiserit Fabritius. An autem *Parænensis* excusa sit, plane ignoro; non enim hæc recensetur, nec ab Apostolo Zeno, (b) nec a Mazzuchellio. (c) In Codice Ambrosianæ, M. 44., duo sunt opuscula MSS. Aretini, *Laudatio Florentiæ Urbis*, ac *de Militia*, quæ a Mazzuchellio indicantur.

In Conventu S. Mariæ Coronatæ Codex, n.<sup>o</sup> 25., continet Aretini *Iaveclivam contra hypocritas ex omni genere hominum*, quam impressam esse constat ex Fabritio, & Bibliotheca Imperiali. In eodem Codice habentur Commentaria Aretini in I., & II. *Oeconomicorum Ariostotelis*. Quavis nondum hæc prodiisse scribat Fabritius, typis tamen Junctarum vulgata revera sunt, ut constat ex Bibliotheca Imperiali. Pariter in eodem Codice epistola est Poggii Florentini ad Leonardum Aretinum, de morte Hieronymi Pragæ, cuius exemplum aliud prostat in Codice Bibliothecæ S. Victoris Monachorum Olivetanorum, aliudque in Ambrosiana, (d) lucemque epistola hæc vidit in editione Basileensi. (e) In Codice alio, n.<sup>o</sup> 28, S. Mariæ Coronatæ Oratio est in funere cujusdam Othonis, de qua mentionem facit Laurentius Mehus in Vita ejusdem Aretini, & in eodem Cod. epistola ad Omobonum, de qua idem Mehus.

(4) Codicem Guarini possidet hæc nostra S. Ambrosii Bibliotheca, n.<sup>o</sup> 241, ubi Commentaria ejus sunt in Ciceronis *Paradoxa*, de *Amicitia*, & *Senectute*, s<sup>e</sup>culo XV. exeunte, vel ineunte XVI. conscriptum, quod colligo ex nomine Cardinalis Grimani, olim illius possessoris. Guarini annotationes in Ciceronis *Paradoxa*, & de *Senectute* eruditis hactenus incompertas arbitror, cum hasce memoriari non viderim nec a Fabritio in *Bibliotheca*, nec a Maffeo Verona *illustrata*, n<sup>o</sup> que a Zeno in *Dissert. Voss.* Codicem autem Guarini annotationes continentem in Ciceronem de *Amicitia*, sed imperfectas, possideri a Doctore Jacobo Facciolato proditum est (*Diario Veneto* tom. 12. pag. 362.)

Guarini epistolæ sex in Ambrosiana extant, duæ ad Bartholomæum Capram Archiepisc. Mediolani, tres ad Joannem de Casate, & alia ad Joannem Lamolam. Plures itidem extant Guarini MSS. epistolæ, ac orationes apud Augustinenses tum S. Mariæ Coronatæ Mediolani, tum S. Mariæ de Populo Romæ, quas eruditæ descripsit Cl. P. Thomas Veranus; (f) sed in Archivo Belgiojosiano Guarini opusculum occurrit in libellum Isocratis *Nicocles*, seu *Symmachicus* ad *Iuliu*.

(a) *Norizia de libri variis.*

pag. 127.

(b) *Dissert. Voss.*

(c) *V. eundem.*

(c) *Scrittori d'Italia.*

(f) *Novus Diario di Modena* tom. 20. an. 1780.

(d) *De quo Saxius Histor. Typogr. litter.*

D. Nicolaum Estensem, itemque ejusdem de *Affentatoris*, & *amici differentia ex Plutarcho*. Guarini opus in *Nicolem* ab nullo unquam citatum comperti, secus tamen illud *de differentia affentatoris*, quod laudatur in opere (*Diario Veneto* tom. 12. pag. 361) ubi citatum dicitur a Panvinio, & aliis, ac dicti operis Codicem possessum a Doctore Jacobo Facciolato una cum aliis Guarini scriptis. Ibidem etiam citantur epistola MSS. Guarini ad Tortellium, & Poggium, & alias Codex epistolarum, pag. 369.

Inter paucos, sed selectos Codices, quos possidet eruditus, mihique affinitate, & amicitia junctus D. Joannes Recalcati, unus extat in folio, ubi nonnulla exhibentur carmina Guarini, de quo huc usque dixi, senioris, tum alia etiam Joannis Baptiste Guarini, hujus filii, & quidem utriusque autographa, quorum aliqua nondum typis fuisse impressa facile arbitror. Sunt vero in eodem Codice aliorum carmina ad utrumque pariter ex Guarinis. Baptiste alterius Guarini Junioris epistolæ italicæ plures sunt apud Principem Belgiosium ad Marchionem Philippum Estensem Taurinum scriptæ, ubi is tunc primarius Ducis Sabaudiae Administrer agebat.

(5) Latina hujus Epistola MS. ad Benedictum Jovium continetur in altero ex duobus Jovii Codicibus apud Abbatem Masnagum.

(6) Eum nempe, qui Delminius dicebatur, a Ghilino laudatum, Gaddio, Morhofio, Morerio, & aliis. Præter ejus opera communius explorata, aliquot sunt ipsius epistolæ italicæ in variis epistolarum collectionibus, scilicet *Lettore volgari di diversi*, Venet. 1560, in aliis per Bernardinum Pinum, Venetiis 1582, & aliis per Bartholomæum Gualdum, ibidem 1592. Ejusdem Carmen *Davalus*, Miscell. n. 299, in Ambrosiana Bibliotheca extat, ac denique epigramma, seu epitaphium pro sepulcro celebris Lauræ, Francisco Petrarcae dilecta, ab Giulio Camillo compositum, mandante Francisco I. Galliarum Rege, habetur in operibus ejusdem Petrarcae, Lugduni apud Rovilium 1574. Ad eundem Camillum Ode legitur Petri Angeli Bargæi, pag. 248., Venet. 1568. Mediolani extat ejus Inscriptio in claustro interiori Conventus S. Mariæ Gratiarum, eaque, prout legitur apud Allegrantiam, (a) sic habet:

JULIO . CAMILLO . VIRO . AD  
OMNIA . OMNIVM . SCIENTI  
ARVM . SENSA . MIRIFICE  
ERVENDA . ET . AD . SCIEN  
TIAS . IPSAS . IN . SVVM  
ORDINEM . APTE . CONSTI  
TVENDAS . NATVRA . MIRE  
FACTO . QVI . APVD  
DOMINICVM . SAVLIVM  
ID . MAII  
MDXLIV  
REPENTINO . MORTVVS  
CONCIDIT  
DO . SAVLIVS . AMICO  
DESIDERATISSIMO  
POSVIT

Hinc annum dignoscimus, quo e vivis discelit Camillus, quod ignoravit Morenius, qui eum obiisse scribit anno circiter 1550. Dominicus ille Saulius, de quo

(a) De Sepulcr. Cirijs. pag. 132.

in Inscriptione, pater fuit B. Alexandri Saulii Congregationis Regularium S. Pauli, ac Ticinensis Ecclesiae Antistititis: atque hunc quidem filium suum Mediolani, ubi eum generat, humioribus litteris in primori sua adolescentia imbuendum tradiderat tum aliis, tum eidem etiam Julio Camillo Delminio. Vide ejusdem B. Episcopi Vitam ab Joanne Antonio Gabutio conscriptam, atque additamentis illustrataam a P. D. Paullo Onufrio Branda, Mediolani 1748, pag. 45.

(7) Epistolæ 4. Jacobi Cardinalis Sadoleti ad Cardinalem Viseum, quæ inter opera Sadoleti etiam postremæ editionis Veronensis non habentur, in Archivo extant Belgiojosiano. In eadem Veronensi editione epistola desideratur a Sadoleto conscripta nomine Leonis X. ad Federicum Gonzagam Mantuae Ducem, 1. Julii 1521, quæ legitur in fine Mantuani Commentarii per Marium Aequicolum, Mantuae, 1607.

(8) Manuscripta *Dissertatio in Bibliotheca nostra habetur*, Cod. 73, *De origine, antiquitate, & nobilitate Familiae Crassæ Romanæ in diversas Italiz urbes propagatae, deque ejusdem viris roga, sagove conspicuis*, auctore Joanne Baptista Blanchino, qui ibi etiam laudat Franciscum Crassum. Scripta *Dissertatio* est ipsius Blanchini charactere. Aliaque similis pariter idiographa custoditur in Bibliotheca Belgiojosiana. Franciscus Crassus clara Mediolanensi Familia ortus Petrum Antonium parentem habuit; primum forenses res tractavit, fuit enim Fisci advocatus, Jurisconsultus Colleg., Quæsturæ Ordinar. Præses, Senator, Genuæ, Cremonæ, atque alibi Prætor, tum Ecclesiasticæ vitæ se addixit, atque ad Cardinalitiam usque dignitatem electus fuit. Romæ obiit anno 1566, ejusque caderer Mediolanum delatum est, atque in Templo S. Mariæ Pacis conditum, ubi sepulcrale ejus elogium spectatur. Vide Sitonum, Argelatum, Benalium; inter quos tamen non convenit de anno, quo Advocatus Fisci evaserit noster Crassus, quove J.C.C. Collegio fuerit adscriptus. Ex libello dierum utilium, vulgo *Diuile*, hæc mihi comperta sunt, nempe Fisci Advocatum egisse an. 1528, & 1529, Quæstorem & Senatorem 1534, Præsidem Magistratus reddituum 1560, Romanam deinde purpuram habuisse an. 1565, & extreum ejus vitæ an. 1566 ex Argelato didici.

In *Constitutionibus Dominii Mediolanensis* per Franciscum Crassum collectis, Epigramma legitur Gabrielis Faerni in laudem ejusdem, quod minime commemorarunt, nec Franciscus Arisius in *Cremona literata*, nec alii, qui omnia Faerni scripta, parva quamlibet, indagare, ac recensere studuerunt.

In litteratis Mediolanensibus apud Argelatum, præter eum, de quo nunc dixi, Franciscum, alter laudatur Franciscus Crassus Alberto genitus, eodem florens tempore. Paulus Camillus hujusce filius fuit, in cuius cooptatione in Collegium J.C.C. Oratio extat Francisci Alciati MS. apud Princip. Belgiojosum.

(9) Oratio hæc habita in Templo primario Mediolani fuit, die 24 Augusti 1541, typisque edita apud Malatestam. Alia item ejusdem Oratio in funere Caroli V. Mediolani impressa est apud Franciscum Molchenium an. 1559. Latinas etiam orationes alias, aliaque elucubravit opera idem Franciscus Crassus partim edita, partim nondum in vulgus emissâ, de quibus videndus Argelatus.

## LIBER QUINTUS.

## EPISTOLA I.

AUGUSTINO PLANTÆ S. P. D.

ARGUM. *Gratias agit.*

JAM non agendas, sed habendas tibi gratias arbitror, cujus operā in amicitiam venerim viri omnibus numeris absolutissimi, atque integerimi, ex cuius jucundissima consuetudine (qua mehercule sic fruimur, ut tempus potius nos deficiat, quam illius capiat fastidium) quidquid fructus cepero, & jam cepi, id omne tibi acceptum meritò referam. Vale, & me nihil literarum a te occupato petere existima, cum præsertim animo concipiam meo, quid respondere possit vir urbanitatis studiosus, & studiosorum amantissimus.

## EPISTOLA II. (a)

JOSEPHUS OSSUTIUS PETRO CRIBELLO UXORIS SUÆ  
FRATRI ADULESCENTI STUDIOSO S. P. D.

ARGUM. *Litterarium Cribelli profectum domesticis ejus testatum se fecisse, significat. Cum latinæ linguae usu Helveticam ut etiam junget, suadet. Quasdam dictiones corrigit.*

TANDEM factum est, ut, quod jandiu cupiebam, mihi evenerit. Cupiebam enim aliquid tua manu scriptum lecitare, præsertim cum, ex quo tempore hinc Tigurum profectus es, nullas unquam ex te litteras vidisse. Nunc eas, quas Patri tuo, & eidem socero meo proxime scripsisti, meritis laudibus sum prosequutus; quandoquidem multa habebant, quæ laudarem. Quare cum Patri tuo, & tum mihi, tuisque cæteris omnibus gratulatus sum, dixique, te non solum nostram facile spem æquaturum, verum etiam brevi superaturum esse. Qua quidem

(a) Officii iusta a Cicereio conscripta, ut in Codice.

dem oratione omnes tuos gaudio delibutos reddidi, adeo ut spem, quam de te conceperant, majorem in modum adauxerint. In summa omnes tui tam bene de te & sentiunt, & judicant, ut nihil supra, nisi quod non probant illud, quod ex Petri Galeoti municipis nostri sermone perlatum est, te Helveticici idiomaticus usum parvifacere. Quod certe a te fieri nolle, cum jam scias quanti retrulerit, si tibi talem loquendi facultatem paraveris. Neque tamen interim a latinitate deterris: potes nanque linguam Helveticam observare, cum domesticos aliquoqueris, nec latinæ usum intermittes, cum in ludo literario, & in doctorum frequentia versaberis. Hoc pacto tibi utramque facultatem consequeris, modo tibi ipsi ne desis, & omni opera, studio, industria (quod te facere video) in discendo uti velis. Quod certe edificius facere potes, quod Pater tuus, vir ornatissimus, tibi optime consultum esse voluit, & certe volet, si quid tibi opus esse noverit. Sed jam redeo ad tuas literas, quas quanvis Patri tuo meritò probaverim, tamen velim scias (quod ad te scribo Patre ipso penitus imprudente) me aliquot orationes in illis legisse, quæ non satis latinæ mihi visæ sunt, quas ideo tibi indicavero, ne, si alias scripseris, in idem scribendi genus incidas; alioqui fieret, ut barbarus habereris, quanquam arbitrandum est, te epistolium tuum raptim scripsisse, nec illud recognovisse. Tu tamen posthac fac cautior videaris, atque sic corrigas: (*quam primum vales, subito ad me scribes*) *cum primum revalueris, ad me scribes* (*ut mittas sine errore, quoniam cui debeo volunt*) *ut dubio procul mittas, quoniam quibus debeo, ii sibi satisfieri volunt* (*quo modo me intromisiisti*) *quibus vestibus induendum huc me miseris* (*in diebus festivis non habeo quid feram*) *diebus festis non habeo quid induam*, (*si debet adhuc annum accordare*) *an velitis me etiam annum mancipatum esse*, (*& solvere alios, quos emi*) *& solvere pro aliis, quos emi* (*quoniam oportet me in prima classe ire*) *in primam classem ire*, (*ne ille Cæsar nullos auferat*) *ne ille Cæsar ullos auferat* (*& noli illum quicquam accipere*) *hic addendum erat permittere*. Tu, quare hæc sic immutentur, diligenter perpende. Illud, si me anas, curabis, ut ad Patrem tuum helvetica, ad me verò latine fæpissime scribas. Luggani, III. Kal. Julias MDXLVII.

## EPISTOLA III.

FRANCISCUS CICEREIUS JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Petitos antea libros iterum efflagitat.*

**J**AM ternas ad te literas dedi, quibus aliquot libros a te petebam: quas ideo arbitror te non accepisse, quod nunquam mihi responderis. Potest etiam fieri, ut illæ ad te perlatae sint, nec mihi operam dare potueris gravioribus negotiis occupatus. Nam minime putandum existimo, te ideo mihi satisfacere noluisse, quod una cum literis tibi eorum librorum pretium non miserim; siquidem sperarem te, si opus esset, mihi majora crediturum: & id tuto facheres, nam, ut interim cætera taceam, testis est Hieronymus Frick Bernensis, vir non minori eruditione, quam integritate insignitus, qui sit meus in te animus; & tamen, si pretium scivissem, nihil moratus suissem, neque nunc morarer, quin illud ad te transmitterem. Nunc te exoratum vellem, ut huic amico nostro illos libros dares, quos antea per literas petebam, nempe Aristotelis omnia opera, quæ extant emendate latine redditæ, Plutarchi vitas latinitate donatas ab aliquot viris eruditis, Quintilianus opera, Plinii *Naturales Historias*, Othonis Bronfelsii *Cathechesis*, Lycophronis *Cassandra* cum Zeze interprete. Hos velim, ex novissima tua editione, quaterniobus adhuc solutis, & foliis iis, quæ plicam unam tantum habent, hoc est, maximis. Pretium habebis per eundem Lodovicum Cribellum (a) concivem nostrum, (1) aut certe per eum, a quo superioribus diebus accepisti Methodorum Grammatices pretium. Vale, meque tibi plurimum debere existima. Lugani, Idib. Julii MDXLVII.

(e) Italica ad hanc Cicerei epistolam in Cod. Belgiojosi.

(1) Vocem hanc ut minus latinam habent Despautherius, & Capharus, nec non Calepinus, & Stephanus, qui eam nempe ab suis Lexicis ablegare voluerunt. Atnamen Laurentius Valla eandem nequaquam respuit, suoque immisit Lexico Forcellinus, quippe qui in priscis lapidibus eam animadvertisit, atque non nullis veteribus usurpatam.

## EPISTOLA IV.

## HIERONYMO FRICK S. P. D.

**ARGUM.** Eruditionem Fricci celebret una cum humanitate conjunctam; & hanc quidem in se ipso maxime expertum fuisse. Carmina ad-jungit.

**S**UNT hoc seculo multi, doctissime Hieronyme, qui dicunt, se tenere humanitatis scientiam, & tamen sunt quovis Timone inhumaniores, adeo ut in scriptis tantum humanitate prædicti appareant, moribus autem ipsis sint agrestes ac feri. Horum similem te nequaquam esse video, qui tales mores ex egregia eruditione tibi comparasti, ut dubitem, utrum tua morum facilitas, atque urbanitas, an literarum cognitio præstet, & majori laude digna esse videatur. Quare ex eorum numero es mehercule, qui præclaro humanitatis nomine sunt dignissimi. Id nanque proxime ostendisti, atque mihi declarasti. Cum enim cognovisses, me literarum plane mediocriter esse studiosum, quanvis ineruditum, in amicorum tuorum numerum retulisti, & non vulgari benevolentia complexus es. Nec hoc satis tibi visum est: literarum me participem reddidisti, atque hortatus es, ut ego quoque ad te literas darem. Hæc, quæ doctissimo cuique exoptanda essent, qui te videt in adolescentem conferre, quod bonarum literarum peritos admiretur, nonne fatebitur, te virum esse humanissimum, cumque præterea, qui tui exemplo alios ad honestam vivendi rationem, quæ ex literis acquiritur, hortari, ac perducere studeas? quare videre est quantum de meis promeritus, quem tuæ benevolentiae dignum judicaveris. Quapropter ingratissimus sum omnium, nisi pro virili enitar, ut aliquando is sim, qui tua amicitia dignus judicer. Hæc eò tibi scripsi, quod cognoverim, te nunc gravissimis negotiis esse minus impeditum. Vale, & hos versiculos, qualescumque sunt, boni consule:

Clara ferax hominum est doctorum Helvetia, tellus  
Inclyta, felici sydere nacta poluin.

Hinc lauro ornatus Glareanus, (a) dulcia Phæbo  
Qui canit ad latian carmina multa chelyn;

(a) Henricus Glareanus, seu Loritus, de quo de Thou *Histor. I. 35*, Teissier *Elog. des Homm. fgeu. t. 2. & alii.*

Hinc quoque nunc floret natus Ceporinus (*a*) olim,  
 Cui triplici lingua verba diserta sonat  
 Hinc Frisius, valeat qui quantis artibus, ipsa  
 Testantur, cū sit quæ bene scripta modo.  
 Gasnerum peperit concors Helvetia, Chiron  
 Centaurus Medica quo fuit arte minor.  
 Clauerii (*b*) hæc patria est, tantum cui sydera nota,  
 Hæc Majæ quantum nota fuere Patri.  
 Multos præterea famâ quam maxima tellus,  
 Et pontus norunt, astra que ecelsa poli,  
 Quos tulit Helveria hæc regio, præclara sequentes  
 Castra laborata Palladis . . . .  
 Te tulit hæc etiam doctis numerandus in illis,  
 Qui Frick es Bernæ gloria, fama tuæ:  
 Qui quoniam numeras me caros inter amicos,  
 Vix dicam, quantum gratuler ipse mihi.

(*a*) Jacobus Ceporinus in Gesneri *Biblioteca*.

(*b*) Corradus Clauerius, de quo Bailler *Jugement des savans*.

### E P I S T O L A V. (*a*)

#### JOSEPHUS OSSUTIUS PETRO CRIBELLO UXORIS SUÆ FRATRI S. P. D.

*Arcum. Petri Cribelli. dolorem de Patris obite vario momentorum genere levare studet, quem simul admonet, ut defunctorum Patrem virtute, ac moribus referre in se ipso futagat. Nonnulla in ejusdem litteris emendat.*

**Q**UANQUAM unus ex omnibus minime sum ad te consolandum aptus, propterea quod tantum ex communibus molestiis cæpi doloris, usq; ipse indigerem consolatione, nostræ necessitudinis tamen esse statui, meæque in te benevolentiaz (utcumque licet) ea ad te scribere, quorum recordatione non mediocriter sum confirmatus, & adhibere aliquam modicam consolationem, quæ tuum dolorem levaret, si minus sanare potuisset. Est autem consolationis genus illud pervulgatum, quod semper in ore, atque in animo nobis esse debet, homines nos ut esse me-

(*a*) Ossutii nomine a Cicero conscripta.

minerimus ea lege natos, ut omnibus fortunæ telis vita nostra sit exposita, neque illud a nobis recusari debere, quod minus ea, qua nati sumus, conditione vivamus, neve tam iniquo animo eos casus feramus, quos nullo consilio declinare possumus, eventisque aliorum memoriâ repetendis nihil accidisse nobis novi cogitemus. Neque hæc, neque cæteræ consolationes, quibus sapientes viri usi sunt, quasque memoriæ, & literis prodiderunt, tantum videntur proficere debere, quantum, si tibi in mentem venerit, qualis fuerit Pater tuus, quem nunc ex humanis excessissæ doles. Talis namque vixit, ut animæ immortalitatem una cum nominis æternitate sit consequutus. Ea namque pietate in Deum, bonitate in suos, justitia in omnes fuit, ut nemini dubium esse possit, quin se his ærumnis expediens, hac vita, quæ certe mors est, explicans, vitæ, quæ malum nescit, particeps sit redditus. Porro quis dubitet, quin ejus nomen immortale sit futurum, cuius prudenterissimo consilio seditiones comprimebantur, tumultus sedabantur, jurgia tollebantur, pax alebatur, sanctissimæ denique leges infraactæ servabantur? Hæc omnia Patrem tuum præstissime Respublica hæc nostra, dum erit, nunquam oblivioni tradet. Quare vides, an dolendum sit morte Patris tui, quicum tam bene actum est. Accedit huc, quod Ennius poeta non esse lugendam mortem censet, quam immortalitas consequatur, & id his versibus:

*Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu*

*Faxit, cur? volito vivus per ora virum.* (a)

Quod si Ennius non dolendum esse ostendit ejus discessu, qui ex præclaris rebus gestis famam sit consequutus, multò minus mœrere debemus morte Patris tui, qui, ut paulo ante dicebam, bene vivendo non solum nomen nunquam intermoriturum, verum etiam animæ immortalitatem sibi paravit. Sed fieri potest, ut tua ipsius causa commoveraris, quod illo mortuo multa tibi commoda sint adempta. Sed hac cogitatione te angi, cùm non decet, tum non opus est; quandoquidem ostenderes te non Patrem, sed ejus beneficia amavisse. Deinde superstites sunt (Diis gratia) tibi multi fratres, inter quos & me esse existimes velim, qui te non tantum fraterno, sed & paterno amore prosequuntur, quique tibi & educando, & bonis artibus instituendo nunquam sunt defuturi. In hanc sententiam plura non scribam, ne videar intelligere apud te rationem parum valere. Quare, si unum illud proposuero, finem, quod ad hanc rem attinet, scribendi faciam. Ego, & cæteri omnes tui speramus brevi futurum, ut Pater tuus in te reviviscat, nobisque per te restituatur. Quapropter tuum est totis viribus

(a) Ennius in Episph.

eniti, ut illius vestigiis summo studio insistas, illius similis evadas, utque Patrem virtute, ac moribus non minus, quam facie referas. Hoc quin præstes, non dubitamus, & id te facturum fideim faciunt literæ, quas a te proxime accepimus, ex quibus perspexi, quantum tua in dies accrescat eruditio; nam in iis multò pauciora sunt, quæ corrigam, quam in illis inveni, quas superioribus diebus ad nos dederas, quemadmodum cognosces ex iis, quæ statim adscribemus. Cæterum dierum antiquam assignationem libenter ad te misimus, & cum hac epistola conjunximus. Quum petis quæ ad literas attinent, facis quod te decet, & nobis spem de te conceptam plurimum adauges. Quod de Galeoto scribis, mihi sane quam gratum est, euidem & ego id non satis verum esse arbitrabor. Si, ut scribis, nobis significaveris novi aliquid, te nobis facturum rem gratissimam existima. Interim vale. Lugani, xiiii. Kal. Septembbris MDXLVII.

Hæc sunt, quæ, si diligenter consideres, permutabis: (*me scire voluisti, præsertim, ut Petrus ille Galeotus dixerit*) dicendum erat: *quod dixerit, vel Petrum dixisse, dummodo illud (ut) non sit adverbium. (Et alloquutus est, responsum dedi) adjungendum erat: si, ut dices, & si. (Et, si quoque aliquid potero) adde: ego, discretionis gratia, ut dicas, &, si quid ego quoque Et. (præcor, ut me notum facias) ut id mihi notum facias. Precor absque diphthongo scribitur, & primam corripit, ut ex hoc Ovidiano carmine videre est:*

*Sæpe precor mortem, morem quoque deprecor idem. (a)  
(Scripsit ad Helvetios, si volunt) an velint, dicendum est.*

(a) Ovid. 1. de Ponto 2.

## E P I S T O L A VI.

FRANCISCUS CICEREIUS HIERONYMO CAMUTIO  
PHYSICO S. P. D.

**ARGUM.** *De Alciati Emblematis sibi ad exscribendum traditis gratias agit. Quantum ipsi, ejusque propinquis debeat, testatum facit.*

**D**ESCRIPSI XXXV. illa Alciati *Emblemata*, quæ tu mihi exscribenda per tuam in me benevolentiam dederas; argutissima sunt, & lectu dignissima, qualia sunt omnia, quæ ab Alciato, hujus mehercule ætatis ornamento, proficiscuntur; verum quicquid fructus, quicquid voluptatis, atque jucunditatis ex eorum lectione capio, tibi merito acceptum

refero, simulque mihi gratulor, quod non vulgaribus beneficiis me tibi devincias. Quid enim homini majus dari potest, quam quod ad excolandum animum facit? Sed video quid agas. Fratri, ac Patri tuo, viris omnibus numeris absolutis, tantum debo, ut illorum opera me deductum esse profitear de inferorum via, in quam dari cogebat, cum anima e vinculis corporeis evolaret. Tu vero, quemadmodum illis non minor es eruditione, atque doctrina, ita nec minora conaris, quam illi. Nam illi corporis mei fategerunt, dum me spe destitutum, ac deploratum pristinæ valetudini restituerint: tu excolis animum, & meritis reddis expolitum. Itaque, quod animus est corpore præstantior, et etiam majora sunt tua in me beneficia, quam ea, quæ a Patre, ac Fratre tuo acceperi. Quomodo igitur vobis solvendo esse potero, quibus & hujus vitæ usuram, & animi cultum debo? an pecuniâ, quæ, si mihi major esset, (cum nulla sit) quam olim fuit Attalo Regi, aut M. Crasso, ne trientem quidem debiti mei dissolverem? tanta est ejus magnitudo. Quid ergo? Faciam, quod plerique consueverunt, vos laudibus meritis prosequar, & hac ratione me vobis gratum declarabo? Nequaquam; primum enim ea non sum eruditio, ut hoc onus subire possem; deinde, quanvis liceret, non tamen id conari constituerem. Cum enim tales sis cùm natalibus & majorum imaginibus, tum certe virtute vestra, ut, cui nomen vestrum non innotuerit, arbitrer esse neminem, obscurarem potius, quam illustrarem famam vestram per se quidem clarissimam. Quare ego, qua ratione ingratitudinem effugiam, non video, nisi certe illud vobis persuadeatis, gratificandi facultatem, non voluntatem mihi defuisse, neque unquam defuturam esse. Vale, & meis studiis, ita ut cœpisti, favere perge, xvii. Kal. Septembbris MDXLVII.

*Præcipitem currum cum sol jam fessus agebat.*

### EPISTOLA VII. (a)

M. ANTONIO MAJORAGIO S. P. D.

**ARGUM.** Majoragii orationem celebrat, quam, cum ad Oporinum miserit, pro eximio munere, ab eo acceptam significat. Tum eundem rogat, ut lucubrationum suarum aliquid Oporino excudendum tradat.

**C**OVIDIE & legis & conteris scripta non nisi docta, & erudita, quorum ne qua te satietas capiat, par esse videtur, ut ego meis scriptis

(a) Majoragii ad hanc responso est apud Gudium pag. 125. Mediolani data Non. Octob. 1547.

provideam. Legas igitur & has literas, quæ ab indocto profiscuntur, & eruditionis nihil adferunt, ut quæ cùm docta, tum erudita sunt, harum interposit a lectione te magis delectent. At, inquies, familiarem oportet esse hunc, qui sic ad me scribat. Te tuus, inquam, animus non fallit, M. Antoni doctissime, nam & amicus, & notus sum tibi; quare est, quod mihi gratuler. Siquidem te publice profitentem isthic annum audivi, & id antequam Ferrariam studiorum causâ profisceris. Eo namque tempore Virgilium latinorum Poetarum maximum, & Ciceronem, ac Demosthenem Oratorum utriusque linguæ præstantissimos lectoribus. Sed, cum hæc sim præfatus, ad ea venio, quæ te scire velim: Saturnalibus proximis de *Nominis mutatione Orationem* elucubraisti plenam mehercule & eruditionis, & doctrinæ, ut interim taceam, quanto artificio sit conscripta; eam his in locis cuiusdam familiaris mei beneficio primus legi, lectam hic doctis aliquot communicavi, qui tuam eloquentiam admirantes, quām primum opera dedita curaverunt, ut illius aliquot exempla Mediolano asportarentur, nunc illorum omnium manibus teritur; sed præsertim Hieronymi Frick, Prætoris nostri, hominis græce, & latine peritissimi: hic tuæ dictionis suavitate allectus, num ex te aliud aliquid haberem, ex me quæsivit. Ego vero, qui tuas laudes libenter audio, *Decisiones* xxv. in Calcagni-  
num hilari vultu obtuli, de quibus quod fuerit illius judicium, alias ad te scribam; nunc ad orationem tuam redeo. Hanc, cum primum facta est mihi nuncii copia, Basileam transmis, ut illa Joannem Oporinum typographum valde nobilem, & doctum virum donarem. Quod quidem munusculum, quām gratum illi fuerit, videre est ex ejus literis nuper ad me missis, in quibus hæc sunt quæ adscribam:

*Ago itaque gratias, quantas par est, pro libello isto Majoragii ad me misso, quoque, ut quicquid hujus viri ad me mittere potes, ita mittas, ut te mihi rem longe gratissimam præstitterum certò persuasum habeas. Valde enim mihi illius viri, quæcumque legi hac tenus, placent omnia. Legi enim quædam etiam a Gryphio impressa hucusque. Quod si etiam familiarem mihi hunc, & amicum reddere possem, deberem cum quidem tibi vel multò plurimum, & forte ita me erga utrumque gererem, ut neque te conciliatæ inter nos, neque illum suscepere novæ istius amicitiae, aliquando deberet pigere.*

Hæc Oporinus, qui, ut te colit ac observat, ita etiam in amicorum tuorum numerum recipi meretur. Hunc ut ames, & benevolentia complectaris non solum peto, sed etiam te vehementer rogo; hominem enim cognosces tua amicitia dignissimum, & eum, qui Basileæ opibus,

opibus, gratia, favore, generis nobilitate, eruditione, quod horum est maximum, plurimum possit. Sed quid opus est verbis? Humanitate ad hunc amandum impelleris, quæ tanta in te est, ut non solum de hujusmodi viris, sed etiam de omnibus benemereri studeas. Quod cum feceris, non est quod verear, quin & eorum, quæ adhuc habes sub incude, ei aliqua in lucem danda communices, & hoc pacto tuum in eum animum declares, præsertim cum tibi res futura sit cum homine gratissimo, & typos habeat tuis lucubrationibus dignissimos. Accedit quod, quemadmodum per Gryphium in tota Italia, ac Gallia nomen est tuum illustre redditum, ita & per Oporinum toti Germaniæ innotescet; libri enim, qui ex hujus officina prodeunt, ex pluribus Germaniæ urbis veneunt. Hæc a te ausus sum petere, memor tuæ in omnes auditores tuos benevolentia: nihil enim illi gratum facere poteris, quod & ego tibi acceptum non referam, mihique factum existimem. Quare expecto a te literas, quibus appareat, quantum apud te possint studiosorum adolescentium, discipulorumque tuorum commendationes, quantique facias doctissimorum hominum amicitiam. Sed, cum studiosorum petitionibus honestis maxime favere, & doctissimorum amicitia nihil carius ducere consueveris, nihil est jam, quin mihi, & Oporino morem geras. Interim Primo, & Antonio, viris eruditione insignibus, de Comitibus loquor, quorum erga me meritorum memoriam nulla unquam delebit oblivio, s. p. d. Tu Vale, & Musas, ad id enim natus es, ornare perge. Lugani, v. Kal. Octobris MDLVIII.

## E P I S T O L A VIII.

FRANCISCO CASTOREO S. P. D.

*ARGUM. Mentis suæ propositum significari a Castoreo postulat.*

**S**ÆPE efflagitasti, ut te græce edocerem; facile exoravisti, nihil enim est, in quo tibi non gratificarer: sed, cum me ad te instituendum accinxisse, teque jam auditorum expectarem, ad me accedere noluisti! Quare fit, ut aut me illusum iri existimem, aut græcas literas a te contemptum iri putem. Tu fac sciam, utrum horum facias, fortassis enim utrumque; interim Horatium, & Rhetoricam Ciceronis mitte.

## EPISTOLA IX.

AUGUSTINO PLANTÆ LEGALI PRACTICO S. P. D.

ARGUM. *Diversa vox in Valerii M. libris.*

**I**NSPEXI Valerium Maximum: ejus locus, de quo verba fecimus, talis est: *Ubi Q. Ogulini (a) Legati tabernaculum erat, inque multiplicem orbem per summam quietem est convolutus.* Plinius Novocomensis libri de *Vitis* illuſtr. cap. 22. de codem miraculo verba faciens idem dicit, sed his verbis: *Et se in Volumnii tabernaculo conspiravit, ubi de loco inter hos duos Authores est controversia; (b) sed hoc quid ad nos? hæc ed scripsi, ut intelligas meum codicem ibi loci mendo carere, cum tuus pro orbem habeat urbem, sed iccirco illum odiſſe non debebis, cùm unam tantum literulam immutatam u pro o habeat.*

(a) Aliis dicitur *Ogulneus*. V. Glandorfi *Onomasticon*.

(b) Si iudicio standum Glandorfi in dicto *Onomastico*, perperam Plinius *Volumnii tabernaculum pro Ogulini posuit*.

## EPISTOLA X.

JOANNI OPORINO TYPOGRAPHO S. P. D.

ARGUM. *Litteras serius ad se perlatas inquit, De libris dono datis gratias refert, cui alios ipsemet libros muneri mittit. Suas denique litteras, quas Oporini commendandi gratia Majoragio scripserat, plurimum valuisse nuntiat.*

**C**UM existimarem meas litteras ad te non pervenisse, Oporine doctiss., ad te iterum scripsi Idib. Iulii, quod certe non accidisset, si tuæ litteræ, mihi quidem gratissimæ, suo tempore redditæ fuissent; nam datas Nonis Maji, x. Kalendas Octobris accepi. Quare in itinere fuerunt menses ferme quinque; unde fit, ut existimem illas, non equo, sed testudine iter in Italiam consecuisse. Sed hoc parvipendendum esset, nisi tuis libris interim mihi maxime opus fuisset, quos, quum hæc scribebam, pondum acceperam. Sed hæc omnia vectoris incuria accidere, qui & litteras, & libros diutius dormire Lucernæ permisit. Nunc ad tuas venio litteras. Humanitatis illæ quidem & summæ benevolentiaz plenæ

erant, quales esse consueverunt, quæ a te optimo viro proficiscuntur: illis enim declarabas, mea tibi grata esse omnia, cum munusculum, te vix satis dignum, tibi tam gratum fuerit, & paucula quædam, quæ tibi promisi, grata fore asseveres. Sed certe erubui, cum ad primæ pagellæ extremum pervenisset, & me Lycophrone, & Joannis Tzezis Historiis, munere mehercule regio, donari cognovisset; non enim quicquam aut ad te misi, aut me missurum promisi, ut te ad donandum provocarem, sed quod ingratissimi animi videbatur, si aliquo pacto me tibi gratiam habere non significasset, cum eo fueris animo, ut in me vel ignotum beneficium non vulgare contuleris. Quare me optandum quiddam assecutum fuisse arbitrabar, si qualiacumque ea erant, quæ mittebam, pro tua humanitate tibi grata fuisse cognovisset. Sed hoc satis esse tibi non visum est, & me alioqui tibi devinctum, devinctiorem reddidisti. Quare jam tibi non agam gratias, sed expectabo occasionem aliquam, qua & ego meum erga te animum satis declarem, & tu cognoscas, te opinione tua non esse deceptum, qui, cum primū me in tuorum numerum recepisti, existimasti beneficia tua in gratum hominem te collocaturum. Quod ad cæteros libros attinet, plane mihi satisfactum esse arbitror, præsertim si, ut scribebas, Plutarchi *Vitas* nuperime absolutas illis addideris. Sed quod illorum pretium tibi adnumeraverit Leonardus Lucelmanus, non possum facere, quin hujus nobilissimi hominis humanitatem admirer, cum & ignoto, & nihil petenti gratificari voluerit. Reddam igitur quicquid causâ meâ tibi dedit: exsolvam quidem hoc illi debitum, sed nunquam illi debere desinam. Dedi ad te duas Majoragii orationes, quarum una est habita in *Nuptiis Præfidis Mediolanensis*, (1) altera in *Aleatores conscripta*, (2): haec una cum tertia de *Nominis mutatione* nusquam, nisi Mediolani, sunt excusæ, nec alias orationes, præterquam has tres, Majoragius adhuc edit; iis adjunxi *Apologiam ejusdem* (3) in Marium Nizolium, quam typis nuper descriptam mihi idem dono dedit Majoragius. Dedi etiam ad te Benedicti Jovii Novocomensis *Philautiam*, poema quidem parvum, sed tibi non omnino displicitum, cui addidi *Farraginem de Turcie fugâ* ab eodem Jovio profecta. Hæc hactenus nullum, quod ego sciām, subiere prælum; fortassis tuum subibunt, si illa, ut arbitror, tuis typis digna judicaveris. *Farrago* alicubi duplice habet lectionem, quod collatis duobus exemplaribus sit descripta, quæ melior videbatur, in contextu est reposita. Tu tamen eam probabis, quam voles. Quæ quidem èo non mittimus, ut hoc pacto alicui parti tuorum erga me meritorum satisfacere velimus, aut quod arbitremur refertissimam, maxi-

meque locupletem tuam librariam officinam his minutis indigere, cum non desint, qui vel ab ultimis usque orbis terrarum partibus maximos tibi libros excudendos mittant, sed potius, ut hinc nostrum tibi gratificandi studium spectes. Sed nec tamen ea omnia de Jovio tibi mitto, quæ promiseram, promiseram enim *Fontes*; sed hactenus eos nancisci non potui. Illud tibi de me persuasum habeas velim, me, quicquid librorum adhuc non impressorum assequi unquam potero ad te missurum esse, & eo semper erga te animo fore, ut nullum unquam laborem recusem, quo me tibi gratificari posse videam. Scripsi ad Majoragium, teque, ut potui, diligentissime illi commendavi. Quid de te ad illum scripseric, hic non aperiam, ne vere amico assentari videar; ea tamen duntaxat dixi, quæ vere de te dici possunt. Ea mehercule digna erant, quæ te in ejus benevolentiam, quod factum est, raperent; quæ quidem literæ quantum valuerint, cognosces ex iis, quibus ipse Majoragius mihi respondet, earum enim exemplum ad has appendi. Cognosces etiam, quid tibi agendum sit, ne, dum ego ea recenteo, longior sim, quam oporteat. In summa iam tuus est Majoragius; hujus etiam familiaritatem conciliavi Hieronymo Frick doctiss., & eidem optimo viro, qui, quæ illius est humanitas, me amat, & doctiss. literis suis dignum censet. Quare ego quoque hunc meritò colo, & observo. Sed nuper meam in eum observantiam non parum accrevi, quum illum tibi amicum esse cognovi. Vale, mi Oporine, & me tuum esse existima. Lugani, xi. Kal. Noyembris MDXLVII.

(1) *In Nuptiis Jacobi Philippi Sacci Mediolani Senatus Praefidis Oratio Mediolani impressa in 4.* (a) 1540, iterumque cusa cum aliis Majoragi Orationibus, ac *Praefationibus*.

(2) Prodiit Mediolani an. 1541, in 4, iterumque impressa unâ cum aliis. (b) Porro hæc *Oratio in Aleatores*, quam in *Biblioth. Mediol.* laudat Argelatus, eadem est ac *Declamatio ejusdem in Aleatores*, quam in *Addendis*, & *Corrigendis* iterum is citat, fere ac altera hæc foret ejusdem Majoragii lucubratio.

(3) Liber hicce \* impressus sine nota typographi, nec anni, tum in Ambrosiana, tum in Braydensi Bibliotheca habetur, idemque indicatur in serie operum Majoragli, quæ hujuscemus Rhetoricae operi præmittitur. Majoragii cum Nizolio lites, vide apud Morhofium. (c) Marius Nizolius natus Brixelli est illustri Mutinensis Ducatus pagi. (d)

(a) V. Argelat.

(b) V. eundem.

(c) *Polyhistor* tom. 1. pag. 316, & 851.

(d) V. Tirabosch. *Letterae Ital.* T. 7. par. 3.

## EPISTOLA XI.

JOANNI OPORINO (a) S. P. D.

ARGUM. *Libros poscit.*

**S**IGNATIS, & complicatis literis hæc addere libuit. Velle huic meo gentili, qui tibi has reddiderit, eum librum dares, quo tu Authores omnes Eclogarum comprehendisti, concinnatum more Germanico, corio porcino flavo tectum. Cupio etiam summopere nancisci Aulum Gellium, ex editione Colonensi Joannis Soteris, ann. 1526, & id propter typorum compendium, ac commoditatem. Hunc, si me amas, mihi quæras velim, & alicunde habitum conjungas cum Petri Mosellani in eundem Annotationibus ab Joanne Bebelio (1) editis anno 1526, & eodem modo, quo Eclogæ, concinnatum dabis eidem, cui Eclogas commissaris; quod si feceris, mihi rem gratissimam facies, & brevi, quantum volueris, pro illis exsolvam. Non arbitror opus esse te admoneri, ut quam primum ad Majoragium scribas, cum ex ipsius literis ad me missis, quid tibi faciendum sit, colligere possis. Ego interim, quod meum est, ea ad Majoragium scribam, quæ non solum ejus in te amorem conservent, sed etiam non parum augeant. Vale. Lugani, xiv. Kal. Novembris MDXLVII.

(a) Oporini ad hanc responso inter Gudianas est pag. 164, data 12 Novembr., Basileæ 1547.

(1) Bebelius Tiguri officinam typograph. tenebat. V. Jo. Albert. Fabric. *Notitia Celebr. Typogr.* tom. 2. *Bibl. lat. in fine.* Michaelis Isingrinii, de quo infra, gener fuit. V. Maittaire tom. 3. par. I. ubi & epistola exhibetur Conradi Gesneri ad utrumque simul.

## EPISTOLA XII.

M. ANTONIO MAJORAGIO S. P. D.

**A**RGUM. Quosdam in amicitiam suam receperat Majoragius Cicerei commendatione inductus. Graias ob id ei refert, unaque de libro, quem sibi dono transmiserat. Deinde invidos Majoragii famæ esse, ejusdemque obrectatores, ægre fert, simul non dubitans, quin brevi omnia adversariorum suorum tela Majoragii virtute frangantur.

**I**LLUD affirmanti mihi credas velim, Majoragi humanissime, literas tuas, munus tuum, tuum denique in me animum mihi gratiora fuisse, quam si quis me regno donavisset, aut certe ditiorem quovis Cræso,

aut Attalo reddidisset. Quid enim mihi carius, gratius, atque jucundius esse potest, quam a te tali, ac tanto viro literas accipere, donari, amari? Quas divitias, quod regnum his rebus præferam, cum præterea me apud te, quæ tua est humanitas, non parum posse reipsa ostenderis, & duos optimos atque doctissimos viros, tecum familiaritatem inire desyderanteis, mea ipsius caussa, in amicorum tuorum numerum retuleris? Unde factum est, ut, cum antea me illi tantummodo diligenter, nunc se mihi plurimum obligatos esse profiteantur, quod quam verum sit, audi Hieronymum Friccium Prætorem nostrum, qui me suo quodam epistolio sic alloquitur:

*Quod tuis ad Majoragium literis, Francisce optime, tanti mihi viri familiaritatem conciliasti, singularis istud beneficium loco duco, atque gratias habeo, simulque rogo te, ut in posterum quoque ejusdem erga me animum conservare studeas, ac me ei diligenter commendes, nec non pro doctissimo munere, quo nihil optatus ad me mitti potuit, meo nomine gratias immortaleis agas. Hæc Friccius.*

Sed quantum arbitraris Oporinum mihi debere, quod, mea caussa, suo desiderio plane satisfactum esse videat, quodque se non solum complectoris, verum etiam opera quædam tua, non ante visa, typis excudenda sibi spondeas ac deferas? Plurimum mehercule; hæc nanque quam grata sibi fuerint, ipse tibi declarabit iis literis, quas brevi tibi missurus est. Quapropter, quod possum, gratias tibi & ago, & habeo maximas. Sed ad munus tuum redeo: ex eo lætitiam & dolorem ceipi non mediocrem: lætitiam, quod a te profectum sit, quodque cum eruditione ac doctrina esset refertum, ex ejus lectione maximos, atque huberrimos fructus hauserim; dolorem vero, quod, cum neminem fore existimarem, cui tui labores sanctissimi, & conatus optimi dispercerent, inventus tamen sit, qui tibi detrahatur, tuamque jam non mediocrem dignitatem ac famam maledictis imminuere conetur; (a) tunc certe facere non potui, quin communem horum temporum miseriam ingemiscerem, cum nihil sit tam sanctum, tamque laudabile, cui temperare velit nonnullorum maledicentia. Sed nonnihil me confirmarunt vetustissimorum cùm Oratorum, tum Poetarum exempla, quæ mihi talia de te cogitanti, sic inquiens, ob oculos posui: nonne suos Homeromastigas (1) habuit Homerus, Poetarum præstantissimus:

*Quot sunt, quoque fuere*

*Quotque post aliis erunt in annis: (b) &*

(a) Majoragii adversarii fuere Fabius Lupus, & Maerinus Niger. V. *Oration.* ejusdem x., p. 193.  
(b) Catulli in *Carmine* 49 de Tullio Cicerone dictum.

.... a quo, ceu fonte perenni,  
Vatum Pieris ora rigantur aquis? (a)

Nonne Virgilius Paronem, Carbilium Pictorem, & Petilium Faustinum æmulos habuit? (2) Nonne Cicero Largum Licinium (3) obrectatorem passus est? Quid igitur tantopere dolendum est, quod & Majoragius meus habeat oblocutores? qua quidem cogitatione, mihi crede, non mediocriter sum confirmatus. Verum illud postea me plane confirmatum reddidit, cum scilicet viderem, quām facile istius adversarii tui tela confringas, longeque abs te repellas, imo in eum ipsum, a quo emissa sunt, retorqueas. Quare futurum spero, ut nemo posthac au-deat tecum congregi, cum & laudatissima facias, & tam diligenter ea tuearis. Cæterum tuum illud mihi gratissimum munus cum primū legi, una cum quibusdam aliis lucubrationibus tuis ad Oporinum misi, quæ brevi spero, ut una cum iis, quæ tu ad illum dederis, toti Germaniae invulgentur, utque inde plurimi cognoscant Romanæ facundiae gloriam in hoc nostro Italæ angulo non jacere, imò tuo studio ac industria vigore plurimum. Franciscus Carronenensis (b) Presbyter, vetus amicus tuus, tibi s. d. Vale, Lugani, ix. Kal. Novembris MDXLVII.

(a) Ovid. 3. *Amorum* 9.

(b) Italica ad hunc Cicerii epistola est in Belgiojof. Cod.

(1) Homero perquam infensi fuere Syagrius eidem coævus, nec non Zoilus, & Xenophanes Colophon, ætate posteriores. (a)

(2) De his Virgilii Censoribus vide Donatum in ejus *Vita*, si tamen is genuinus Virgilianæ, quæ ipsius nomine circumfertur, vitæ autor est, quod a pluribus negatur. Notatus etiam ab Higino fuit Virgilius, (b) tum ab aliis quoque. (c)

(3) Auluna Gelliem adi lib. 2. cap. 1., ubi Largus Licinius, unaque Gallus Asinius quandam in Oratione Ciceronis pro M. Cœlio reprehendisse dicuntur sentiantur.

(a) V. *Theatr. vita humana* T. 1. & Caro-

lum Stephanum *Diction. Hist. Geogr.*

(b) V. Gellium lib. 5. cap. 8.

(c) V. Petr. Crinitum de *Poëris Latinis*.

## EPISTOLA XIII.

### JOANNI OPORINO S. P. D.

**ARGUM.** Quædam sibi enarrari cupit.

**Q**UONIAM non est obscurum, me in tuorum esse amicorum numero, factum est, ut Bartholomæus Carulus, Medicus Luganensis, amicus meus me rogaverit, ut literis de te quærerem, an Galeni opera nuper edi-

deris, (a) quæ latina sint, quibusque accesserint quædam ejusdem non ita pridem latine redditæ: quæ, si sunt excusa, cuperet idem Medicus certior fieri, quanti omnia, dissolutis quaternionibus, veneant. Est item Augustinus Planta Causidicus, qui cognoscere vellet, quæ post I singrinii editionem *Singularium Intellectuum* (b) Zazii (nam quædam esse edita intellexit) non ante visa, excusa sint, quæ Zasius idem Constantiensis scripserit, & quanti, si modo quid est excusum, ea sint venalia? His, si me amas, satisfacias velim; quanvis sciam multò graviora esse, quæ cures, quibusque operam des. Id autem præstiteris, si eo quo soles ordine, ea omnia, quæ illi cognoscere cupiunt, ad me scripseris. Vale. Lugani, Idib. Novembr. MDLVII.

(a) Nihil adhuc ex Galeno ab Oporino impressum eo tempore, agnovit Michael Maittaire, ut ex hujus *Annal. Typogr.*

(b) Quæ eidem Maittaire ignota, qui tantummodo memorat Zafii opus de *Verborum obli- gatione*, Basileæ apud I singrinium, 1540. V. ejusd. *Annal.*

## E P I S T O L A XIV.

CÆSAR CASTOREUS (a) FRANCISCO CASTOREO  
FILIO SUO S. P. D.

*ARGUM. Improborum ut vitet consuetudinem monet, utque in latinis conscribendis litteris diligenterem operam adhibeat.*

**R**ESPONDEBO quidem tuis literis, verūm illarum longitudinem non imitabor. Non enim tibi ad omnia rescribam; quæ petis, sed ea tan- tum attingam, quæ te scire summopere cupio. Quod Juris prudentiam dignis laudibus efferas, id mihi sane quam gratum est; non enim fieri potest, quin eam admireris, in eaque multum proficere studeas, quam tantopere laudes. Quare fit, ut non dubitem, quin spem, quam de te adhuc puero concepi, vincas, & in eum virum evadas, ut majo- ribus tuis dignus censemur; verūm unum illud te admoneo, quod te in primis vitare cuperem, ne quid te ad virtutem alacriter properan- tem remoretur, & felices progressus tuos retardet; cave te des in eo- rum familiaritatem, quos malis moribus imbutos esse videris. Quan- doquidem non te latet, quantum bonis moribus officiat malorum com- mercium. Quod si, ut aliquando accedit, te in eos delapsum es sic sen- seris, fugias velim eos non aliter, quam anguem

*Attollentem iras, & cœrula colla tumentem, (b)*

quem

(a) Italica ad hunc Cicerei Epistola est in Cod. Belgiojof.

(b) *Aeneid.* 2.

quem imprudens pedibus pressisses. Nam si canes in rabiem versos, & angues fugimus, qui corporibus nostris nocere possunt, quanto magis pravorum hominum consuetudinem vitabimus, quæ animos nostros peste sævissima perdere consuevit? Atque hæc eò non dico, quod de tuis moribus, aut de tuo in literas animo dubitem, sed certe ut intelligas, quām sollicitus sim de tuis studiis. Cæterum quædam legi in tuis literis, quibus non satis commode digrederis, quæ tamen ideo tibi vitio dare nolò, quod illa raptim scripseris, nec ad incudem revocaveris. Sed tamen cura, ut posthac in illis scribendis sis diligenter. Tu vale, & literas toto animo complectere. Nos omnes bene habémus. III. Nonas Decembbris MDXLVII. Lugani. Hæc me dictante Cicerinus scriptit.

## EPISTOLA XV. (a)

HIERONYMUS CASTOREUS ANTONIO CASTOREO  
FILIO SUO S. P. D.

*ARGUM. Postremas ad eum litteras proprio Marte se conscripsisse afferit. Erratorum, quibus Antonius in scribendo defecerat, excusationem admittit.*

Nisi me negotia impeditissent, tuis statim literis respondissem; sed quid attinet hoc dicere, cum tarditatis me accusare nec soleas, nec debeas? Meas literas tibi gratas fuisse non miror; illud quiderñ miror, quod literas meas aliunde, quam a me profectas esse arbitreris, nec id unde colligas, video. Nam, quod præter institutum meum latine scripserim, & id non negligenter fecerim, scias velim, me nec oleum, nec operam, ut ajunt, perdidisse, quandiu puer operam dedi Magistris, & in ludis literariis sum versatus. Quanquam Magistri, quos mihi audire contigit, non erant Comitibus, aut Lupanis tuis comprandi, tanq; namque eruditione istis inferiores, quantò muscis elephantes sunt magnitudine superiores. Quare, mi Antoni, nescio, unde illud tibi in mentem venerit. Sed ad cætera venio. Excusationem tuam, qua uteris, dum errores quosdam tuos incuria commissos esse dicis, libenter accipio; sed hac lege, ut meinineris, te in scribendo diligenterem, quam in quavis alia re, esse oportere. Sed cum videam, quo

(a) Jussu Hieronymi Castorei Cicereius scriptit, ut in Codice.

animo meis monitis auscultes, præceptis pareas, non est quod de te dubitem, quodque de te mihi non promittam. Cæterum scias te mihi valde gratificaturum, si sèpius curaveris, ut tua ad nos scripta perferantur. Vale, nam ego, & Mater tua bene valemus. Lugani, Idib. Decembris MDXLVII.

## E P I S T O L A XVI.

FRANCISCUS CICEREIUS M. ANTONIO MAJORAGIO  
S. P. D. (a)

*ARGUM. Nonnulla de Oporino nunciat.*

CUM eruditissimas literas tuas accepissem, ad Oporinum nostrum scripsi, illarumque exemplum meis literis adjunxi, ut inde colligeret, quæ tua est humanitas, se a te singulari quadam benevolentia jam complexum, & in amicorum tuorum numerum receptum esse, adeo ut sibi opera nova quædam tua typis describenda pollicearis, quod certe factum est; nam paucis post diebus mihi literas misit, quibus testatur, se plurimi facere, quod se amare cœperis, quodque sibi doctissimas lucubrationes tuas spondeas. Sed hæc melius apparebunt, si ejus verba attulero, cum præfertim ita ad me scribat, ac si ad te quoque eadem scriberet. Ea autem sunt hujusmodi. (b)

Accepi Majoragii *Orationes*, quas misisti, & perplacent illæ nobis, quod elegantes cum primis sunt, & prudentiam viri doctissimi haud quaquam vulgarem testantur; quod vero etiam amicitiæ quædam velut jemina apud illum nobis sparsisti jam: unde ita bene jam ille de nobis sentire incipit, ut etiam suum vocare me, & suas lucubrationes, quas adhuc sub incude habet, polliceri nobis dignetur, id vero tantum est erga nos officium, ut agnosceret vix satis pro magnitudine, referre vero haud unquam me posse sperem. Itaque oro, quam mihi conciliare apud eruditissimum pariter, atque humanissimum virum amicitiam cœpisti, in posterum firmare pergas, atque, ut me sibi quam commendissimum habere dignetur, impetreret. Cæterum, cum cupiam omnia colligere, quæ Majoragius hactenus edidit, catalogum eorum omnium habere cuperem, quo colligi facilius possent. Forte enim aliquando uno

(a) Majoragii ad hanc responsio apud Gudium pag. 126., Mediolani, prid. Non. Junii 1548.

(b) Quæ impressa vide apud Gudium, pag. 164.

*volumine omnia simul habere & uile, & gratum studiosis foret. Cer-  
te, quacumque in re ego illi gratificari operâ nostrâ potero, dabo ope-  
ram, ut intelligat, se a nobis amari haud vulgariter. Salutabis eum  
meo nomine quam potes officiosissime.*

Hactenus Oporinus noster; quare vides doctissime Majoragi, qui sit illius in te animus, quantoque teneatur desiderio, ut tuæ lucubrations, ut vere doctæ, ita æternitatem merentes, pulcherrimis typis omnes uno volumine concludantur, utque diligenter excusæ doctissimis viris communicentur. Quare licet pluribus mihi non utendum existimem, quod illum tibi satis commendatum esse, exploratum habeam, illud tamen non prætermittam, ut qualis, & quantus sit noster Oporinus, penitus cognoscas. Hic ille est, quem summopere amat, & ornat Alciatus tuus, quem tu primus omnium magnum meritò appellare voluisti; hic, inquam, ille est, cui Nicolaus Gerbelius, M. Antonius Antimachus (a) & Arnoldus Arlenius Peraxylus, multique alii viri, eruditioне insignes, plurimum tribuunt. In iis sum longior, ut intelligas egregios libros tuos non minoris eruditionis, ac doctrinæ mereri descriptorem. Sed, ut Oporinus facilius institutum suum exequi possit, a te illud impetratum vellem, nempe ut, dum nobis est opportunitas Tabellarii, cui quidvis tutò committere possumus, mihi nunciares, an præter hæc, quæ statim adscribemus, quidquam edideris. Sic enim Oporino facile erit omnia opera tua colligere, ut ea in promptu habeat, quæ postea cum iis, quæ tu illi dederis, conjungat, & librorum tuorum omnium pulcherrimum quoddam corpus conficiat. Hæc ed a me scribi existima, quod honori, gloriæque tuæ libenter, ac merito, utcumque possum, faveam. Vale. Lugani, iv. Kal. Januarii MDXLVII.

M. Antonii Majoragii opera.

*Oratio habita in Nuptiis Præsidis Mediol. Oratio in Aleatores:  
Decisiones in Cœlum Calcagninum xxv. Antiparadoxon lib. sex.  
Oratio de nominis mutatione. Apologia in M. Nizolium.*

(a) Mantuanus, de quo Morerius Diß. Hisler.

## LIBER SEXTUS.

## EPISTOLA I.

FRANCISCO CASTOREO S. P. D.

**ARGUM.** *De Castorei ineptiis queritur, libros accepisse significat.*

**O**CTAVO Kal. Januarii tuæ mihi literæ sunt redditæ, quas tantum non proscidi ac abjeci: adeo ineptiis illis tuis erant plenæ. Moverunt, mihi crede, bilem, cum nihil haberent, quod ab æquali, ac vere amico proficiisci videretur, nec injuriâ; cum enim arbitrarer, mihi rem esse cum amico, video me plane deceptum esse, propterea quod me extra omne decorum illudas: unde tibi in mentem venit, ut in me eo pacto joceris? Est ne hoc jocandi genus liberale, ac homine ingenuo dignum? Evidem, nisi ætatis tuæ rationem haberem, quod sciam adulescentes raro sese continere intra eos fines;

*Quos ultra citraque nequit consistere rectum, (a)*  
 alia ad manus haberem, quæ tibi significarem: sed hæc omnia silen-  
 tio dicare in animo est, cum quidquid pecces, eâ, quam attuli,  
 ratione admonitus tibi condonem; sed hac tamen lege, ne posthac  
 unquam tale genus literarum ad me mittas. Ego enim remoto omni  
 fuso, animo prorsus candido ac amico tibi ea scripsi, quæ Pater  
 tuus voluit. Tu pro illis quæ reddidisti? Num illa sapiunt amicum?  
 Num æqualem? Num scholasticam disciplinam? Memineris, inquam,  
 amice, cum qui animum suum gravissimis legibus adjunixerit, leveis  
 illos, & pueriles jocos exuere oportere. Sed hæc nec serio, nec  
 omnino joco tibi scribimus. Tu ea in eam, quam voles, partem ac-  
 cipies. Ego tibi amicus esse non desinam. Quod ad libros Germanicos  
 attinet, scias, me eos omnes libros, quos cupiebam, ab Opo-  
 rino accepisse: Aristotelem scilicet, Plinium, Lycophronem, Isaicum,  
 Joannem Zezem, Plutarchum, aliquotque alios, quos ideo tibi non  
 commemoro, quod non sum satis otiosus. Omnes Luganenses mihi,  
 si lubet, salutabis. Tu vale. Lugani, pridie Nonas Januar. MDXLVIII.

(a) Horat. Sermon. Satyra 2.

## EPISTOLA II.

## PRIMO COMITI S. P. D.

**ARGUM.** *Pro docendi obuinenda provincia, commendari se Novocomensibus petit.*

Cum aliquot ab hinc annos isthuc ad capiendum animi cultum me contulisset, re ipsa verum esse expertus sum, quod de te ex amicorum sermone intellexeram, te scilicet eum esse, qui studeres cum de omnibus bene mereri, tum certe de iis, qui discendi cupidi viderentur. Cum primum enim te adivi, & institutum te meum edocui, tanto mihi beneficiandi desiderio teneri coepisti, ut nullum tempus praetermitteres, quo mihi, meaque eruditioni consulere non cogitares; adeo ut quidquid eruditionis mihi comparavi, id omne, quantulumcumque est, per te mihi paraverim. Quare ex quo tempore morbo gravi corruptus huc rediit, semper cogitavi, quonam pacto me tua erga me benevolentiae memorem esse tibi ostenderem. Verum cum nullam ha-  
stenus occasionem, quare hoc præstare possem, invenire potuerim, tentandum existimavi, an accepto insigni nuper a te beneficio, tuorum veterum reliquorum erga me meritorum non deletam esse memoriam tibi significare possem, quousque, approbantibus Superis, mei erga te animi declarandi occasionem aliquod tempus offerret. Quod autem sit illud beneficium, modò ne graveris longiorem habere epistolam, exponam. Cum mihi nunciatum esset, Novocomenses viros aliquot nobiles aliquem querere, quem suorum liberorum eruditioni præficerent, ausus sum per amicos quosdam meos operam illis meam polliceri, qua illi re intellecta amicis meis responderunt, se oblatum nequaquam spernere, se tamen nihil facturos, quod tibi non probaretur, quem brevi ad se venturum expectarent. Hoc ego nuncio accepto sperare coepi fore, ut tui gratia voti compos fierem, utque mihi in Patria quam carissima docendi munus injungeretur: cum jam antea exploratum mihi fuisset, quonam modo erga me afficeris, quaque essem erga studiosos omnes voluntate. Nam, et si ea omnino, quam illi forte requirunt, in me non est facultas: daturum tamen me sciant operam, modò me suum esse velint, ut labore, studio, & diligentia sibi satisfactum esse intelligent. Quæ ed tibi scribo, vir optime, ut intelligas, me tua indigere opera: scio namque quan-

tum tibi merito tribuant Novocomenses, quantumque mihi tua sit profutura commendatio. Quare velim, ut, quum Comum veneris, & de te viri illi nobiles, quid de me sentias quæsierint, quidquam dicas, ex quo illi me, meamque tibi eruditionem probari sentiant. Hoc illud est beneficium, quod cum cæteris erga me tuis meritis conjungere debes, ut eundem tuum nunc quoque erga me animum, qui olim fuit, experiar. Illud enim tibi de me polliceri habeo, si res successerit, nequamquam commissurum, ut aut te, aut Novocomenses illos hanc mihi provinciam demandasse uoquam pœniteat. M. Antonium Majoragium, & Antonium Comitem fratrem tuum mihi salutabis. Vale, meque tibi commendatum habe. Lugani, xvii. Kal. Febr. MDXLVIII.

## E P I S T O L A III.

JOANNI OPORINO TYPOGRAPHO BASILEENSI S. P. D.

*ARGUM. Oporini beneficia extollit, sua deprimit. De benevolentia Majoragii erga ipsum certiorem facit, hujusc operum elenchem mittit, missurus & alium Benedicti Jovii, simul ac habeat. De acceptis nunciatur libris, nonnulla denique de Aristotelis editione scire exoptat.*

**A**D x. Kal. Januarii tuæ mihi redditæ sunt literæ, humanitatis quidem, & benevolentiae plenæ. Nam quod minuta illa, ac levia, quæ a nobis tibi missa sunt, tam tibi grata fuerint, fecit illud tuus non vulgaris in nos amor; ea namque ad te ed dedimus, ut tibi persuaderes, nos multò majora, modò haberemus, datus esse; nec enim illa ea sunt, ut tuis maximis, iisque pulcherrimis muneribus comparari possint. Nam tanta sunt tua erga me merita, ut quanvis tecum officiis certare coner, tibique par esse cupiam, inferior esse cogar. Quod autem ad Majoraglii erga te amorem attinet, scias illum in dies majorem fieri, idque te propediem re ipsa experturum. Nam ad me nuper literas dedit, quibus se in sententia persistare scribit, ut brevi quædam nova doctis viris per te communicet; imo tibi gratias agit, qui sibi operam tuam policearis. Quid? quod forte etiam omnia, quæ hactenus edidit, emendata idem fideliter ad te mittet, quæ omnia tu ipse colligere poteris ex ejus literis, exemplo, quod fideliter descriptum huic messe epistolæ junxi; ex eo habebis & illius librorum jam emissorum catalogum, quem, cum ab eo per proximas literas petiissim, singulari quadam

verecondia subfusus, miro quodam artificio, se illum nobis confidere velle dissimulat. Videbis illum nihil, præterquam quod & tibi innuit, edidisse. Siquidem & *Antiparadoxwn* libros sex, & *Decisiones xxv.* te isthic habere, mihi innuere visus es, cum aliquando mihi scripseris, te Majoragii quædam a Gryphio impressa legisse. Gryphius vero nihil aliud descripsit ex Majoragio, quam duos illos libros. Eos, si tamen tibi non esse intellexero, libenter statim ad te mittam. Quod ad *Apologiz* titulum attinet, scias velim illi exteriorem titulum, Impressoris vicio deesse; sic enim est edita, solent enim Itali sere *Typographi*, plus quam par est, curare, ne chartæ fiat dispendium, cum alioqui sint adeo negligentes, ut nihil supra. Hactenus de Majoragii operibus, quæ si, ut te facere constituisse scribis, typis tuis elegantissimis omnia simul collecta, atque in unum corpus redacta excuderis, (a) rem merito Hercule cùm ipsi Authori, tum studiosis plurimis sane gratissimam feceris. Quod vero de Benedicti Jovii libellis scribis, utinam illud, ita, ut scribis, fieri posse, ut & reliquos ab eo impetrarem. Nam aliquot abhinc annos ex humanis excessit, quare factum est, ut, quæ jam scriperit, dispersa sint, & rara inventu. Spero tamen me nocturum xii. ejus *Fonc* carmine descriptos, & id intra menses duos; nam est, qui mihi illos promiserit, quibus adjungam quædam etiam nunquam impressa (b) Bernardi Gentilis, Julii Camilli, Fracastorii, & aliorum quorundam, quæ si essent prolixiora, tibi libentius mitterem. Hæc quantulacumque sunt, cum primum descripsero, per opportunum Tabellarium ad te dabo. Accepi Plutarchi Vitas, & Bucolica diversorum, & Petri Mosellani Annotationes in Gellium, quæ omnia mihi summopere placent; magis tamen placerent, si libere, ut debebas, Bucolicorum, & Annotationum pretium adscripisses; quod si non videbatur facendum pro Annotationibus, quod nullo pretio adduci potuisses, ut ex tua Bibliotheca illas rescinderes, saltem facere illud debebas in Bucolicis. Quare velim cures, ut sciām quanti illa vendere soleas. Dedi ad te pro Vitis Plutarchi florenum unum, hoc est ases lxxv., quem, cum a Lucelmanno acceperis, me admonere non gravaberis. Eidem etiam reddidi florenos tres, & ases lv., quos ille, quæ ejus est humanitas, meo nomine tibi dederat pro Plinio, & Aristotele. Sed quoniam in mentionem incidi Aristotelis, tria vellem edoceri per literas tuas, quæ

(a) Hæc simul collecta Majoragii opera nequaquam prælo commisit Oporinus, sed aliqua tantum separatim ejus opera, quæ vide apud Argelatum.

(b) Nihil Jovii, nec aliorum, quos paulò post nominat Cicereius sua in epistola, quod ego sciām, typis tradidit Oporinus.

ad eam Aristotelis editionem attinent. Primum enim nescio, quare factum sit, ut nusquam Impressoris nomen adscriptum sit, nam non aequaliter heri natus sum, quod mea quidem sententia in tam praelato opere commissum vix tolerabile videtur; deinde num aliquid desideretur post tertium ternionem, quod in extremo habeat hanc dictiois partem *Aristo.*, qua notatur (sic enim fieri solet) principium sequentis paginæ, & tamen sequentis paginæ principium, quod in quarto est ternione, habet *Liber*. Postremus quare libri fere omnes primi tomii non ab iis latini sint facti, a quibus latine redditi in suo ipsorum catalogo leguntur. Nam περὶ ἐρμηνίαν (a) in catalogo sunt latini, Severino Boethio interprete, idem suo loco statim post titulum Joannem Argyropylum habent interpretem. *Resolutiorum priorum* libri in catalogo ab eodem Boethio latinitate donati sunt, suo tamen loco idem nullum adscriptum habent interpretem. *Topicorum* vero libri in catalogo ab Antonio Demochare versi sunt, cum tamen post eorum titulum nullius nomen legatur, qui traduxerit. Idem commissum est in *Elenchis*, quorum interpretatio Gynaec in catalogo adscribitur, cum tamen ipsis libris nullius nomen interpretis sit præfixum. Hæc, quanvis levia sint, tamen futurum spero, te pro singulari in me benevolentia per literas edocetur. Ego, mi Oporine humanissime, eo erga te sum animo, ut nullum tempus, quandiu vivam, sit futurum, quo tibi gratificari non cupiam. Vale, ac me ut facis, ama. Lugani, xii. Kal. Febr. MDXLVIII.

(e) De interpretatione.

## E P I S T O L A IV.

### M. ANTONIO MAJORAGIO (a) S. P. D.

**ARGUM.** *Moleste tulerat Majoragius, quod de operibus suis in unum colligendis consilium ceperat Oporinus. Id porro nec sua causa factum esse, nec esse ceteroquin, quod de eo doleat Majoragius, persuadere eidem contendit. Tum quidpiam de docendi, ad quod adspirat, officio.*

**A**D xix. Kal. Feb. tuæ mihi redditæ sunt literæ; postridie ejus diei ad Oporinum nostrum scripsi, illique ea, quæ tu volebas, & quæ ipse cupiebat, significavi. Quod tibi molestum esse scribis, quod Oporinus, mea

(e) Responso hæc est ad eam Majoragii apud Godium, pag. 226.

mea cohortatione opera tua jam edita colligere, atque in unum corpus redigere quærerit, scias velim nihil tale mea culpa commissum esse, siquidem tuarum lucubrationum eruditio, ac diligentia illud fecit, non ego. Res enim sic gesta est. Nam cum Oporino præbuisset tuorum operum degustationem quandam, rogavit ille me, ut, si qua alia ex te haberem, ad se mitterem, quod feci; neque enim æquum esse videbatur, amico homini tam erudito, tamque de me benemerito quicquam præsertim honestum non concedere. Legit ille quæcumque misi, & vehementer, quod fecit meritò, comprobavit; adeo ut in animum induxit suum vir magni judicii, operæ precium fore, si omnia simul diligenter excusa doctis communicentur hominibus; quod cum ita sit, dic quæso, doctiss. Majoragi, num ego ad illud faciendum Oporinum impuli? Ego tuam urbanitatem, ingenuamque modestiam, ac verecundiam, a quibus in omnibus rebus tuis ne latum quidem, ut ajunt, culmum recedis, agnosco, atque hoc facile patior. Verum fac Oporinum illud cohortatione mea facere constituisse. Num iccirco viderer tibi rem minime gratam fecisse? Primum enim quæ jam edita sunt, tollere ac abovere non potes; deinde tibi, credo, pro prudentia tua magis cordi est, ut libri tui typis variis carptim excusi legantur, quam ut una, eademque impressione pulcherrima omnes simul conjuncti, atque in unum corpus redacti meritò vivant, vigeant, ac placeant, relegantur, laudentur, ac amentur. At, inquieris, rudes sunt plerique, & imperfecti, quare illos denuo edi nollem: tu id forte dicas, non alii. Nam ii omnes, quos ego legisse sciam, illos vehementer laudaverunt, & probaverunt. Quanquam tu illis pro tuo arbitrio aut aliquid addere, aut adimere, aut certe immutare potes. Imo quanvis illos penitus abolere tibi fuisset integrum, quum misi, tamen moleste ferre non deberes edi ea, quæ tu vel in ipso adolescentiæ fervore scriperis, cum scias idem olim factitatum fuisse, cum ab Oratoribus, tum etiam a Poetis præstantissimis. Nam Cicero, quem tu semper admiraris, *Inventionem Rhetoricam*, (a) & quædam alia adolescens edidit. Virgilius *Culicem*, (1) & alia nonnulla, quæ adolescens scriperat, edi facile passus est. Idem fecit Ovidius, cuius etiamnum pueri, quædam extant (2), quæ adhuc summa cum illius ingenii admiratione leguntur. Eos ego te hac in re non libenter sequi velle credam, quos tam pulchre eruditione refers, & doctrina? Quapropter illud tibi persuadeas velim, me quidvis potius facturum esse, quam quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam. Quod certe facere debeo pro tua erga me benevolentia,

(a) Adserit idipsum Albertus Fabricius *Biblioth. Lat. tom. 2.*

quam tanti facio, ut illa nihil carius mihi esse existimem. Literas eas, quas cum his conjunctas acceperis, reddas velim viro maxime insigni, Primo Comiti nostro: cui precor me, meamque causam diligenter commendes. Hæc enim ea est, ut jam edocearis. Docendi munus Comi in patria quam carissima injungi mihi maxime cuperem, cum quia non satis commode hic sum, tum quod illic ii mihi discipuli traderentur instituendi, qui mihi ingenium & exercent, & non parum acuerent. Novocomenses vero institutoris eligendi provinciam hoc tempore Primo demandarunt: quare, si ille nos adjuverit, de nobis alioqui benemeritissimus,

*Decideret in casséis præda petita meos. (a)*

Illud autem sedulè fecerit, si ad ejus in me animum tua non levis accesserit commendatio. Vale, meque, ut facis, ama. x. Kal. Feb. MDXLVIII. Lugani.

(a) Ovid. de Arte amandi 2.

(1) Culicem adolescentis fuisse Virgilii foetum Papinius innuit in epistola ad Stellam, itemque Martialis, (a) quamvis Josephus Scaliger poema illud a Virgilio in senili ætate conditum fuisse ceteroquin existimet.

(2) Quæ primò carmina ludere cœpit juvenis adhuc Ovidius, fuere libri 2. Heroidum epistolarum, itemque epistolæ illæ, quas ad Tiberii filiam sub falso nomine Corinnæ inscriptas dedit. Ita in Ovidii vita ex Codice Farnesiano in lucem deprompta, quæ in Amstelodamensi Ovidii editione anni 1683 eidem præmissa est, itemque apud alios Ovidianæ vitæ descriptores.

(a) Lib. 8. Epigr. 54.

## E P I S T O L A V.

### SACRO FRANCISCO CHARRONÆ S. P. D.

**ARGUM.** *Quantum mercedis pro institutione pueri sibi dari sufficiat, prodit.*

**C**UM nudius tertius huc ad mercatum te contulisses, tot, ac tantis negotiis impediens, ut unum, atque alterum amicum tuum tribus, quod ajunt, verbis salutare tibi non liceret. Quare fit, ut ego nulla detinear admiratione, quod post primam collocutionem nusquam apparueris: ea enim egeramus de puerō illo (nomen enim adhuc non didi) tibi necessitudine conjuncto, in contubernium nostrum admittendo. De quo, cum inter nos nondum convenisset, quæsivi te postea per totum oppidum, quoisque mihi nunciatum fuit, te oram soluisse.

Quod igitur occupationes tuæ nobis sustulerunt præsentibus, id reddat epistola absentibus; nam hoc illud est, quod ad eam rem te scire velim. Ego, mi Carrona, si lucri caussa illum mihi habendum contubernalem esse decrevissem, non modò scutatos xx., sed etiam multò plures mihi dari petiissem, memor & annonæ caritatis, & aliorum quorundam incommodorum. Sed quoniam illud semper mihi in optatis fuit, ut, quacumque in re possem, tibi gratificarer, & semper aenter cupivi nancisci aliquem, cuius ingenium in excolendo me quoque multum exercerem, nullam fere mei commodi, quod ad salarium attinet, rationem habendam constitui. Quare Patri nunciabis, me puerum non pluris, quam xix. scutatis in singulos annos admissurum, curaturumque diligenter esse, ut ille eruditioñis suæ profectum sentiat non contemnendum. Vale.

## E P I S T O L A VI.

FRANCISCO CASTOREO S. P. D.

*ARGUM. Ad litterarum, quod intermisserat, officium iterum resumendum excitat.*

**N**ONIS Januariis tibi literas misi, quibus respondebam quibusdam tuis, earum damnans levitatem, quod nihil mihi scripsisses, quod scriptu dignum videretur; illis meis etiam illud petebam, ne in posterum tale genus litterarum mitteres. Verum, ex quo tempore illas accepisti, nata te accepisse certò scio, nihil unquam ad me scribere voluisti: ea credo ratione, quod, cum nonnisi levia mihi literis nunciare decrevisses, illa seponenda tibi esse iniquo animo patereris. Nec immeritd questus sum: quis enim boni consoluisset tam levem epistolam, si Ticino missam cognovisset? nam, si tibi defuissent gravia, quibus epistolam implevisse, esset quod te excusaret, cum quidquid tibi in buccam venisset, stylo reposuisses, nemo mehercule tam leveis literas non vituperasset, cum isthic quotidie de maximis quibusque rebus agatur. Habes igitur me quæcumque scripsi, meritò scripsisse; quare tuum erit posthac intermissam scribendi consuetudinem resumere, & sèpius nobis aliquid nunciare, quod a gravissimarum legum studioſo scribi mereatur. Quod si facere volueris, rem cùm mihi, tūm Patri tuo grauissimam feceris; ille enim se hoc cupere non ita pridem mihi significavit. Hoc autem comode facere poteris, nec erit gravioribus studiis tuis impedimento: solent enim ii, qui gravissimis cogitationibus detinentur, ad Musas se interdum referre mansuetiores. Vale, Lugani, Kal. Martii MDXLVIII.

## EPISTOLA VII.

EUSTACHIO FROSCHOVERO (a) S. P. D.

ARGUM. *Libros petit.*

**V**IDI nuper Bibliorum opus, (1) quod abhinc annos ix. ex vestra cusum officina prodiit, & vehementer mihi placuit, cum non minus diligenter, quam eleganter sit impressum; illud autem, cum & ego nancisci cupiam, faciendum existimavi, ut ad te scriberem, rogaremque, ut il- lud diligenter consutum, tabulis, & corio porcino candido, aut flavo rectum, fibulis duabus astrictum, more denique Germanico concinnatum, huic amico meo ad me dares, accepto tamen ab eodem precio illo, quo tale opus vendere consuevisti. Cæterum mihi etiam mittas velim Henrici Bullingeri, (b) viri doctissimi libellum *de duabus Naturis in Christo*, consutum ne, an dissolutum, non magnopere curo. Hæc te mihi venditurum spero precio satis commodo; quod si evenererit, futurum est, ut in posterum majoris precii libros abs te petam. Vale, & rem literariam opera, atque diligentia tua, quod facis, ornare perge. Lugani, Kal. Martii MDXLVIII.

(1) Nempe Biblia Latina ex Hebræo Munsteri, Tiguri 1539. V. Maittaire *Annal. Typogr.*, & Jacobum Le Long. *Biblioth. Sacre*. Alius Bibliorum liber, quis per Theologos Tigurinos latine redditus, Tiguri per eundem Froschoverum prodiit in fol. 1545, extat in Bibliotheca Braydensi, in quo præstantiores quæque Bibliorum editiones quocumque idiomate habentur, variæque ibi tot sunt, ut 400 & amplius numerentur.

(a) *De quo Diction. Alemen. de Bâle, & aliij.* (b) *De quo Boelius Diction. Critic. Histor.*

## EPISTOLA VIII.

M. ANTONIO MAJORAGIO (a) S. P. D.

ARGUM. *Quod minus prudenter egerit, excusationem petit.* Majoragii libros laudat, quos impressos quamcito videre optat.

**C**UM superioribus diebus benevolorum quorundam cohortatione spem conceperem, ut si eruditio mea Primo Comiti, viro optimo probaretur Novocomenses viri aliquot nobilissimi liberos suos mihi erudiendos tradarent, quibusdam literis meis Primo me commendavi, commendavi etiam

(a) *Responsio Majoragii ad hanc, apud Gudium, pag. 127.*

me tibi, ut commendatio mea majus apud illum pondus habuisset. Neque tamen interim, esset ne prudentis viri, quod cum neutri vestrum de facie adhuc notus essem, aut tu Primo, aut Primus apud Novocomenseis me commendaret, pensi habui. Itaque video quām non prudens fuerim, & erubesco mehercule; te tamen etiam, atque etiam oro, ut illud ætati meæ condones, simulque recorderis M. Ciceronis tui, qui sic in *Catone Majore* (1) scribit: *Temeritas est videlicet florentis ætatis, prudenter senectutis*; quod quidem, quum tu feceris, illud Primo etiam persuadere non gravaberis. In hoc autem non ero longior; quid enim pluribus opus est, cum pro tuorum morum facilitate illud mihi facile sis concessurus? Ego vero brevi, si dabitur, vos invisam, nec committam, ut quibus animo innotuerim, iis de facie sim ignotus. Cupio, ita me Deus amet, illum videre diem, quo tui libri omnes simul eleganter impressi per Joannem Oporinum nostrum studiosis comunicentur hominibus. Quicquid enim ex te editum fuerit, tam gratum studiosis, & bonis spero fore; ut alacri plausu excipiatur, diu vigeat, &

. . . . ora per virorum

*Plus uno maneat perenne seculo.*

Neque hoc scribo temere. Nam si cujusquam docti nostræ ætatis libri æternitatem merentur, tui profecto illam merentur, qui aurei illius, non prisci, aut novi Romanorum seculi eloquentiam, atque eruditionem referunt; neque ego hæc pro meo erga te amore dico, sed quod bonorum virorum, qui bene de te sentire non desinunt, ea sit sententia. Vale, meque, ut facis, ama. Lugani, iv. Idus Mart. MDXLVIII.

(1) Tullii *Cato Major de Senectute* Codex in 8. eleganter scriptus extat in Bibliotheca S. Crucis in Hierusalem Romæ, nostræ Congregationis, signatusque ibi n. 347; quem scripsit Hippolyta Maria, Francisci I. Mediolani Ducis filia, Alphonsi II. utriusque Siciliæ Regis uxor; in ejusdem enim fine sic legitur: *Ego Hippolyta Maria Vicecomes Illmi Principis Francisci Sforzæ Ducis Mediolani exscripsi mea manu hunc libellum, sub tempus pueritiae meæ, & sub Baldo (a) praæceptore, anno a Natali Christiano MCCCCCLVIII. octavo Idus Julias.* Ac varias ibi tum in principio, tum in fine ad sui eruditionem aliorum notavit sententias: Laudatur hic Codex a Morigia. (b) Non tantum autem calligraphia, sed etiam doctrinæ, ac latinis litteris Hippolyta M. præstítit, cuius duas Orationes Argelatus (c) laudat in Ambrosiana extantes, harumque alterius, quam ipsa nempe Mantua habuit coram Pio II., vetustum aliud exemplum coevum servat D. Carolus ex Marchionibus Trivultiis.

(a) Baldus Martorellus Picentinus, de quo Saxius *Histor. Typograph.* pag. cl.

(b) *Della Nobilità di Milano* lib. 3. cap. 25.

(c) *Biblioth. Scriptor. Mediol.*

## EPISTOLA IX.

JOANNI OPORINO SUO S. P. D.

**ARGUM.** *Jovii opusculum missurum pollicetur, librorum catalogum sibi mitti postulans. Postremas litteras, quod delatas esse ignorat, iterum repetit.*

**T**ANDEM Benedicti Jovii **Fontes** xii. noctus sum, quos jam descrip-  
tos acceperisses, nisi, priusquam ad tuas manus pervenirent, quadam in  
illis loca restituere cogitarem. (1) Opus est tale, ut vel solum honeste  
posset in publicum emitti; continet enim, ut videbis brevi, xii. imo  
xiii. (2) Fontium graphicam descriptionem carmine exametro. Cum  
igitur quorundam Novocomensium opera loca aliquot in illis restituero,  
illas per opportunum Nuncium accipies. Qui mihi illos dedit descri-  
bendos, vir est nobilis, nec illiteratus. Quare petuit a me ut hoc sibi  
præmii daretur: nempe, ut eorum ferme omnium Philosophorum, &  
Historicorum non tam veterum, quam recentiorum ita vulgatorum, qui  
isthie sunt venales, catalogum mitteres. Hoc ego illi non veritus sum  
de te polliceri, quanvis non ignarus essem, quantis occupationibus de-  
tinearis. Tu, si me amas, quantum potes huic satisficeris; fortassis enim  
nobis opus erit ejus operâ ad majora, melioraque nobis comparanda,  
quam nobis in promptu habebit, si se se hoc tibi beneficio devinctum  
esse senserit. Cæterum scripsi tibi quasdam literas, adductus quorundam  
amicorum precibus: eas habueris ne, an non, ignoro. Quare subjun-  
gam statim earum exemplum, ut tribus saltē verbis ad ea, quæ illi  
quærunt, mihi rescriberes, ne putarent sibi minime satisfieri, quod ad  
te scribere noluerim. Postremd ita statutum habeas velim, mi Opori-  
ne, me nihil magis cupere, quām ut tibi gratificandi aliqua mihi of-  
feratur occasio. Hæc raptim. Vale, Lugani, xiv. Kal. Aprilis MDXLVIII.

(1) Hi Jovii **Fontes** una cum aliis ejusdem carminibus manu ipsamet Cicerei  
descripti servantur in Archivo Belgiojosoiano. In hoc autem Codice, cui titulus  
*Jovii Farrago*, annotatum præterea reliquit Cicereius, eam sibi ad describendum  
traditam ab Joanne Baptista Morosino, (en *vir nobilis, nec illiteratus* in hac Ci-  
cerei laudatus epistola) & collatione facta cum exemplo alio Hieronymi Camutii  
excripsisse. Fuit vero Joannes Baptista Morosinus Canonicus Luganensis ex Alioy-  
fio Tatti. (a)

(2) Cur ancipiti sensu posuerit XII., imo XIII. causam agnovi inspecto Codice

(a) *Annali di Como.*

apud Princip. Belgiojōsium, ex inscriptione nimirum ipsiusmet Carminis, quæ sic est: *De XII. Fontibus Comum ambientibus, & uno in urbe media, alteroque extra ordinem.* Sic vero incipit: *Fert animus veteres &c.*

## EPISTOLA X.

AUGUSTINO PLANTÆ S. P. D.

ARGUM. *Distichon emendat.*

**L**EGI tuum distichon; probabitur ejus secundus versiculus, si, ut te facturum dixeras, statim post cæsuram legas sydera. Nam si æthera reposueris, primum dis syllaba, quæ terminat dictionem præcedentem, corripietur; deinde celsū, non celsā dicere oportebit, cum æthera accusativus sit græcus singularis, a nominativo αἰ̄θηρ, (a) quæ si fient, versus nullo pacto constare poterit. Sed, ut conjicio, hoc carmen ad aliquam insignem picturam appendere instituisti. Quare, si lubet, id hæc forma Pictori præscribes:

Poplitibus flexi veneremur, Christe triumphans,  
Nomen, dum scandis sydera celsa, tuum.

(a) Ether.

## EPISTOLA XI.

JOANNI OPORINO TYPOGRAPHO S. P. D.

ARGUM. *De Majoragii in Oporinum studio, & observantia certiorem facit; cur Reprehensiones conscribere aggressus Majoragius fit, expavit.*

**C**UM non ita pridem aliquot a me epistolas acceperis, nec adhuc illis per occupationes respondere potueris, videbor fortassis importunus, si rursus te meis literis obtundam; verum scias velim id tua potius, quam mea fieri caussa, quanquam, quod tibi gratum est, idem etiam mihi gratum esse judicem. Non habebo igitur tuarum occupationum rationem, dum tibi gratificari cupio; nam ad tertium Nonas Aprilis Mediolani Majoragium conveni, eumque ex te salutavi, propterea quod, ut te jam cognovisse scio, optime de te sentire suis literis ille sæpe testatus est. Quare, cum apud illum essem, multa de te honorifice mecum locutus est. In summa illum tui studiosum esse plane perspexi. Quod autem ad ejus libros attinet, dixit se illis corrigendis incumbere

re, ut brevi tuis typis omnes simul excudantur; se tamen interim cupere, ut duos in Nizolium *Reprehensionum* libros (1) seorsim imprimeres, & ipsos publicares, idque Venetiis præsertim, & Mediolani, quod illuc Nizolius magis sit notus. Illos porro libros jam majori ex parte esse confectos, & modo velis, eos quod dixi mittere, te statim conscriptos accepturum. Cognovisti, quid ex te velit Majoragius; quare tuum erit quamprimum mihi ad hæc rescribere, ut quid tibi hac de re fieri placeat, ille, cuius iussu hæc ad te scripsi, per me fiat certior. Nunc, qua de causa Majoragius hos libros scribat, cognoscas velim. Marius Nizolius, qui se Ciceronianum esse profitetur, cum vidisset jam olim Majoragii dictioñem doctis probari non mediocriter, cœpit illi detrahere, quod etsi Majoragius cognovit, nihil tamen respondit, donec emissos *Antiparadoxon* libros Nizolius quadam epistola (a) carperit; tunc enī Majoragius *Apologiam* in illum scripsit brevem admodum, non tantum, ut Nizolii maledictis responderet, quām ut illum ad ea, quæ contra se dicere paraverat, dicenda excitaret; quod evenit. Nam Nizolius statim in Majoragium *Antopologiam* edidit. Hinc igitur factum est, ut Majoragius ad scribendum duos illos libros animum appulerit, in quibus, ut ille mihi dixit, multa contra Nizolium disputat, quæ literatis omnibus sperat fore gratissima: docet etiam plurimos ab eo errores, & in differendi ratione, & in Authoribus interpretandis, & in historiis, & in latino sermone in *Antapologia* fuisse commissos. Atque eo pacto Majoragius Nizolio responderet, ut magis eum derideat, & insanire doceat, quam ut ei maledicat, aut conviciis agit. Quod ed facit libentius, quod ad eam rem ab Egnatio, (2) viro sane quam erudito, sit hor-tatus. (3) Habes quare Majoragius hos duos libros scribat, quos solos (si nos amas) ubi diximus, publicabis, dum reliqui omnes emendantur, tuum propediem elegantissimum prælum subituri. Id si, ut spero, facere volueris, rem ipsi Majoragio gratissimam feceris: nullum enim huic dubium est, quin ex ea contentione literati omnes voluptatem non mediocrem, ipse gloriam, Nizolius ignominiam sit reportaturus. Quod Jovii *Fontes* nondum ad te mittam, in causa sunt negotia, quibus maxime impeditor; eos tamen, Diis approbantibus, propediem accipies. Vale, & me ama. Nonis Aprilis MDXLVIII. Lugani.

(a) Edita hæc est Nizolii epistola inter Gadianas, pag. 132.

(1) *Reprehensionum* contra Nizolium libri II. Mediolani sine Typographi nota editi anno 1549, extant in Bibliotheca nostra. De contentiōibus litterariis Majoragii cum Coelio Calcagnino primū, deinde cum Mario Nizolio diserte agit

agit Tiraboschius: (a) Has etiam memoraverat Cardanus, de quibus se existimare dixerat, eos omnes non tam contentionum causis egisse, quam vanitate quaedam, & spe augenda opinionis. (b)

(2) Gaudentius Merula de Clar. Famil., Cod. apud nos 136, sic, ubi de Egnatiis: *Egnatiorum familiam Joannes Baptista Egnatius nunc illustrat maxime, qui, cum sibi, & literarum, & morum candore parem habeat neminem, his omnibus se ipsum vincit, vir prosector, si tamen fas est optare, immortalitate dignissimus.* Paulò supra Inscriptionem exhibet in Templo S. Donnini ad Clavam Mediolani olin extantem, quæ sic est:

D. M.

RVTILIVS M. EGNATIO PAT. III.  
PANTONIA PRIMA CONIVGI MARITO  
CARISSIMO

Affertur, explicaturque eadem Inscriptio in Codice nostro 268, cui adnexa est Jacobi Valerii autographa annotatio. Legitur etiam apud Gruterum, (c) necnon apud Puccinellum, (d) quamvis hic, ubi ea existerit Inscriptio, neutiquam prodat. In Codice alio, n. 259, Inscriptio legitur affixa olim ante postes S. Martini Mediolanensis pagi.

CORISTVS EGNATII FRONTONIS, ET IVLIAE EVTYCHI  
LIBERTI FILIVS ANN. XVI. HIC ADQVIESCIT.

(3) *Hortari* passim usurpatum Tacito fuit, 12. Annal. 3. Memmum Polliolum.... inducunt sententiam expromere, qua hortatur Claudius Octuviam despondere Domitio.

(a) Tom. 7. *Letteras Ital.* parte 3.

(b) *De Libr. proprie. ad Nicolaum Siccum*, p. 135.

(c) *Inscript.* pag. 728.

(d) *Mem. antiche*, pag. 33.

## EPISTOLA XII. (a)

M. ANTONIO MAJORAGIO S. P. D.

**ARGUM.** *Scripsisse se ad Oporinum affirmat; oblatum sibi a Majoragio Mediolani contubernium, utque in studiis auxilio sit, quovis pacto se acceptare velle significat.*

**C**OMMODUM redieram domum, cum sumptis tabellis, & stylo ea quæ mihi mandavera, ad Oporinum nostrum scripsi. Eas autem literas quibusdam ad eum dedi, qui curabunt, ut brevi nobis rescribatur. Spero Oporinum tibi plane satisfacturum; tu igitur interim, quod institutum habes, perpolies. Nihil unquam carius, atque gratius mihi esse potuit, quam, ut & te a nobis observari plane perspiceres, & me a te non vulgariter amari cognoscerem. Credo factum Deorum immortalium beneficio, qui mortaleis scientiarum cognitione sibi persi-

(a) Respondet ad illam Majoragii apud Gudium, pag. 128. *Litteris suis.*

Z

mileis fieri cupiunt, ut tu (quæ tua est humanitas) me singulari quodam amore sis complexus. Noverant nanque Dii, quorum est casus humanos misereri, atque respicere, quanto impetu, quantoque desiderio ad animum excolendum, dum licebat, ferrer; sciebant etiam quām cruciarer animo, quodd per jam degustatas pulcherrimas ingenii arteis vagari non possem. Videbant denique quām sēpe in illud Alciati maximi non sine magno dolore prorumperem: (a)

*Ingenio poteram superas volitare per arceis,  
Me nisi paupertas invida deprimere.*

Non minori, mihi crede, cruciatu ego apud Superos, quam Tantalus apud inferos, afficiebar, quod paupertate circumseptus, divinarum humanarumque rerum sublimem cognitionem assequi non possem. Itaque quibus te laudibus efforam, vir præstantissime, qui tanquam Deus mihi opem ferre cogitas? qui me bonis artibus jam restituist? qui me ex immenso ignorantiae pelago eripere paras? Hoc tempore, quod possum, illud saltem Virgilii pro tuo isto in me animo de te dicam:

..... *Grates persolvere dignas* (b)

*Non opis est nostræ . . . .*

*Di tibi, si qua pios respectant numina, si quid*

*Uquam justitiæ est, & mens sibi conscia recti,*

*Praemia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt*

*Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?*

*In freta dum fluvii current, dum montibus umbrae*

*Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet;*

*Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.*

Sed hæc, & id genus alia tum erunt longiora, cùm te digna scribere posse videbor. Nunc interim ad ea, quæ restant, veniam. Tres tu mihi menseis ad deliberationem sumendam dediti: vellem ne apud te esse; ego vero tam diutina deliberatione hic minime opus esse arbitror. Tunc enim diu deliberandum est, quum dubitari potest, bonine plus, an mali afferre possit res conficienda: hinc ego nihil, quod mihi non sit utile, & maxime honestum, sperare debeo. Quare scias velim, me jam apud te esse constituisse, illudque omne tempus deliberationis in componendis interim rebus meis insumpturum. Veniam igitur solus ad Kal. Quintileis; nam Mater mea una cum Fratre meo habitabit. Illud autem tibi persuadeas velim, me tibi cura, atque diligentia satisfactum esse, eruditione non item, quanquam ea quoque sim conatus. De salario autem tuum erit constituere. Ego quanto volueris contentus

(a) *Emblem.* 122.

(b) *Aeneid.* 1.

ero, quanquam abunde magnum meorum laborum præmium me assecurum existimabo, si tecum vixeris, cuius in dies operâ doctior fieri potero. Heri Novocomensium literis sum accessitus, qui mihi provinciam multò quam putaram meliorem, & ut ita dicam, pinguiorem obtulerunt. Ego vero, ne viderer oblate spernere, dixi me cuidam viro nobili, & amico operam meam, quantulacumque est, istic spopondisse, atque detulisse, sed tamen non omnino, adeo ut mihi integrum esset adhuc eam alteri præstare; & hac de causa curaturum, ut quoad ejus facere possem, intra dies octo isthinc me per literas absolvèrem, ut apud illos essem. Quod tamen nequaquam faciam, modo ita tibi videatur. Imo pone illos Attalicis conditionibus mecum agere velle, nunquam tamen dimovear, quin tibi serviam. Quid enim mihi deesse poterit ad eruditionem feliciter comparandam, si apud Majoragium, hujus, ita me Deus amet, ætatis ornementum, esse potero? Te tamen etiam atque etiam oro, ut per hunc ipsum, qui tibi has literas reddiderit, quid fieri, atque curare velis nos admoneas. Nam quanvis hic aliquid nostro quodam arbitrio scripsierimus, illud tamen tibi de nobis persuadebis, nos nequaquam a voluntate tua dissensuros. Sed nolim esse longior, ne te gravioribus occupatum interpellam. Quare si unum illud addidero, finem scribendi faciam; illud autem unum hoc est, ut scilicet pro tui animi candore hæc, qualiacumque sunt, boni, quod soles, consulas, eaque olim futura meliora cogites. Vale, xvi. Kal. Maji MDXLVIII. Lugani.

## EPISTOLA XIII.

ANTONIO CASTOREO S. P. D.

ARGUM. *Ad litterarum studia adhortatur.*

QUANQUAM ita sim negotiis impeditus, ut vix, quod ajunt, aures scalpere possim; tamen, cum Pater tuus, vir optimus, ad te veniat, non possum facere, quin te his paucis alloquar. Sed video jam te anhelantem expectare, quid velim; quare id tribus verbis explicabo. Memineris instare tempus, quo tandem e scholis puerilibus, ut ita dicam, prodeas, atque inter doctiores verseris; ut tandem eod pervenias, quod & tu, & cæteri omnes cupitis. Horum frequens recordatio te in literis humanioribus interim alacriorem reddere debebunt, ut, cum advenierit tempus tibi præscriptum, aptior sis ad cultiores percipiendas di-

Z ij

sciplinas. Quod si feceris, nemo est te futurus beatior; tibi enim, tuisque omnibus plane satisfeceris, malivolis omnibus ilia (ut ait (a) Virgilius) ruperis. Vale.

(a) Ecloga 7.

## E P I S T O L A XIV.

### ALOYSIO RAIMUNDO (a) S. P. D.

**ARGUM.** Scribendi ad eum occasionem libenter captae; depravata quædam carmina restitui postulat.

**E**A vis virtuti insita est, ut vel inter ignotos; & locorum intervallis disjunctos amicitiam gignat. Hinc factum est, ut ego posteaquam ex multorum sermone cognovi te literarum studio summopere delectari, & maximis, pulcherrimisque virtutibus ornatum esse, te vehementer amaverim, semperque tibi familiaritate conjungi cupiverim. Ad hoc mihi opus esse videbatur, ut per literas saltem, si minus coram licuisset, tecum loquerer; quare magno tenebar desiderio, ut ea mihi id præstandi offerretur occasio, quæ me tibi excusaret, quod ignotus ignoto tibi scribere auderem. Quod tandem mihi Deorum immortalium beneficio successit; adeo ut ad te, non ad alium quempiam, nunc scribere necessariò fere cogar. Id autem, quare fiat, modò ne graveris legere, quæ statim adscribemus, intelliges. Superioribus diebus lepidum cum libellum noctus sum, quo Benedictus Jovius, vir ille nunquam satis laudatus, fonteis omneis Comum ambienteis graphice describit. Hunc ego eum transcriberem, & jam fere ad sexti fontis finem pervenisser, oblata sunt mihi hæc carmina non secus, ac tu vides, scripta:

*Pige simul aderas nostro celebrate Secundo*

*Pleiadon orta, cui flat cutis aspera clavis;*

*Trocta vorax & a quo (b)*

*Includi claustris rēniunt, longinqua petentes*

*Littera, & effuso gaudentes flumine Lari.*

Quorum secundum mutilum, depravatumque videtur redditum transcribentis vitio, tertium vero nescio, an ipse Author dimidiatum reliquerit; et si sensus perfectus esse videatur. In meo exemplari reliqua ejus car-

(a) Is forte Aloysius Raimundus Novocomensis, quem id ztatis fuisse ex Tatti intelligimus. Annals di Como Decade 3.

(b) Ex Codice apud P. Abbatem Masnagum sic versiculum suppleo: *Trocta vorax, & quo simus advena Persicus iplis.*

minis pars est abrasa, adeo ut quid illuc esset repositum, ne conjicere quidem possis. Illum ego libellum, cum cuperem habere integrum, ad quem potius, quam ad te pro horum duorum versuum restitutione confugerem nesciebam, qui, ut audio, ab ipso libelli Authore & amareris, & scriptorum particeps fieres. Rem igitur mihi quam gratissimam feceris, si aut tua, aut amicorum tuorum opera illa carmina ad authographum emaculaveris, memor interim me tibi perpetuo debitum. Vale, meque tui studiosum esse existima, III. Kal. Maji MDXLVIII. Lugani:

## EPISTOLA XV.

M. ANTONIO MAJORAGIO S. P. D.

**ARGUM:** *De responsione sibi nondum ab Oporino redditâ. Tum de finito animi proposito, ut in litterariis operibus Majoragio inserviat.*

**N**IHILO adhuc ad ea, quæ cupimus, nobis rescripsit Oporinus. Cum primum quicquam rescriperit, te de omnibus rebus faciam certiorem. Nunc tuis literis respondeo, quibus peramanter me admones. Ego, quemadmodum scribis, feci, & diutina consideratione in me descendit, vireis meas mensus sum, quæcumque mihi & coram, & per literas dixisti, ob oculos posui. Ea cum diu tecum tacitus perpendisse, manibus, pedibusque in tuam sententiam ivi, quod me facturum jam ab initio decreveram. Apud te igitur esse constitui, & magnos, duros, catenatosque labores firmo, libenti, atque hilari animo tolerare decrevi, & id quidem merito:

..... neque enim levia, aut ludicra petuntur

*Praemia. (a)*

Virtus ipsa per labores petitur, quæ solâ verum est laborum præmium, quam assecutus, bene beateque vivere potero. Interim quod tu ex Platone citas, sum recordatus ὁ πόνος ἐνχλεῖας πατήρ, (b) deinde illud mihi in mentem venit τῷ πονῷ ἀποκρίνεται τύχη, (c) postremo animo volvere cœpi hos versiculos, quos Virgilius ὑπὲρ τὸ οὐψιδῶν (d) commentus esse dicitur; (e)

*Quisquis enim duros casus, virtutis amore,*

*Vicerit, ille sibi laudemque, decusque parabit.*

(a) Eneid. I.

(b) Labor gloria parent.

(c) Labori respondet fortuna.

(d) Egregie.

(e) In Virgil. Carm. de Litteris et Pictoribus.

*At qui desidiam, luxumque sequetur inertem,  
Dum fugit oppositus incauta mente labores,  
Turpis, inopsque simul, miserabile transfiget ævum.*

Quorum omnium recordatione ita sum lætatus, ut mecum pessime actum iri judicavissim, si secus ac constitui deliberalsem. Quare quo tempore volueris, & minori incommodo meus tibi adventus esse poterit, ad te veniam; interim tamen ex te scire cuperem, quandiu hic me esse velis. Ego enim hos duos proxime futuros menses rebus meis comprehendens libenter darem, & illis compositis hinc oram solverem; attamen nihil quod tibi non probetur, faciam, iussus enim pro tuo arbitratu aut oxyus, aut serius veniam. Sed quoniam essem impudens, & importunus, si iterum literas abs te peterem, & nullam gravissimarum occupationum tuarum rationem haberem, tribus verbis, si tibi videbitur, mandata, quæ curari velis, huic, qui tibi has literas reddiderit, ad me dabis. Ei enim, qui mihi sit Patruus, quidvis tutò committere poteris. Vale hujus ætatis decus, & ornamentum. Pridie Nonas Maji MDXLVIII, Lugani.

## EPISTOLA XVI.

JOANNI OPORINO S. P. D.

*ARGUM. Responsum efflagitas; Jovii versus se missurum spondeo.*

**S**UPERIORIBUS diebus dedi ad te aliquot epistolas, quas te accepisse arbitror; ad eas autem nihil adhuc rescripsisti: quod ideo factum fuisse credo, quod majoribus, gravioribusque negotiis detinearis, quam quod nobis operam dare possis. Attamen te oratum velim, ut vel cum magno tuo incommodo ei saltem, quæ de duobus Majoragii libris scripta est, respondeas quam primum, ne sit quod Majoragius de me conqueratur, neve arbitretur se se a me ideo contemni, quod adhuc certior non fiat de iis, quæ tu mihi responderis. Ejus autem epistolæ exemplum ad te mitto, ut si forte illa tibi ante hoc tempus non est redditia, nunc redatur, atque mihi respondeas: est autem hujusmodi. *Cum non ita pridem aliquot a me epistolas &c.* Quod autem ad *Fontes* Jovii attinet, nihil aliud jam restat, nisi, ut duos eorum versus integros faciam opera cuiusdam Novocomensis non indocti, cuius literas pro eorum restitutione in dies expecto; illis acceptis statim ad te mittentur. Vale, Lugani, xv. Kal. Junii MDXLVIII.

## EPISTOLA XVII.

ALOYSIO RAIMUNDO S. P. D.

**ARGUM.** *Magnis laudibus Raimundum extollit, se autem immerentem ab eo laudatum afferit. De emendatis carminibus gratias agit, aliaque eidem emendanda pariter mittit.*

Quia te apud me commendarunt, ii te mehercule parcus, quam fuit æquum, laudaverunt, & tuarum virtutum bonam partem silentio involverunt. Ostendunt hoc tuæ literæ, quibus nihil mihi gratus, nihil jucundius, nihil denique carius esse potuit. Hæc, inquam, tuarum virtutum sunt indices, quia, quemadmodum nosti, verba ipsum cujusque animum nobis referunt, ac repræsentant. Ex illis enim videre est nihil utique in te desyderari, quod & libero, & ingenuo homine dignum esse judicetur. Nam quæ major esse potest humanitas, quam quodd mihi ignoto tanta cum benevolentia gratificari studeas? Profecto id est tanti apud me, ut pluris esse nequaquam possit. Video præterea in tuis literis ea fere, quæ oculis ipsis cernuntur, morum scilicet tuorum facilitatem, atque suavitatem quandam incredibilem. Video te eum esse, qui de omnibus benemereri studeas, qui nemini noceas, omnibus, quantum datur, prosis. Postremò planum est, quanta sit styli tui amoenitas, quantaque rerum scientia sis resertus, adeo ut non hujus nostri seculi, sed certe Romanorum illius florentissimi eloquentiam, & solidam eruditionem sapias. Quare fit, ut jure optimo isti patriæ nostræ gratuler, quæ te talem ac tantum protulerit virum, quæ te inter municipes suos habeat. Sed hic mihi contrahenda sunt vela, ne ulterius progrediar, neve forte in altum tuarum laudum pelagus delatus, quæ me tandem in portum recipiam, prorsus ignorem. Hæc igitur pauca nunc de tuis virtutibus, ut jam ad respondendum veniam, facis sit dixisse. De laudibus autem, quas tu mihi plena manu tribuis, quasque nec agnosco, nec postulo, nihil nisi quodd me amas, accipio. Amore enim adductus eum me esse existimasti, quem elegansissimis verbis tuis describis. Unde videre est non invenusto ænigmate Poetas Amorem ipsum oculis captum olim finxisse. Is nanque tibi de me judicaturo alias clare perspicienti, recteque judicanti tenebras, atque ῥηγ ἀποκιαν (a) ostudit. Verum scias tamen istas tuas laudes, quibus

(a) Confusionem.

me immerentem oneras, mihi non parum profuturas; nam, dum me immeritis effers laudibus, qualis esse debeam, candide doces. Tuarum namque laudum memoria, & frequens recordatio me p̄igre & tarde arduum iter illud virtutis aggressum excitabunt, & tanquam calcar alacrem, atque currentem reddent. Siquidem turpe mihi esset, ni tam boni, atque docti viri laudibus aliqua saltem ex parte aliquando responderem. Quod autem ad doctissimi Jovii carmina attinet, plane mihi satisfactum est; quamobrem tibi hoc quoque nomine perpetuō plurimum debebo. Non ero, ut vulgo fieri consuevit, in agendis gratiis verbosus, cum ego tibi vicissim gratificandi occasionem magno etiam sim empturus, ne dicam quæsturus. Sed quoniam nondum habeo pristinæ integritati omnino restitutum libellum *de Fontibus*, cupio iterum tuū uti operā, aliquotque loca, quæ mihi sunt suspecta, cum tuo authographo conferre: memor animi esse ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere. Subjiciam igitur, fine epistolæ imposito, versus illos, qui scriptoris vitio conspurcati esse videntur, præcedente tamen interim eas dictiones asterisco, quæ, quodd aut depravatae, aut inversæ appareant, nobis mendæ suspicionem injiciunt, quod ed fit, ut tandem omnibus erroribus absolutum, tui unius gratiâ pulcherissimum hunc libellum habeamus. Tibi autem, Raimunde humanissime, de me sic persuadeas velim, rem te mihi valde gratam facturum, si quacumque in re nos tibi gratificari posse existimaris, libere, & veleti jure tuo opera tu quoque uti nostra volueris. Vale, xiii. Kal. Junii MDXLVIII. Lugani.

*Silacis Carmen xxxiii.*

*Nunc \* ad te \* fons \* alme simul, & tua dona revertor.*

*Ejusdem Carmen xl.*

*Cui Mariana domus nomen dedit inclita \* gentem.*

*Ejusdem Carmen lii.*

*\* Quam \* lintris auram \* captabat vespere primo.*

*Ejusdem Carmen liiij.*

*\* Quos placido in stagno spaciantes vertere cl avum.*

*Novinæ Carm. ultimum.*

*Nympha vale ingeminans medio sermone \* recessi.*

*Fonticulæ Carm. xxvi. & xxvii.*

*Perpetuo, quæ fonte fluis, \* quam longa crepido,*

*\* Irrorans calidam larga scaturigine terram.*

## EPISTOLA XVIII.

AUGUSTINO PLANTÆ S. P. D.

**ARGUM.** *Dictionem quasi divinando agnovit; carmina subjicit.*

**A**BSQUE cribro, quod ajunt, divinavi (a) quasi eam esse dictionem, quam typus flocco, aut festuca impeditus exprimere in tuo exemplari non potuit, legitur enim sic in Frobeniano Codice meo: *quasi semper victurus occiderit.*

Foribus mei Musæ Lugani hæc erant adscripta sic:

Musis, quietique hic sacrum locum vides.

In me quod Musæ dulces, sacræque colantur,

Musæum (an nescis Hospes amice?) vocor.

Musis tenue Sacellum.

appictis tamen aliquot alveolis, qui hæc recipiebant; in exteriori vero pariete adfixa erant hæc carmina ad Virginis Matri imaginem:

Si mihi defuncto cælestis cesserit arceis

..... rector, omnipotensque Pater.

Ipse dabo sacris orans altaria flammis,

Magnaque persolvam debita vota Patri.

Cor erit oblatum, quo non præstantior ulla

Obsertur summo victimæ grata Deo.

Ergo fave votis Christi virguncula Mater,

Nanque potes, voces audiet ille tuas.

Quæ ed tibi scripsimus memoria, ut scias nos omnia nostra tibi commendari valde cupere. Vale.

(a) Proverbialis sententia, qua usi Lucianus in *Pseudomente*, & Theocritus *Idillio* 3.

## EPISTOLA XIX.

JOANNI OPORINO S. P. D.

**ARGUM.** *Idem, pro quo alias scripseras.*

**S**CRIPSI ad te jam binas literas de libris Majoragii nostri excudendis, & nullum adhuc accepi responsum; quod, ut opinor, accidit Tabellariorum inopia. Illud miratus Majoragius ipse cädem de re ad te lite-

A a

ras cum his conjunctas mittit; quibus lectis si statim Majoragio rescriperis, rem & mihi, & illi gratissimam feceris. Friccius noster bene vallet; Hieronymus, inquam, vir ille non minus animo, & eruditione insignitus, quam nobilis: & brevi ad vos redibit. *Fontes* Jovii accipies per Legatos vestros, qui brevi hic erunt. Vale. Lugani, III. Idus Junii M<sup>DCXLVIII</sup>. Idem tibi devinctissimus.

## E P I S T O L A XX. (a)

M. ANTONIO MAJORAGIO S. P. D.

**ARGUM.** *Mandata peregisse ait; tarditatem excusat responsi; compositis rebus se ad eum accessurum affirmat.*

**H**ODIE accepi tuas literas & ad me, & ad Oporinum missas. Quas ad me misisti & aperui, & legi; quas vero ad Oporinum nostrum dederas, cum quibusdam meis de te scriptis conjunxi, easque statim dedi Hieronymo Friccio nostro, qui cum suis colligatas erat in sequenti die illas Basileam ad Oporinum suum transmissurus. Quod Oporinus mihi adhuc non rescriperit, non est quod miseris; rescripsisset enim, si Nuncii copia fuisset. Imo illum jam unas, atque alteras literas adornavisse ad me arbitror, nec potuisse per satis aptum Nuncium mittere. Quod si ii, quibus literas commiseram, Basilea ad nos reversi fuissent, quemadmodum se facturos mihi polliciti fuerant, post acceptas literas jam unus, atque fere alter mensis exivisset; sed posteaquam, quos dixi, non redierunt, sperabam fore, ut ad VIII. Kal. Quintil. literas per Helvetiorum Legatos ab Oporino acciperem. Illud tibi in animum inducas, Majoragi doctissime, tibi me nunquam persuasurum fuisse, ut tuos libros per Oporinum ederes, nisi jam perspectum ipsius Oporini erga te animum habuisses. Legati ab Helvetiis VIII. aut X. dies Lugani commorabuntur; iidem vero discedent, foro habito: tunc Hieronymus Friccius noster decebat de provincia. Tu lectis Oporini ad te missis literis (nam statim acceptas ad te dabo) transmittendos libros, si commodius videbitur, ipsi Friccio tutò committere poteris, qui rectâ Basileam ad Oporinum proficietur. Quod vero scribis de meo ad te adventu, gratissimum fuit; compositis igitur rebus ad Kal. Quintil. ad te veniam, indoctus quidem præsertim literarum græcarum, sed sedulus, sed φιλόποιος. (b) Tu tamen, quæ tua est humanitas, me qualem-

(a) Respondebat ad illam Majoragii apud Gudium, pag. 228. Cum res tuas.

(b) Laboris amans.

cumque, ut spero, boni cōsules, & evehere eum cogitabis, qui te & amavit, & semper meritō plurimi fecit. Vale hujus ætatis ornamen-tum, & præcipuum decus, & Cicerino fave. Lugano, III. Idus Junii MDXLVIII.

## EPISTOLA XXI.

HIERONYMO FRICCIO S. P. D.

ARGUM. *Gratias agit.*

PATRUUS meus is, qui tui unius gratia Bartolum vicit, tibi gratias agit, non quantas vult, ac debet, sed quantas potest, & tibi gratiam referre cupit, tibi tamen semper debiturus. Quare te orat, ut sibi quidvis oneris imponas, quod tibi gratus esse possit. Hæc illius jussu tibi ideo scripsi, ne, si coram dicturus accessissim, tibi gravioribus ne-gociis impedito molestus forte fuisset. Vale.

## EPISTOLA XXII.

JOANNI BECCARIAE S. P. D.

ARGUM. *Litteras ad se mitti postular.*

ADOLESCENS quidam Luganensis mihi valde familiaris dixit se ex ser-mone tuo collegisse, literas Basilea mihi missas ad te casu quodam per-venisse. Quare ego, qui jandiu expecto tales literas, te oratum velim, ut seu signatas adhuc, sive resignatas illas habes, ad me litteras tutus mittas, & te mihi rem valde gratam facturum tibi persuadeas. Vale, vir eruditæ, die xv. Junii, MDXLVIII. Lugani. Raptim.

## EPISTOLA XXIII.

JOANNI BECCARIAE S. P. D.

ARGUM. *De litteris amissis doles, simul tamen de inita cum eo fa-militaritate gaudens.*

QUOD literæ ad me missæ tua cauſa perierint, est mechercule quod dolcam, sed tamen te excusatum habeo, quod imprudenter illas resi-

A a ij

gnaveris, legeris, & abjeceris. Verum quum considero, quod dum epistolam amissam quero, te mihi amicum repererim, sit, ut mihi vehementer gratuler, tibique immortales gratias agam, qui tam belle dolorem, quem ex interceptis literis capio, sanes, incommodumque illud meum tua familiaritate compenses. Velle tam per tuas literas admoneri, quam pridem literæ illæ tibi datæ fuerint, jmo si diem ipsum, quo illas accèpisti, mihi indicares, rem faceres quam gratissimam: siquidem ex meis literarum exemplis facile colligerem, quid ab Oporino eo tempore petivissem. Vale, Lugani, ix. Kal. Quintileis MDXLVIII.

## EPISTOLA XXIV. (a)

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Carmina excudenda mittit; litteras expectat.*

MITTO ad te *Fontes* Jovii, quos tibi toties promisi, perinde ac si mittendum fuisset justum aliquod volumen, cum exigui sint, & nunc in exigua concludi possint. Te tamen ideo mirari nolim; nam spero Novocomenses propter illos *Fontes* majora volumina ab eodem Jovio conscripta tibi datus excudenda, & ea, quæ si imprimarentur, a quam plurimis emerentur: adeo desiderantur. Conatus enim sum, ut aliquid ex eo præterea haberemus, sed non licuit. Plurimæ quidem edidit hic Jovius, quæ impressa nemini adhuc innotuerunt, sed a Novocomensis bus premuntur, ut soli illis fruantur; quod si tu hos *Fontes* unâ cum duobus illis libellulis ea, qua soles diligentia, & typorum venustate publicaveris, certatim spero illos civeis tibi reliqua ejus Authoris missuros. Age igitur, fac imprimantur isti libelluli, qui tibi nullum lucrum afferre possunt, ut illos habeas libros, qui magno precio aestimabuntur. Ordo autem libellorum hic erit: primum locum obtinebunt *Fontes*, in quorum secunda pagella præfatiunculam, si videbitur, collocabis sub hoc sensu, verbis tamen usus illis tuis ornatioribus, atque politioribus, te scilicet operâ tuujdam amici hæc pauca nunc publicasse, sperantem fore ut tuum hoc consilium iis probetur, qui reliquis Jovii libris soli fruuntur. Laudabis interim verbis aliquot libellorum Authorem. Forma vero libri hæc erit Italis gratissima, ut seilicet imprimas in quarta parte folii, & typis illis, quos *cursivos* appellant, crassoribus, quibus Nigri (1) *Rhetiam* descripsisti. Cum primùm igitur

(a) *Responsio ad hanc est apud Gudium, pag. 163.*

licuerit, da operam, ut hæc opuscula prælum tuum subeant, ne forte alius quispiam, tibi nequaquam comparandus, hos nobis libros præcipiat: eos intelligo, qui tibi, his ex impressione repræsentatis, opera mea dabuntur. Quare cures velim, ut brevi septem exemplaria mihi mittantur Mediolanum. Nam ego illic ero apud Majoragium nostrum infra mensem unum; & id facies per Landrianos Mediolanenses bibliopolas, quibuscum, ut arbitror, tibi magnus est usus. Ea ego exemplaria dono mittam iis Novocomensisibus, de quibus paullò ante scripsi; sed interim memineris in tertio *Fontium* duernione, inter scribendum immutatum esse pagellarum ordinem. Tu tamen eas in suum rediges ordinem. Quatuor vero hæc carmina, quæ subjiciam, in *Philautia* sic distingue, nam aliâs non satis recte distinxeram, ac reposueram:

*Pallida, quam peperit fumosis abdita teclis  
Invidia, & Stygias genuit quod livor ad undas,  
In lucemque datam geminas suscepit in ulnas,  
His & tinxit aquis primum furialis Enyo  
Ridenti similis . . .*

Item hoc carmen ejusdem *Philautiæ* sic repone:

*Dona ferant primi, nihil hos nisi cura Deorum  
Solicitet . . .*

Præterea habeo quædam alia adhuc non impressa, quæ tibi pridem promisi; sed quia & minutiora, quam ut mitti mereantur, & non satis vacat ea describere, hoc tempore non mitto. Post literas illas, quas ante Christi Natalem ad me cum Vitis Plutarchi, & aliquot aliis libris dedisti, nihil unquam literarum hactenus accepi, quod certe dolet mihi, præsertim cum Majoragio adhuc non satisfaciam. Exploratum habeo diebus aliquot post Christi Resurrectionem quasdam tuas ad me literas casu pervenisse in manus cuiusdam Sacrificuli, qui signatas adhuc resignavit, legit, & abjecit: tanta fuit ejus hominis improbi temeritas; quare periere. Tu vale, & me ama. Lugani, vii. Kal. Quintiles MDXLVIII. Te illud oratum velim Oporine, ut cum primum has acceperis literas, mihi rescribas, priusquam Lugano discedam, Majoragio satisfactum esse videam; non enim puto, me hic futurum post xvii. Kalend. Augusti. Lugani, prid. Kal. Julii.

(1) Nempe Francisci Nigri, cuius liber *Rhetia*, seu *de Situ, & Moribus Rhetorum*, Basileæ impressus est per Oporinum 1547 in 4. Vide Franciscum Xaverium Quadrium, (a) & *Indicem Librorum per Oporinum partim excusorum, partim venalium*, Basileæ excusum anno 1567, qui in Bibliotheca Ambrosiana

(a) *Dissert. Storico-critiche intorno alla Rezia*. Dissert. 5<sup>a</sup> vol. 3.

extat. Sunt & alia ejusdem opera in lucem edita, de quibus vide eundem Quadrivium, necnon Trithemium, Simlerum, & Fabricium. Porro suis in libris aliquando Bassanensem, aliquando Venetum, & interdum Liburnum se inscriptis, uti menet Quadrius, (a) qui etiam nos docet nec Bassanensem, nec Venetum ortu eum fuisse, sed harunice Civitatum ex gratia dumtaxat, ac privilegio civem effectum; natales vero suos habuisse Loveri, nobilis in Valletellina pagi; ac proinde cum Liburnum se dixit, Loverum tunc patriam suam designasse. Multos videre est eodem, quo hic, nomine, & cognomine appellatos eruditione conspicuos, in *Bibliotheca Fabricii*. Jam vero Franciscus Niger, qui primus ibi occurrit, ac floruisse dicitur sub finem saeculi XV. fortasse is fuerit, quem Mediolani græcas, latinasque literas professum fuisse compertum est mihi ex serie Professorum Mediolani, quæ inserta est Precibus impressis Lucilii Terzagi ad Senatum Mediolanensem inter MSS. nostros Cod. n. 260. Sic enim ibi legitur: *Franciscus Niger succedens Chakondylæ, magistro discipulus, græce, & latine; idenque paulè supra dicitur vulgatis operibus claruissæ.*

(a) Ibid.

## E P I S T O L A XXV.

MARCO ANTONIO MAJORAGIO S. P. D.

**ARGUM.** *Oporini interceptas litteras cujusdam culpa significat, cuius excusatoriam adjungit epistolam; cogi se per negotia inquit plusculam, quam putaverat, moram Lugani ducere.*

LITERÆ tuæ, quas ad Oporinum mitti cupiebas, recte quidem perlatæ sunt, sed adhuc nihil rescripsit Oporinus; quam quidem rem minus miror, quia nec ipsi Friccio sibi maxime familiari, qui & ipse eo, quo nos, tempore literas dedit, hactenus respondit, cum tamen sibi responsum iri per Legatos Helvetiorum arbitraretur. Sed tamen rescribet, mihi crede, brevi; nec, quæ ejus est erga nos benevolentia, falcat expectationem nostram. Vercor mehercule, ne cum tibi minime satisfieri videas, me tibi de Oporino, quod in eo non sit, quicquam pollicium fuisse putas. Imo illud me valde sollicitum habet, quod dum mea cohortatione jandiu expectas, ut Oporinus tibi satisfaciat, forte vereris, ne libri tui serius, quam ipse decreveris, publicentur. Attamen confirmor non mediocriter, cum in memoriam revoco, qui sit Oporini erga nos animus, cùmque perspicio nihil jam obstat, quod minus brevi nobis satisfiat. Quod si quibus mihi rescribebat Oporinus, literas accepisset, neque illæ cujusdam improbi culpa interceptæ fuissent, nihil esset, Majoragi humanissime, quare longis ambagibus a me detineri videreris. Nam cùm post ad te datam proximam epi-

stolam quatuor exivissent dies, compertum habui ad manus Magistelli cuiusdam Locarni (1) docentis illas pervenisse, ab eoque resignatas, leetas, & abjectas fuisse; inde factum est, ut de istius temeritate per literas sim questus, atque ille, quas modo subijciam, literas rescriperit, seque splendide mentitus excusaverit.

*Scito literas, quas a me petis, sic casu excidisse, ut in manus meas, casu nescio quo, venerant. Earum autem argumentum fere continebat Typographi cuiusdam Basiliensis expromptam operam, quam tibi jure eruditionis, & amicitiae ex animo pollicebatur. Is erat, ni fallor, Oporinus, aut Antonius Parcus. Quod autem non acceperis, illud fuit in causa, quia foris prætermissum fuerat nomen oppidi, quo mittebantur literæ; id quod dolet mihi summopere, cum neverim quantam sollicitudinem ipse capiam, ubi epistola, quam ab amico expecto, perit, aut intercipitur. Illud autem, Francisce mi, te soletur, quod pro amissa epistola nactus es me tibi amicum: quam rem ut faciam, adducit me tua & pietas, & eruditio. Vale, & me tui amantem mutuo redama. D. N. Jesus Christus fortunet tua studia. Locarni, xi. Kalend. Quintiles MDXLVIII.*

Unde videre est quām infeliciter mihi res cesserit; certe de Grammatistarum supercilio dici, ut dignum est, non potest. Sed hoc eō æquiore animo fero, quod spero, ut jam dixi, brevi per proximas literas nobis satisfactum iri ab Oporino. Libenter venirem ad Kal. Quintil., quemadmodum constitueram, nisi mea negotia me dies adhuc quindecim retinerent. Hujus autem dilationis in causa est, quod dum meas colligo sarcinulas, quidam mihi non vulgariter amicus, cui quicquam negare non satis æquum videbatur, me oravit, ut sibi Benedicti Jovii libellos quosdam, ea qua possem, describerem diligentia: quare mihi opus fuit, quæ mea erant, seponere, & aliena curare negotia. Quod feci audacius, quod, quæ tua est humanitas, mihi dies aliquot diffirre adventum meum, si visum fuisset, concesseras. Ero igitur hīc usque ad xvii. Kalend. Sextiles: interea Oporini literas accipiam, & me itineri accingam. Jam enim discipulos fere omnes istos montanos, descendit minime cupidos, expuli. Vale, qui primus (ut cetera taceam) antiquum declamandi morem, multis jam seculis intermissum, apud Insulæ reparasti; (2) & mihi tui amantissimo fave. Lugani, vii. Kal. Quintiles MDXLVIII.

(1) Locarnum, quod in antiquissimis Archivi nostri Chartis Locurnum, Locarnum, Lucarnum, aut etiam Leocarnum dicitur, illustre est oppidum, quod ex

isdem membranis nostris Muratorius, (a) & Julianus. (b) in Territorio Stationenſe olim fuisse probarunt. Oppidum illud n̄emorat charta anni 789, ubi dicitur *Lorgnum*. Ejusdem pariter meminit charta anni 807 a Muratorio relata, qui chronologicas illius notas sic transcriperat: *Carolo & Pipino Reg. Francor. & Longobardor. ann. Regni eorum trigesimo quinto, & XXI. ... per indictione Selinorienſis prima*; quibus in verbis difficultates agnoverit duas plane insolubiles Clarissimus vir; prīmō, quid significatus habeat *Selinorienſis*, vox plane insueta; secundō, quo modo conciliari queat annus ille Pipini vigesimus primus cum ejusdem anno initi regni Italici, seu 781, cumque aliis de Pipino chartis. Utraque autem evanescit difficultas; si vera chartæ lectio repræsentetur, quæ sic habet: *in Italia annis regni eorum XXXV. & XXVII ... per Indictione renovationis prima.*

(2) Declamationes ad pristinum usum Majoragii opera revocatas memorat Bælius. (c) Eadem declamationes extra Inſubriam nostram paulo ante Majoragium alii restituerant, nempe Christopherus Longolius, & Ludovicus Vives. Vide Longolii *Vitam*, ejus *Epistolis*, & *Orationibus* adnexam, & Vivis *Operum* tom. I. epist. ad Princip. Ferdinandum Archiducem Austriae.

(a) Lib. a. *Antiquit. medii aevi* pag. 222. (b) *Mem. di Milano* Vol. x. pag. 94.  
(c) *Dictione. Critic. Historiq.*

## LIBER SEPTIMUS.

### EPISTOLA I.

#### POMPEIO ADVOCATO S. P. D.

**ARGUM.** Pompeii Fratri gratificari ut cupiebat, per invaleitudinem non posse.

**E**QUIDEM cum hic apud Majoragium, fratrem tuum Cæsarem compressem, existimavi, ut debui, Deorum immortalium beneficio, hoc in gratiam meam factum, ut scilicet oblata mihi esset occasio, qua me beneficiorum non immemorem esse vobis ostenderem. Itaque, dum nullum mihi gratulandi finem facio, nec diis gratias immortaleis agere defino, dumque Fratrem tuum exercere aggredior, ecce mihi mala valentudo impedimento est, quod minus hoc institutum meum prosequar; quod mehercule ita mihi molestum accedit, ut nihil supra. Illud tamen hanc meam molestiam lenit, quod sperem fore, ut & post studiorum cessationes etiam Fratrem tuum contubernalem habeamus. Quare, mi Pompei, te oratum velim interim, ut tibi persuasum habeas, me Fratri tuo hactenus nihil quidem gratificatum, quod vis me morbi impedit, sed gratificaturum esse. Quid enim hoc non faciam, qui, si vitam pro vobis omnibus profundam, nullam partem videar vestrorum meritorum

meritorum affecutus? Salutabis mihi Antonium fratrem, & Pium patrem tuum, virum mehercule & bonum, & nobilem. Sed cur & Lucretiam matrem tuam, matronam honestissimam salvere non jubeo? Pro dolor! Mors vetat. Verum minime dolendum est, cum illa istis nostris salutationibus non indigeat, & terque, quaterque beata in Eliis hortis vivat, ubi ævo fruitur sempiterno. Vale.

## EPISTOLA II.

JULIO CATTO S. P. D.

**ARGUM.** Ut in studendi laboribus valetudinis curam habeat, monet.  
Libellum mittit.

**E**A est tua studendi cupiditas, ut existimem, nullum venationis genus, nullas vindemias, nullam pomorum ubertatem, nullam denique ruris amoenitatem te a libris, & cogitationibus tuis abstrahere posse. Quare fit, ut tibi a morbo timeam, verearque, ne, quod Deus averterat, aliquando invitus cogaris studia intermittere. Cave igitur, si sapis, mi Juli, teque, & tuam valetudinem respice; & quod facile effugere potes, prudens periculum evita, memor verum dixisse, qui sic cecinit:

*Quod caret alterna requie, durabile non est. (a)*

Quod ut facilius praestes, tibi

*. . . dono lepidum libellum*

*Arido modo pumice expolitum. (b)*

Quem, ut vere dicam, suis ineptiis effecturum spero, ut Democritum ridendo superes. Vale, ac vivere, & lætari memento.

Cum huic epistolio finem imposuisset, in mentem mihi venit faciendum, ut te admonerem, imo potius tua, quam mea caussa orarem, ne voces, atque locutiones has pauculas ad Ciceronianum perpendicularum, cui minime respondent, more tuo exigeres; nec injuriâ. Bene profecto haberet, ut quibus te a curarum molestia abducere, & ad rideendum excitare cogitarem, iis te misere torquerem? Mediolano VIII. Idus Septembri.

(a) Ovid. Heroid. Epist. 4. v. 89.

(b) Catull. Endecasy. 3.

## EPISTOLA III. (a)

DOCTISS. VIRO MICHAELI ISINGRINIO TYPOGRAPHO  
VALDE NOBILI AMICO SUO CARISSIMO S. P. D.

ARGUM. *Libros aliquos typis committi rogat.*

**S**CIO te ea esse humanitate præditum, ut, licet tibi ignotus sim, tamen meas has literas sis lectorus, æqui, bonique facturus, atque illis responsurus; nam, cum adhuc Lugani essem, quod oppidum est in Helvetiorum ditione, M. Antonius Majoragius, vir eloquentia clausus, qui humaniores literas Mediolani profitetur, mihi per literas injunxit, ut ad aliquem Basiliensem Impressorem sane quam elegantem, & doctum scriberem, peteremque, ut latinam *Paraphrasim* in quatuor Aristotelis de Cœlo libros, & ejusdem duos de Generatione (b) a se ad imitationem Themistii scriptam excuderet. Nam is, ut nosti, in aliquot alijs ejus Philosophi libros *Paraphrasim* edidit. (c) Quod ego certe fecissem, nisi paulo post illinc emigrasset; nunc autem ille me de-nuo jubet, ut mandata, quæ mihi olim dederat, curem. Est enim & in his locis illud facere non ita mihi incommodum, ut illi, quippe cum mihi sit affinitate conjunctus hic mercator, qui inter vos veratur. Sed quia evenit interim, ut ad justam voluminis magnitudinem accedenteis duos *Reprehensionum* libros in Marium Nizolium conscriperit, in quibus tam varia, multaque de differendi ratione, interpretandis Authoribus, latino sermone contra illum festive, modesteque disputat, ut non dubium sit, quin futuri sint literatis omnibus gratissimi: cuperet in primis manus illis admoveri, & quamprimum absolvi, ut interim cætera, quæ jam pridem instituit, quæ multa sunt, perpoliret, ut jam cœpit, iisque extremam manum imponeret. Quoniam igitur ex iis, qui istic sunt, neminem novi, quem tibi parem in cundendis libris judicem, sive typorum venustatem spectem, sive in describendo solertiam, te unum ad hoc elegi, qui si, ut spero, & mihi, & Majoragio obsequi volueris, duos tibi perpetuò devincies homines, quorum altero tua amicitia digniorem vix inveneris: adeo est candidus, & omni virtutum genere cumulatus. Quid plura? cognosces vi-

(a) Isingrinii ad hanc responso apud Gudium extat, pag. 164.

(b) Libros hos non Isingrinus, sed Oporinus typis tradidit. V. annotation. 4. ep. 2. libri 10.

(c) Veluti in Aristotel. Rhetoricam, ut ex ep. 6. lib. 10.

rum undequaque doctissimum, atque optimum. De altero verò, hoc est, de me ipso tantum polliceri habeo, nunquam futurum, ut te istius suscepit amicitia poeniteat. Verum plurimas occupationes nostras pluribus interpellare non audeo; quare finem scribendi faciam, & harum literarum responsum per hunc ipsum, qui tibi reddidit, expectabo, ut quid tibi de hac re fieri placeat, intelligam. Quod si, quemadmodum spero, tuam nobis operam præstare decreveris, rescribere etiam non gravaberis, intra quot menseis quos dixi libros absolvere poteris. Vale, xvi. Kal. Novembris MDXLVIII. Mediolani.

## E P I S T O L A IV.

JOANNI OPORINO (a) S. P. D.

**ARGUM.** Seque, aliosque summo desiderio teneri, ut libelli Jovii et typis prodeant; nihil esse, cur Majoragii opus excadere detrectet Oporinus; nummos ne acceperit scire ayes.

**A**D VII. Idus Augusti accepi tuas literas, quas tu ad me dederas III. Idus Julii: ad eas respondere in hunc usque diem distuli, quod sperabam te mihi de opusculis Benedicti Jovii edendis interim rescripturum, cum vii. Kal. Julii ejusdem Fontes etiam per Legatum Basiliensem ad te missem. Sed quando tot sunt occupationes tuæ, ut hactenus rescribere per illas, ut opinor, non licuerit, nolui diutius expectare, quin te & Jovii opusculorum editionis admonerem, & ad proximas tuas rescriberem. Nam & ego, & multi alii magna sumus in expectatione illorum libellorum, qui tibi elegantissime sunt excudendi; nec dubitamus, ut alias ad te scripsi, quin Novocomenses reliqua ejusdem Authoris opera ultro tibi publicanda offerant, cum haec pauca tam eleganter viderint descripta. Sed de hoc satis hactenus. Quod autem ad Majoragii duos *Reprehensionum* libros attinet, quid facere constitueris, tuæ mihi literæ plane significaverunt, qua quidem in re probi, & Christiani hominis officio fungeris, cum inimicitias inter Nizolium, & ipsum ortas tollere cogites, & ista, quæ contra Nizolium duobus libris sunt disputata, sopire potius, quam in lucem venire desyderes; hominis plane Christiani consilium. Verum, mi Oporine, longe falleris, qui conviciis, ut fieri solet, libros illos refertos putas, cum aliter, meo quidem judicio, sese res habeat. Nam ego illos a

(a) Responso Oporini est apud Gudium, pag. 167.

capite, quod ajunt, usque ad calcem legi. In illis, quod tibi dico remoto omni affectionum genere, multa disputantur, quæ ad Historias, Dialecticam, & Philosophiam attinent, quod fieri animadverti potius veritatis amore, quam aut ulciscendi, aut ostentandi cupiditate. Neque ego te aliter judicaturum esse arbitrarer, si duos eos tu ipse legeres. Quæ quidem omnia eò tibi scribo, ut intelligas, me nunquam tibi scripturum fuisse, ut *Reprehensiones* illas ederes, si tales esse novissimæ, quales tu arbitraris. Quanquam enim tibi non desunt, qui undique tibi libros excudendos mittant, imo novis libris quotidie, satius occupatum in veteribus Authoribus suo nitori restituendis, obruant: tamen gratum me tibi facturum opinabar, si cohortatione mea fieret, ut Majoragius sua scripta per te invulgaret, tibique amicus esset; nam non deerant, qui libros a Majoragio necdum perfectos peterent excudendos. Nec parum ipsi Majoragio gratificabar, qui typorum tuorum elegantiam, simulque solertiam in excudendo tuam admiratus, sua a te describi scripta gaudebat. Neque hæc eò dico, quod Majoragius ideo tibi amicus esse désinat, quod illos libros imprimere nolis, imo laudat istum animum tuum, qui quod inimicitiarum fomentum putas, perdi cupias, ut resarciantur inter inimicos amicitia. Sed jam ad alia transeamus. Medicus quidam (1) Mediolanensis excellentissimus, ad Pliniiani historici operis magnitudinem, ac crassitudinem acedenteis treis tomos habet historiarum, stylo satis florido jampridem scriptarum: quorum unus inscribitur *de urbis Mediolani Originibus*, alias vero *de Bello Veneto*, tertius *de Bello Gallico*, hoc est, de bello, quod Galli in Italia gesserunt: eos, si cum primùm licet excudere tibi gratum erit, de te sermones apud Medicum illum habebo, ut non dubitem, quin libros meæ fidei committat, ut ad te mittantur. Quod quidem opus mihi visum est mire varium, & lectu dignissimum. Rescribe igitur per hunc ipsum, qui tibi has literas reddiderit, ut quid tibi fieri placeat, intelligam. Interim Majoragius noster præfationem toti operi præfigere decrevit; sed cum hic mentionem fecerim de rescribendo, illud addam, quod prætermissum nolle: quos tibi debebam numos pro Aristotele, Plinio, & Plutarchi Vitis, dum adhuc Lugani essem, misi. Quare illos an acceperis, fac me duobus verbis admoneas; nam in literis tuis proximis nihil de hac re legi. Sed ad te in ornanda republica literaria occupatissimum longiorem hactenus dedi epistolam. Quare si unum addidero, finem scribendi faciam. Cum iis literis, quas ad me dederas, conjunctæ quædam erant, quæ ad Bellonum (2) Senatorem Mediolanensem, & quæ ad Hieronymum

Frick nostrum mittebantur. Bellono egomet reddidi; Hieronymo vero non licuit: jam enim ad suos redierat, quod certe mihi dolet; sed quando id aliter fieri non licuit, ad te remittuntur. Bene vale. xv.  
Kal. Novembris MDXLVIII. Mediolani. Raptim.

(1) Franciscus is est Arlunus (a) nobili genere Mediolani ortus, cuius frater Bernardinus J.C. *Historiarum* fuit auctor. Ab hac Arlunorum gente, quæ antiquissima censetur, (b) *Chronica sua de Clar. Famil.*, Cod. apud nos 136, auspicatur Gaudentius Merula, quos etiam *Arlenos* dictos affirmat. Scribebat vero in vivis agente Francisco Arluno, quem hisce celebrat verbis: *Hæc nostra Franciscum Arlunum præstantissimum naturæ consultum ætas habet.* Extat in collectione Epistolarum Gudii, Francisci hujus epistola ad Sebastianum Gryphium, pag. 163.

In Sacello S. Bernardi Ambrosianæ nostræ Basilicæ tria sunt Arlunorum elogia marmore sculpta, Bernardini, de cuius historia hic mentio, Joannis Petri Medici ejus fratri, atque horum genitoris Boniforti, de quibus consule Argelatum, (c) Placidum Puccinellum, (d) Inscriptiones Valerii, (e) & Cl. Joannem Alexandrum Brambillam. (f) Ex his tabulis, duæ post factam Sacelli restaurationem ad latus mensæ altaris utrinque oppositum collocatae sunt, altera infra suppedaneum ipsius altaris. Boniforti tamen, & Bernardini cineres, ut indicant citata elogia, in Templo Monialium S. Bernardini hujus Urbis repositi fuerunt, sed ossa Joannis Petri condita in S. Bernardi Sacello scribit Argelatus, qui tamen in eo fallitur, dum Sacellum illud gentilitium Arlunorum fuisse pronunciat.

Plura reliquit Bernardinus ingenii sui monumenta, quorum catalogum texuit Argelatus, & ex eo Mazzuchelli, eorumque aliquot existunt manu scripta in Ambros. Bibliotheca, alia penes Principem Belgiojosiū, unum apud D. Joannem Recalcati, sed ampliorem operum illius collectionem possidet hæc nostra Ambrosiani Cœnobii Bibliotheca, nimurum *Vitam Boniforti Arluni*, Cod. 225 (minus apte ac vere hunc enunciat Argelatus dicens esse de Familia Arluna) a Bernardino filio descriptam, & *Originem*, seu *Historiam Urbis Mediolani, deque bello Veneto, & Gallico*, Cod. 257: uterque Codex autographus est. Extat ibi præterea Codex alter, n. 169, Bernardini, sed recentiori charactere descriptus, continetque primò, una cum *Præfatione Majoragii ad Mediolanenses Cives, Epistolam Arluni ad Franciscum II. Sfortiam Mediolani Ducem*, tum *Historiam de rebus gestis Mediolani*, quæ plura initio habet iis similia, quæ in superiori Codice historico leguntur, deinceps vero ad alia enarranda divertitur; duplicem item *Orationem panegyricam ad Carolum V. Imperatorem, de Caroli ejusdem ad Urbem Mediolani adventu Carmen gratulatorium*, demum *legalem ad Senatum Mediolanæ Diffensionem*.

Ex omnibus his Bernardini operibus, quæ hac in epistola Cicereius ad Oporinum se missurum spondet, ut ejus typis cuderetur, librum duntaxat de *Origine Urbis Mediolani* imprimere aggressus est, sed cœptum intermisit. Mutila hæc historia, quæ cum MSS. nostris plane convenit, in Bibliotheca Ambrosiana servatur. Prodierunt equidem sex etiam libri de *Bello Veneto*, sed sero admo-

(a) Vide Epistol. 10. lib. 8.

(b) Ex Alciati Codice Bibliothecæ nostræ 113. p. 13. alioque Anonymi 268 p. 167., nec non Codice Diamantis Marinomi, qui autographus penes me est, de *Origine Urbis*

*Mediolani, sc nobilium Familiarum ejus.*

(c) Bibliot. tom. 1. pag. 2.

(d) Mem. antice pag. 60.

(e) MS. apud nos n. 204.

(f) Stor. Fis. Med. Ante. t. 2. par. 1.

dum, vulgatique sunt anno 1722 una cum *Præfatione ad Andream Gratum in Thesauro Antiquitatum Italicarum*, Lugduni Batavorum tom. 5. parte 4. Hi plurimum differunt ab iisdem libris MSS., quod facta invicem per summa capita collatione egomet deprehendi.

Joannis Petri Arluni, fratri Bernardini, opusculum *de Pestle*, quod publicam lucem nusquam aspexisse opinatus fuerat Mazzuchellius, re ipsa prodidit Mediolani an. 1515 per Zanottum de Castilioneo, illudque inspexi in Bibliotheca Augustiniana Excalceatorum SS. Cosmæ, & Damiani. Ejusdem Petri Codicem possidemus in fol. , n. 341, qui *Commentarius est ad præcavendam podagram*, eundemque Epistola præcedit ad D. Pacificum Priorem Cerreti, Monasterii Congregationis nostræ. Duos alias ex Arluna familia doctrinæ nomine laudandos meritò censeo, Jacobum nempe, & Gasparem. Illum asserit Argelatus elucubrassæ orationes, & carmina, quæ tamen, an & ubi supersint, se nescire fatetur. Gasparis, quem siles Argelatus, *Epigramma \** præmissum legitur operi *Christian. Institutus. Aurelii Albitii.*

Arluni, quorum familia interiit, eum hujus Urbis vicum incolebant, ubi Templum est S. Petri in Vinea cognominatum, ac nunc vocant vicum *del Capuccio*, olim autem *Arlunensem* vicum appellabant. Ita ex laudato Codice *de Vita Bonifortii Cap. de Famil. Arlunensi.*

(2) Nempe Aloysium Bellonum patria Alexandrinum Statellyonum, cuius epitaphium in Eustorgiana Basilica spectatur, legiturque apud Puccinellum (a) & Allegrantianum. (b) Bellonus Orator primum fuit Alexandrinæ urbis apud Mediolanenses, tum Senator Mediolani, ac Derthonensis, itemque Ticinensis urbis prætura functus. Mediolani dies suos clausit 1599. Vide Hieronymum Ghiliini *Annali di Alessandria* pagg. 154. 171. 181.

(a) *Mém. ant.* pag. 91.

(b) *De Sepulcr. Chrift.* pag. 74.

## E P I S T O L A V.

JOANNI OPORINO S. P. D.

**ARGUM.** *De libris quibusdam excudendis agie.*

**M**AJORAGIUS noster jam duos *Reprehensionum* suarum contra Nizolum libros, (a) quos ad Sebastianum Gryphium mitteret, qui ad eos excudendos accinctus erat, complicatos signaverat; & jam certe eos misisset, nisi ego illi obstituisse, ut tuas prius ad me literas expectasset, in quibus sperabam me lecturum, sententiam illam tuam mutavisse, atque hos libros publicare paratum esse: cum ecce hodie tuæ mihi redduntur literæ, in quibus, et si eos non editurus videris, nisi Nizoli nomini parcatur, ego tamen non dubitavi Majoragio persuadere, quid ego inquam persuadere? imo cogere, ut libros per hunc juve-

(a) *Reprehensionum* libros ab Oporino impressos nosces Epist. 21 lib. 7.

nem mihi notum tibi mitteret. Quod ideo ab eo impetravi, quod sperem, ut tibi tales videantur, ut nihil illis adimendum existimes; in eis enim, ut plane apparebit, Nizolii unius ignorantia detegitur, in cæteris vero modestissime agitur, atque interim quamplurima disputationur, quæ literatis omnibus gratissima futura esse tu ipse judicabis. Sed; ut æquius tibi esse videatur, Nizolii nomen libris apponi debere, dedi ad te ejusdem Nizolii *Antapologiae* exemplar unum, ex cuius lectione colligere est, quantis maledictis Majoragium nostrum insectetur, quantumque intersit inter Majoragii modestiam, atque ejus procacitatem; dantur igitur ad te hi libri ea lege, ut si videtur, imprimas, nec quicquam in eis mutes. Quid enim, Nizolius ne nominetur, curandum est, cum omnibus doctis, qui in Italia vivunt, notum sit, exortam esse contentionem inter Majoragium, atque Nizolum, & Nizolium sua *Antapologia* Majoragii existimationem, quantis potuit, maledictis imminuere conatum fuisse, atque eâ causâ Majoragium respondere Nizolio paratum esse, cumque ideo hi duo libri magnam sustineant doctorum virorum expectationem? Quod si libueris ita edere, ut eos libros ex tua officina prodiisse non appareat, nomen tuum non apponere licebit. Quod idem factum est in Francisci Sabini Floridi (*a*) libris istic non multos ante editis annos; sed id in illis merito fieri debuit, cum Erasmus, Budæum, Alciatum, Doletum, multisque alios doctissimos viros conviciis exagitet. Sed quin tamen in Majoragii lucubrationibus id fiat, nulla cauſsa est, cum præsertim omnes ejusmodi viri summopere laudentur, unus Nizolius reprehendatur. Sed si te hæ rationes non movent, nec contra Nizolium quicquam edere cogitas, remitte Majoragii libros, ne quicquam impedimento sit, quin existimationem suam tucatur. Sed, si bene te novi, veritatem ipsam, & Majoragii amicitiam pluris facies, quæ cujusquam nomen, & Majoragio satisfacies, ut his absolutis libros alios, atque alios imprimas, quos ille subinde ad te dabit. Multa enim ea sunt, quæ Majoragius instituit, atque inter ea *Commentarios* in Ciceronis *Partitiones*, quos brevi unacum *Antiparadoxis* diligenter emendatis tibi missurus est. Age igitur, mi Oporine, hos libros quam primum absolve, atque cura, ut in quarta folii parte imprimantur, iisque literis rotundioribus, quas *firmas* appellant, describantur. Quod ad Benedicti Jovii opuscula adjiciam, nihil est in præsentia, neque ejusdem Authoris, neque cujusquam alijs, quod edi dignum existimet. Verum, si hæc opuscula edideris, ut alias ad te scripsi, fore pollicor,

(a) V. Muter. *Ditione*, & Tirabosch. t. 7. p. 3.

ut reliqua omnia ejus viri opera habeamus. Medici *Historiae* ad te dabuntur mense Martio, Nicolao Landriano. Reddidi diligenter tuas literas & Bellono Senatori, & Landriano. Tu vale, & me si datur, Friccio commendatum redde. Hæc scripsi raptim, cum mihi Nuncii occasio se se obtulisset. Mediolani, iv. Kal. Januarii MDXLVIII.

## E P I S T O L A VI.

BASILIO FERRARIO (1) S. P. D.

*ARGUM. Gratias agit.*

**A**D ea, quæ ad Nonas Kal. Novembris mihi scripseras, ideo tibi nihil rescripsi, quod sperarem me prioribus literis meis meum animum erga Stephanum tuum satis declarasse, neque opus esse, ut tibi gravissimis negotiis districto pluribus verbis amplius caput obtunderem. Significaveram enim tibi, illum jam inde a primis diebus, quibus illum novi, a me adeo amatum fuisse, ut nullius commendatione opus esset, qua ille mihi charior redderetur. Sed video meas illas literas non tantum ponderis apud te habuisse, quantum cupiebam, neque te mihi quæ scripseram, satis credidisse, plane perspicio. Nam, si aliter res se se haberet, aurum mihi munus non misisses, arbitratusque fuisses me absque muneribus quod promiseram præstitorum. Evidem, Basili ornatissime, satis obstiti Presbytero huic Jacobo Ferrario tuo, ne me aureum numum accipere cogeret: volebam enim, ut quicquid in Stephanum contulisset, ab amore proficii videretur; sed nihil profeci, tuumque munus fere coactus accepi, ne, si secus fecisset, te tuaque munera sane quam regia parvifacere, atque spernere, ideoque justicus tibi visus fuisset. Gratias igitur tibi & ago, & habeo, non eas quidem quas vellem ac deberem, sed quas possum pro tuo illo pulcherrimo munere, quod pro tua illa singulari humanitate me immarentem frui voluisti. Quod vero ad Stephanum nostrum attinet, non est quod dubitemus, quin spem, quam de eo concepisti, brevi ille non modò æquet, verum etiam superet: adeo strenue se in literarum studiis se exerceat. Sed jam epistola longior processit, quam volebam; quare unum tantum addam, & finem scribendi faciam. Quod has literas latinis, quibus possum verbis scribam, non est quod mireris: nam ita tecum agere constitui, ut si quando ad te scribere opus sit, id nunc latino, aunc vulgari sermone faciam; ita enim fore spero,  
ut

ut nostrarum nugarum tedium aliquantulum minuatur. Vale. Mediolani, pridie Nonas Januarii MDLXIX.

(1) Ad Basiliū Ferrarium duæ extant in Belgiojofiano Codice Cicereii italicæ epistolæ. Euni porro aliū esse arbitror a Basilio Ferrario Ordinis Minor. Conventualium, secus ac insinuare videatur Argelatus (a) scribens Franciscanum hunc epistolā dedit ad Antonium Majoragium, & Franciscum Cicereium, quas ad ferrari subdit apud Fratres Marchion. Vicecomites. Verū cum vitam suam illum absolvisse afferat an. 1656, annos natum 63, fieri haud potuit, ut ad Cicereium, & Majoragium litteras dederit, quippe Cicereius anno 1595 circiter fato cessit, & ante ipsum Majoragius. Quæ igitur apud Marchion. Vicecomites olim servabantur Ferrarii epistolæ ad Cicereium, & Majoragium, ab eo Basilio, ad quem Cicereius hanc mittit, conscriptæ dicendæ sunt.

(a) *Biblioth. Mediolan. Scriptor. lib. 2. parte 1.*

## EPISTOLA VII.

JOANNI OPORINO S. P. D.

*ARGUM. De nonnullis sententiam sibi significari optat.*

**A**D IV. Kal. Januarii dedi ad te Majoragii duos *Reprehensionum* in Nizolium libros, quos cūm edi quamprimum plurimi Majoragii intersit, mihi faciendum existimavi, ut te admonerem, ut cūm primū has literas acceperis, nos de eo, quod facere velis, certiores reddas. Præterea illud etiam literis signifiques velim, quæ Majoragii scripta, duobus libris illis absolutis, tibi transmitti velis, ut interim Majoragius iis, quæ volueris, manus admoveat, atque perpoliat. In hanc sententiam tibi quoque Majoragius ipse literas misisset, si id satis per occupationes & legendi, & docendi plurimas facere licuisset. Vale, III. Kal. Februarii MDLXIX.

## EPISTOLA VIII.

FRANCISCO CARRONENSI S. P. D.

*ARGUM. Gratissimas sibi ejus fuisse litteras, cui & suam, & Majoragii operam, atque officium sponder; tum de statu, rebusque suis.*

**A**CCEPI tuas literas, quæ mihi melle dulciores fuerunt; illis enim factus sum certior, ubi sis, quod equidem ut intelligerem, non me-

C c

dicriter laborabam, cùm te meritò plurimum amem, & plurimi faciam. Nam cùm de multis quid de te factum esset, quæsivissem, intelligebam sane te Besnati vivere; sed de cæteris, quæ cupiebam, nihil narrabatur, quæ omnia cùm ex literis tuis gratissimis, tum ex nuncio mihi manifesta fuerunt. Quare fecisti tu quidem quod nū erat, ut Cicereum tuum de statu rerum tuarum admoneres, cùm idem ego quoque ante te præstitissem, si satis scivissem, ubi versares. Sed jam ad respondendum venio. Quid speres fore, ut aliquando tuorum studiorum rationem habeam, non est quòd quicquam hac de re dubites, nam & meam, & Majoragii operam in hoc tibi jam spondeo paratissimam fore. Quid enim de Majoragio cogitas? tam tui memor est, quâm si adhuc cum eo familiariter viveres. Nam ex quo ego in ejus sum contubernio, sæpius de te mentionem fecit, & te amare testatus est. Quare cùm tibi erit commodum, & voles, nos admonebis, & tibi quantum dabitur, consulemus. Majoragium autem, ut ipsum volebas, ex te salutavi, literasque tuas illi recitavi. Quod autem cupias admoneri de rebus meis omnibus, agnosco tuam erga me benevolentiam. Itaque id libenter faciam, sed paucis: hîc sum cum oīni mea familia, cum Matre mea, inquam, & Fratre bene se, Diis gratia, hæc tenus habentibus; solus autem apud Majoragium vivo, non sine eruditioñis meæ quotidiano augmento. Accedit quod Majoragius, quæ ejus est humanitas, mihi in singulos annos L. aureos annumerat. Sed jam plura scribere volentem avocant occupationes maximæ. Verum posthac longiorem ad te dabo epistolam, si per eas licebit, & mihi sese offerat nuncii opportunitas. Mitto tibi tua Cæsaris *Commentaria*, quæ ideo domestici mei tibi non reddiderunt, cùm quòd mitterent, ignorarent. Vale, Mediolani, xv. Kal. Martii MDXLIX.

## E P I S T O L A IX.

## ANTONIO VULPIO (I) LL. DOCTORI S. P. D.

**ARGUM.** *Summam erga Vulpium benevolentiam, atque observantiam profitetur, ejusque multipticem, variamque doctrinam commendat.*  
*De nuptiis gratulatur Sororis ejus suo cum consanguineo.*

**I**LLUD affirmanti mihi, quamvis ignoto, pro tua in omnes humanitate, credas velim, me antea magno empturum fuisse occasionem aliquam, qua te per literas saltē alloqui licuisset, meamque benevolen-

tiam, atque observantiam erga te declarasset, nolebam enim quosdam imitari, qui adeo perfidiae frontis sunt, ut adhuc ignoti vel gravissimo cuique suis literis oblatrare, atque obstrepere non dubitent. Sed cupiebam viam aliquam invenire, qua, si scripsisset, tibi probaretur, quam tandem Deorum Immortalium beneficio natus sum. Itaque ad scribendum audaciter nunc venio, idque meo quodam jure facio. Sed mihi jam videre videor, te non parum mirari, tecumque hæc tacitum dicere: quis hic? unde hæc ad me? Quare priusquam longius progrederi, meumque erga te animum patefaciam, primum mihi faciendum videtur, ut paucis exponam, quid in caussa fuerit, ut te haec tenus mihi de facie ignotum valde & amaverim, & coluerim; deinde quid effecerit, ut te potissimum hoc tempore de hac mea in te benevolentia, & observantia admonuerim, nec ante hoc tempus quicquam ad te scripserim. Primum enim adhuc mihi cum multis versari contigit, qui te proxime noverant, quique nec obscuro, nec vario sermone, sed & clarissima, & omnes una voce te propter egregias animi tui dotes, summaque ornamenta in cœlum ferebant. Deinde iis nihilo minus elegantissimos aliquot Hetruscos scriptores tibi tribuere legi, tum id quod & audieram, & de te legeram, verum esse manifestius cognovi ex paucis quidem, sed eruditis iis tuis scriptis, quæ adhuc legere potui. Hæc igitur ea fuerunt, quæ me ad te amandum pelleixerunt. Nam, quanvis in literis haec tenus parum profecerim, ita tamen sum, ut doctissimorum ornatissimorumque hominum sim studiosus; præsertim si qui sunt, qui multiplici, variaque disciplinarum suppeditili animum suum ornaverint; quo in genere te esse plane perspicio, qui quot quantisque artibus ingenium excultum habeas, mirum cuique videri potest. Primum enim in utriusque juris prudentia tantum profecisti, ut peracto uno lustro, ex quo primum ei studiorum generi te tradideras, adolescens adhuc summo cum honore laurea sis donatus, eum tamen interim non minorem laudem armis sis consequutus, adeo ut magna cum omnium admiratione eodem tempore & Marti, & Musis sedulam navares operam, & unà cum libris omne telorum genus non indecora tractares: testantur hoc quicumque in celeberrimo Ticinensi gymnasio eodem, quo tu, tempore studiorum caussa morabantur. Deinde quanta cum felicitate in his nostris politioribus literis a puero sis versatus, est inde cognoscere, quodd & solutam, & numeris astrictam orationem talem scribis, ut aureo illo Ciceronis saeculo natus esse videaris: adeo es elegans, ac politus. Quis enim, ut interim reliqua taceam, illa tua carmina ad Farnesium Cardinalem legens non admiretur? Quis

Cc ij

non suspiciat? quām pulchra, quām lepida, quām denique sonora sunt! Evidem posset quisquam id de te dicere, quod Horatius de Lucio Floro scripsit: (a)

. . . . . *seu civica jura*  
*Respondere paras, seu condis amabile carmen,*  
*Prima feras hederæ victricis præmia.*

Neque latine solum, sed etiam hetrusce hæc præstare potes; qua nani que tu suavitate Hetrusca lingua & cantiunculas, & rhythmos (si modo quas *rimas* vocant, ita appellari possunt) & alia id genus scribis! Neque hoc ed dico, quod ego de hac lingua quicquam judicare possim, quam vix primoribus, ut ajunt, labris degustavi; sed quod in ea multum tibi tribuere aliquot ejus linguæ cultores non ignorem. Sed quid mirum videri potest, quod hetrusce & loquaris, & scribas, cum & ita lepide & hispanice, & gallice scias, ut mediis Hispaniis, aut Galliis natus esse videare. Præterea mirum est, quantum in Musicis excellas; nullum enim est musicorum instrumentorum genus, cuius usu tuam ejus artis peritiam non indicare possis. Quid? quod & pinguendi te non ignarum esse, audio, cum dicant nihil esse, quod monogrammis non effingas, ut nullius ornamenti expers esse videri possis? Postrem ea es morum facilitate, animi candore, atque elegantia, ut vel ipsis solis ad te & amandum, & observandum posses quenvis adducere. Accedit autem ad præclara hæc tua ornamenta Fratrum tuorum (2) numerus, virorum illustrium, & de ista Patria nostra bene meritorum, qui & ipsi ingenuis artibus adeo prædicti sunt, ut nihil illos prætereat, quod liberos, atque ingenuos homines scire æquum sit: quique tales sunt, ut vel soli amplissimam quamque civitatem exornare possent. Hæc profecto singula digna sunt, quæ te & amandum, & observandum omnibus reddant; quod si ita est, quanti faciendus es, si & multo plura, quām ego dixerim complectaris? Certe plurimi.

*Nam quæcumque solent per se perpensa placere,*  
*Alterno potius vincita decore placent.*

Quæ cum ita sint, nonne meritò inhumanitatis accusandus fuisset, si te & magno amore, & summa observantia prosequutus non fuisset? cùm præsertim eadem nobis patria sit communis. Sed cùm diutius meum erga te animum tibi non perspectum adhuc esse ægre ferrem, neque propter locorum intervallum tecum coram colloqui daretur, cupiebam, ut jam dixi, aliquam mihi offerri occasionem, qua tibi literas saltem mitterem, meumque erga te arimum planum facerem, quod tandem

(a) Epist. 3. lib. 1.

mihi successit. Nam, cum necessariorum meorum literis sim admonitus, sororem tuam, adolescentem lectissimam Thomæ Cicereio (3) consanguineo meo in matrimonium collocatam fuisse, in nostramque familiam transiisse, existimavi me libere audacterque ad te literas dare posse. Evidem nihil unquam evenit, quod me magis delectaverit, quam quod tantorum virorum soror in familiam nostram sit transgressa. Unde fit, ut Thomæ nostro meritò gratuler, qui eam nactus sit conjugem, quæ Fratres habeat, qui' sint nostræ civitatis ornamenta. Tu igitur, Vulpi ornatusime, has nostras literas, qualescumque sunt, boni consule, ac simul existima, me ideo parcus de te dixisse, quod verear, ne dum te in os laudo, in assentationis crimen incidere videar. Quod si forte tamen alicubi apertius, quam tu pro tua modestia patiaris, dixisse videor, id meæ perpetuæ erga te observantiaz condones velim. Hæc enim omnia ideo ad te scripta sint volo, ut intelligas nihil esse tam grave, nihil tam magnum, quod tua causa non sustinerem, aut certe, si vires deficerent, non conarer. Quare mihi libere imperes velim, existimesque nihil mihi aut gratius, aut carius esse posse, quam si quibuscumque in rebus opera mea uti volueris; me enim, ut par est, ad omnia commoda tua paratissimum experiere. Fratribus tuis omnibus, itemque Thomæ nostro, si lubet, ex me s. p. d. Vale, Mediolano, III. Nonas Martii  
MDXLIX.

(1) Novocomensis is fuit, vicarias partes egit suæ Patriæ Episcopi (2) Bernardini de Cruce a Ripa S. Victoris, Mediolanensis, tum Bernardino vita functo, Episcopalem ejus sedem est asseditus, Concilio Tridentino interfuit, atque Gregorii XIV. Nuncium egit apud Helvetios, obiit anno 1588, conditusque in majori Comi Templo, ubi ejus epitaphium legitur: (b) latina, & etrusca perquam erudita ejus carmina leguntur in antiquis collectionibus, & denuo ex Coninianis typis prodierunt Patavii an. 1725. Epistolæ tres ejusdem, Comi scriptæ an. 1544 continentur inter italicas epistolas per Bernardinum Pinum collectas, Venetiis 1582.

In MS. *Farrago Jovii*, charactere Cicereii descripta, in Archivo Belgiojosoiano Epigranima exastichon est Antonii Vulpii; & in alio ejusdem Archivi Codice epistolarum Cicereii, epistola hujuscce italica legitur ad Defendantem Vulpium, qui Frater Antonii fuit. (ex eodem Cod. pag. 97.) In Codicibus Abbatis Masnagi duo sunt Carmina, necnon Epistola Benedicti Jovii ad Joannem Antonium Vulpium, item ad eundem Octaviani Ripæ Responsio per ipsummet Jovium, pariter distichon est ipsius Joannis Antonii Vulpii, distichon aliud Ulpiani Ulpii, aliudque Benedicti Vulpii; de quo in annot. ad ep. 13. hujus.

(2) Sex fuere Vulpii una cum Joanne Antonio fratres; ita in hujus vita, quæ legitur in editione mox laudata ejusdem, unaque Hieronymi fratriis Carmi-  
num, Patavii 1725.

{a} V. hic epistolam 14. lib. 8.

{b} V. Tatti *Annali Dec. 3.*, & in *Appendice*, & *Ughellium Italia Sacra tom. 5.*

(3) Plures sunt Francisci Cicerei ad hunc MSS. epistolæ italicæ in Belgio-josiano Codice, atque in his patruellem suum alicubi vocat.

## EPISTOLA X.

JOSEPHO OSSUTIO S. P. D.

**ARGUM.** *Silentii se excusat; beneficiorum se memorem esse reflectur.  
De statu suo edocet.*

ILLUD mihi credas velim, me saepius ad te scribere jam conatum fuisse, quod existimarem amicitiam nostram vehementer laedi, si tandem te sine literis meis esse passus fuisset. Sed hactenus quod conabar, nunquam successit; nam quotiescumque scribere mihi dabatur, non erat Nuncii copia quoties vero cui darem, sciebam, per negotia scribere, non licebat. Itaque horum alterum semper me deficiebat. Nunc autem cum propter Bacchanalia nescio quid ocii noctus sim, & cui literas ad te dem habeam, nolui amplius pati, ut in me quicquam desiderares. Itaque scias me tuorum beneficiorum esse memorem, & eorum, quæ in me præsentem, & eorum, quæ in me absentem contulisti; ideoque occasionem aliquam querere, qua tibi gratificer. Quod autem attinet ad mearum rerum statum, etsi scio fieri posse, ut a meis necessariis sis admonitus, non tamen dubitabo, te tribus, quod ajunt, verbis de eo certiore facere. Apud Majoragium vivo duplarem ex ejus consuetudine fructum capiens, unum, quod sentiam meam eruditionem in dies adaugeri, alterum, quod in singulos annos idem mihi Majoragius L. nummos aureos adnumerat. Hæc ideo ad te scripsi, ut intelligas, quamvis taceam, nequaquam tamen fieri posse, ut tui immemor vivam, quem semper amavi & meritò carum habui. Vale, Mediolani III. Nonas Martii MDLIX.

## EPISTOLA XI.

MICHAELI ISINGRINIO S. P. D.

**ARGUM.** *Litteras tardius accepisse inquit. Orationes typis excudendas tradit; tum de ejus epistola, quò scripta fuerat, missa.*

TUÆ ad me perhumaniter scriptæ litteræ non ante mihi redditæ fuerunt, quam Idib. Februarii, cum pene ad eum usque diem eas expeditavissim, & Majoragium *Reprehensionum* suarum editionem non pau-

cos dies retardare coegisset: cupiebam enim tua potius, quam cuiusquam alias uti opera. Quare mihi non parum dolet, quod aut tuas literas citius non acceperim, aut certe quod Majoragius tandi, dum rescriberes, *Reprehensiones* suas apud se servare noluerit, aut, quod verius est, non potuerit. Gratissimæ tamen utrique nostrum tuæ fuerunt literæ; non enim parvi facimus, quod operam nobis tuam tam humana niter polliceris. Itaque Majoragius sperat fore, ut brevi aliquid tuis typis dignum tibi excudendum mittat: multa enim adhuc instituit, quæ propediem expoliet. Ego vero, cum nihil aliud in præsentia habeam, quo tibi declarem, quam mihi carum habeam, quod meæ apud te literæ tantum ponderis habuerint, ut pro singulari tuorum morum facilitate jam & me, & Majoragium in amicorum tuorum numerum admittere non graveris, mitto tibi duas has orationes editione, ut mihi quidem videntur, dignissimas, quas mihi jam olim dedit Marcus idem Majoragius, cum in hoc tamen adulescens eas non scripsisset, ut publicarentur. Tu si, ut spero, eas impresseris (a) ipsius Authoris nomini parces, & quemcumque titulum pro tuo arbitrio adscribes, si minus is, quem habent, tibi satisfecerit; id autem cum factum erit, curabis, ut aliquot nobis exempla hic reddantur. Epistolam tuam, quam Brixiam mitti cupiebas, cum primum accepi, Brixiano cuidam hinc discendi commisi; sed non erat, mi Isingrini, quod tantillum beneficium tot verbis peteres: est enim libere inter nos agendum, ut alter alterius, cum opus est, utatur opera. Vale, Mediolani, XII. Kal. Aprilis  
MDLXIX.

(a) Impressæ ne fuerint orationes hæ, itemque de quoniam agant, haud scio.

## EPISTOLA XII.

JOANNI OPORINO S. P. D.

**ARGUM.** *De libris ab Oporino excudi cœpiis, aliisque excudendis.*

**E**x quo ad te dedimus duos *Reprehensionum* in Nizolium libros, nihil unquam a te literarum accepimus. Unde putamus factum, ut jam opus excudere sis aggressus, curesque ut & mihi, & Majoragio satisfiat. Vellem tamen, mi Oporine, ut cum primum daretur, rescriberes, & operis aliquot specimen ad nos dares. Arluni *Historiarum* sezioni tres ad te per Germanum hunc mercatorem transmittuntur, ut, quemad-

modum ad me scripsisti, aut tuæ, aut cujusvis censuræ subjicias, & si videbitur, imprimas ea, qua consuevisti cura, atque elegantia. Quare illud, quod ad eas pertinet, te admonitum velim, ut, si excudere constitueris, opus, cum primum per ea, quæ nunc sunt sub prælis, licuerit, aggrediare; & titulos, ubi opus videbitur, tuo arbitratu præfigas, modò in illis authorem ipsum Patricium Mediolanensem ubique appelles: sic enim animadverti velle Franciscum Arlunum ipsius Authoris fratrem, medicum excellentissimum. Quod si forte tibi non probarentur, neque, quod eventurum non vereor, eas velles prælo committere, cures velim, ut bona fide, quæ ad te mittuntur exemplaria, Arluni sumptu, nobis huc remittantur. Ego vero, ut ad hæc omnia mihi quam primum rescribas, te etiam atque etiam oro, ut Arlunus Fratris immortalitatis cupidus sibi satisfactum esse sentiat. Nam cum quid facere constitueris, intellexerimus, duos panegyricos, (1) & carmina quædam (2) ejusdem Authoris, quæ historiæ commode accedere poterunt, transmittemus. Tu vale, meque, quod facis, ama. Mediolano, XII.  
Kal. Aprilis MDLXIX.

(1) Panegyrici quidam a Bernardino Arluno elucubrati, alii ad Carolum V., alii ad Franciscum I. Galliarum Regem MSS. servantur partim in Bibliotheca nostra, partim in Ambrosiana; Panegyricus ad Carolum V. est tum in nostra, tum in Ambrosiana, sed apud nos multò diffusior. Panegyrici ad Franciscum I. tres habentur ab Arluno conscripti in Ambrosiana. V. Argelati Bibliothecam.

(2) Arluni Carmen gratulatorium in adventu Mediolanum Caroli V. extat in nostra, atque in Ambrosiana Bibliotheca, quod tamen nos custodimus, multò copiosius. Plura alia Arluni Carmina MSS. sunt in Ambrosiana, quæ enumerat Argelatus.

### E P I S T O L A XIII.

ANTONIO VULPIO S. P. D.

*ARGUM. Officiosa epistola, & laudis plena, ubi & Antonii Vulpii celebratur Frater.*

**S**ÆPIUS dubitavi utrum tibi rescriberem, an non, nam si nihil rescripsisset, tibi, quemadmodum cupiebam, non declarasset quām mihi gratae fuerint tuæ literæ, quantusque ex eis cumulus ad meam erga te observantiam, amoremque accesserit. Contra, si quicquam rescripsisset, verebar, ne quod suspicaris, pro comperto te habere dices, nempe te literis a me lacessum fuisse, ut te mihi adversarium quererem, cūm me

me in scribendo perseverare videres. Dum igitur hac ratione in dubio est animus, labuntur taciti dies. Itaque nunc fortassis serò ad te scribo. Siquidem quod me antea deterrebat a scribendo, nunc ad scribendum excitat, ut intelligas me non adeo dementem esse, ut adduci potuisse, ut te ad scribendum lacefferem; nam, per Deos immortaleis, mihi recte consuluissim, si tecum scriptis certare meum in animum induxissem. Fecisse id forte, si mihi non satis notæ fuissent imbecilles ingenii mei vires, si egregias tuas animi dotes ignorasse. Si igitur me sensus communis participem esse putas, est quodd tibi persuadeas, nulla me alia causa motum ad te literas dedisse, quam ut, cum per longum locorum intervallum coram non liceret, tibi per literas meam in te observantiam significarem. Quam quidem rem cum tanti feceris, ut non solum probaveris, quodd a me & ameris, & observeris, verum etiam me pro tua singulari humanitate in amicorum tuorum numerum receperis, tibi ago gratias, non eas quidem, quas debeo, sed quas possum, quasque meus capit animus. Sed quia quam id mihi gratum sit, verbis exprimi non satis posse credo, non ero hac in parte longior. Illud tamen dicam, nihil neque mihi jucundius, neque carius unquam evenire potuisse, quam ut a te tanto viro amari cœperim. Cæterum dicerem, quantum literæ tuæ Majoragio summæ eruditioñis, rarique ingenii viro probentur, quamque ei videantur elegantes, terſæ, argutæ, & eo contextæ orationis filo, quo certe componendæ sunt epistolæ, nisi memor illius tuæ modestiæ deterrerer. Ea enim tanta in te est, ut cum in meis literis tibi multò minus tribuam, quam pro meritis deberem, dicas me vel deceptum amicitiæ præstigiis, vel non qualis sis, sed qualis esse debeas præscribentem, ea tibi tribuere, quæ in te non sint. Neque hoc tibi satis est: itaque unum addis, & me, si ad certandum scriptis venirem, facile superiorem fore, nullamque victoriam ex obscuro hoste parare posse dicis. Quare liceat tibi, Vulpi ornatissime, quæ damus pro tua modestia spernere, & tuas vires, quantum potes, extenues, nunquam tamen facies, quin multò me doctiorem, & eruditorem laudatorem merearis. Hæc ignotis velim scribas, non mihi, qui te, quantum possis, fortasse magis noverim, quam tu ipse arbitrere; sed næ ego stultus sum, qui te gravissimis studiis occupatum detineo. Itaque cum carptim, nulloque ordine tuis literis responderim, finem scribendi faciam, sed tamen, si prius addidero, quod prætermissum esse nolle. Ante dies aliquot Frater tuus natu maximus (1) nos, quæ ejus fuit humanitas, invisit, & multa colloquutus est. Dii boni, quanta est in eo viro morum suavitas! Quanta corporis

D d

dignitas! Sermo gravis, comptus, eruditio plenus. Hunc, ut scis, nunquam videram, sed ejus conspectus, atque præsentia famam, opinionemque de eo conceptam adeo non minuit, ut auxerit etiam vehementer. Vale, Mediolani, xi. Kal. Maji MDXLIX.

(1) Quem Benedictum esse Vulpium non immeritd existimaverim, de quo supra memini annos. epistolæ 9 hujus; eum enim Antonij Vulpii fratrem Vicarium Generalem sub ejus Episcopatu Comensi agere cœpisse, idque muneric ob senilem ætatem dimittere debuisse, ac denique Canopicum majoris Templi Comensis defunctum esse tradit Ballarinus. (2) Lapsus exinde intelligitur Auctori vitæ Joannis Antonii Vulpii in editione *Carminum Vulpiorum fratum*, Patavii 1725, cum ibi dicit Antonium Mariam Vulpium suorum fratrū natu maximum fuisse.

(2) *Croniche di Como* pag. 252.

## E P I S T O L A XIV.

### JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Responsum petit,*

**E**x quo ad te dedi per Nuncium & mihi, & tibi notum duos *Reprehensionum* in Nizolium libros, nihil unquam a te literarum mihi redditum est. Quare sit, ut valde mirer, cum præsertim ego interim & *Historias Arluni* transmittendas curaverim, & sœpius tibi scripserim. Admirationem tamen meam non parum imminuit tuarum maximarum occupationum recordatio, nam dum rei literariæ gnaviter incumbens exornandæ, nullum tibi datur tempus vacuum, ita ut ad quoscumque scribere possis. Sed tamen vellem, ut quam primum aliquid literarum ad me dares, ut plane intelligam, an & Majoragio, & Arluno sis satisfactus. Nam Majoragius, cum hæc scribebam, de iterum transcribendis *Reprehensionum* libris cogitabat, ut diutius eorum publicatio non tardaretur, cum tempore ipso prematur. Sed tamen est a me ipso impeditus, quod dixerim non esse dubitandum, quin libros illos sub prælo tuo habeas, quanvis nihil nos admonueris. Constituit itaque adhuc aliquot dies expectare. Quod autem attinet ad Arlunum, vellem protu in me amore, ut cum primum licuerit, admoneres, quid facere institueris, ut huic nobili viro verba dedisse non videar. Hoc te etiam atque etiam oro. Vale, Mediolani, Idibus Julii MDXLIX.

## EPISTOLA XV. (a)

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *Pro eadem responsione urget.*

**P**O STEAQUAM ex tuis literis cognovi te valde cupere, ut M. Antonius Majoragius libros suos tibi excudendos daret, nunquam eum & hortari, & orare destiti, ut illud curaret. Quod, cum multa de tuo erga eum animo, & de tua in excudendo & elegantia, & diligentia ei pollicitus fuisset, tandem obtinui. Quare factum est, ut is Gryphium, quem ad omnia sua commoda paratum, atque accinctum esse sciebat, rejecerit, cum nequaquam dubitaret, quin operam ei tuam, quemadmodum cupere videbare, praestares. Nunc vero ille & de te conquerendi, & me increpandi nullum finem facit, cum ex quo tempore ad te transmisit duos *Reprehensionum* in Nizolium libros, (agitur enim octavus mensis) nihil unquam illum admonueris, quid facere in animo haberet, cum ipso tempore premeretur, ut quam primum ederentur. Nam quanvis non ignarus sim, te multis occupationibus opprimi, ne dicam distringi, adeo ut tibi non liceat unicuique statim satisfacere, debebas tamen saltem nos tribus verbis interim admonere, te cum primum licet, impressurum, aut, si non placuisset, libros nobis remissurum. Quorum neutrum cum haec tenus feceris, pueris suis amanuensibus rursus transcribendas tradidit *Reprehensiones*, ut tandem invulgenter ab alio, nec tuam amplius expectet operam, qua se usurum arbitrabatur non solum in iis, quae perpolavit, sed etiam in iis omnibus, quae multa sunt, quae instituit: qui quaqvis jam ex majori parte sint transcripti, precibus tamen meis adductus curavit, ut is, quem ad te venturum sciebat, te conveniret, hasque literas tibi non solum daret, verum etiam coram ipse intelligeret, quid aut factum sit de libris, aut facere institeris, ut nulla tibi prorsus relinquatur excusatio, utque si edere non curas, ei integros reddas, ut nobis remittantur. Nam si illos aut sub prælo haberet, aut brevi saltem edere cogitares, esset quod Majoragius a describendis libris desisteret, & factum non mutaret. Sed quod de Majoragio ad te scribo, idem fere tibi de Arluno scribere possum, cuius fratris historias, cum mense Martio ad te transmiserimus, ut illas cognosceres, quemadmodum te velle scripseras, nihil

(a) *Responsio Oporini est apud Gudium pag. 269.*

nobis unquam significasti; unde nobilissimus ille vir, fratri immortalitatis cupidissimus, fieri certior posset, quid facere cogitares, cum tamen ego illi pollicitus fuisse, te sine dubio curaturum, ut paulo post sci-remus, an historiam illam edendam judicares. Quapropter habet itidem in mandatis mercator hic, ut eum admoneas, quod ad historiam attinet, ut tandem Arlunus, quid facere decreveris, cognoscat. Quæ cum ita sint, Oporine, unum illud te etiam, atque eriam oro, ut dum adhuc datur, efficias, si modo licet, ne viris istis præclarissimis quicquam de te pollicitum fuisse me, unquam pæniteat. x. Kal. Septembri MDXLIX. Mediolani.

## E P I S T O L A XVI.

GASPARI BARCHINO (I) S. P. D.

**ARGUM.** *Tum suam, tum Majoragii operam in re Barchini non defuturam spondet. Jocatur de debito, quo erga se hic ipse obstrictum fuisse, dixerat.*

**N**EMINI dubium esse debet, quin tuæ mihi literæ gratissimæ fuerint; cum enim eas legi, visus sum iterum te præsentem audire, nostramque illam jucundissimam consuetudinem resarcire, et tamen fuere gratiories, quod mihi Andreæ Marachii (*a*) juvenis ornatissimi, Simonem Fratrem commendabas, quem si tam nobis ex animi sententia res cessisset, quam sumus ei gratificandi studiosi, jam Mediolani videremus. Sed quod antea diligenter quærentibus nobis se se non obtulit, id quia brevi nanciscamur, non est dubitandum. Sed his temporibus nihil, mihi crede, præstari potest, quibus nobiles homines rus secesserunt, ubi non de Musis quicquam cogitant; sed potius quod Bacchum in casis condant, rationem ineunt. Peractis igitur vindemiis, & ego, & Majoragius omnem euram, & diligentiam nostram adhibere huic rei constituimus, ut tandem habeamus illi paratam docendi provinciam, cui innixus strenue in literas incumbat, quemadmodum, quod brevi futurum spero, apertius cognosces ex ipsius Majoragii literis, quas ad te dare instituit. Quare non est quod arbitrere, Majoragium ejus literis responsorum non esse, tandiu enim responsum dare differt, donec ita scribas, ut probe tibi satisfactum esse dicas. Sed hactenus de nostro erga Marachium studio. Nunc volo ad tuarum literarum principium regredi, tibique paucis respondere. Illud enim dicis, te tantum mihi de-

(e) Andreas Marachis, seu Marachius Pontremulensis, Medicinae professor Ticini fuit an. 1568. V. Jacobum Parodium, Elench. Act. Ticinensis Studii.

bere, quantum persolvere non possis, quod si ita se se habet, non est, quod mihi rem domesticam tenuem esse conquerar, cum a bono nomine multum pecuniarum possim exigere. Sed vereor, ne eadem de causa, qua tu mihi, ego tibi tantundem debeam. Tu enim ideo te mihi debere existimas, quod una mecum familiariter vixeris. Quod si ita est, non minus ego, quam tu obseratus sum: adeo ut si uterque & expensi, & accepti rationes subducatur, nihil sit facturum reliqui, quod alteri persolvat. Sed haec joco. Ego vero quod mihi te debere dicas, quodque me laudes, id omne & urbanitati, & humanitati tuae tribuo, simulque tuum istum in me animum exoscular. Vale, Pridie Kal. Septemb. Mediolani.

Cum has literas signasse, expectaremque opportunum Nuncium, allata est ad me altera tua epistola priore brevior, ad quam ideo tibi nihil respondeo, quia nihil est in ea, quod in priore non scripsieris. His tamen literis hos sex versus inserui, ut eam perlatam esse intellegeres.

(1) Qui Laudensis patria, ac Potestas, seu Praetor fuit Mediolani anno saevientis hic luis 1577. V. Gasparem Bugatum. (a) Bernardinus Baldinus (b) eundem laudat inter JCC. suae etatis, qui philosophia, ac humanioribus litteris se delectabant. Pariter in Barchini obitu carmen legitur ejusdem Baldini. (c) Extat ad eundem Barchinum M. Antonii Majoragii epistola. (d)

(a) *I fatti di Milano al contrasto della Peste l'anno 1576, & 1577. Mediolani per Fratres Poatios in 4. 1578. quam editionem ignoravit Argelatus.*

(b) *In Professione ad lib. 6. Philosophia Aristot. veribus expressa.*

(c) *In Lufibus pag. 91.*

(d) *Lib. 1. Epistol. Question. pag. 46.*

## EPISTOLA XVII.

ANDREÆ CAMUTIO PHILOSOPHO S. P. D.

ARGUM. *Cur Mediolano non scripsérit. Quædam de Ferdinando Abdensi, & M. Antonio Majoragio.*

**N**isi me causa quædam non omnino levis impeditisset, ego certe non passus fuisset ut ex quo in hanc nobilissimam Civitatem immigravi, nihil omnino literarum ex me habuisses, sed sèpius quibuscumque de rebus, & quocunque modo potuisset, tibi scripsisset. Sed ne forte quicquam mali suspiceris, quoniam dixi mihi nescio quid haftenus persuasisse, ut te tandiu sine meis literis esse paterer; quid ejus reæ in causa fuerit, dicam. Nolebam sane tibi literis omnino levibus obla-

trare, sed expectabam occasionem aliquam, quæ ejusmodi esset, ut si eam arriperem, non admodum inanes ad te literas dedito viderer; ea vero tandem mihi oblata est. Sed hic videre te videor attente expectare, quid tibi sim nunciaturus. Quare ne spes hæc te fallat, qui forte arbitreris a me tibi quicquam scitu dignissimum scriptum iri, & ne ego tibi verba dedito videar, me præmunio, & polliceor quidquid scripsero fore quidem tibi gratum, licet non ita grave sit, ut tua dignitas postularet. Tu vero rideas licet meas inceptias, qui te hucusque nugis protraxerim, ut scilicet cognoscas, quod est tibi notissimum; hoc enim illud est, quod tibi nunciare constitueram, nempe Ferdinandum Abduensem, (1) Jure consultum valde nobilem, tui esse studiossimum, quam quidem rem cum ego cognovissem, omnem movere lapidem cœpi, ut eum eo gratiam inirem, quod mihi feliciter successit, adeo ut, quanvis in literis parum adhuc intelligam, proximis tamen diebus libellum quendam suum, ita me Deus amet, elegantem a librario descriptum, meæ censuræ subjecerit. In eo autem libello (2) Christophorum Mandruccium Tridentinæ Civitatis Principem propter egregias animi dotes, summasque virtutes ad Cœlum ferebat, idque non solum oratione soluta, sed etiam multis carminibus. Intra autem ea duo erant, in quibus ille tui mentionem faciebat, quæ, nisi me fallit animus, erant hujusmodi:

*Hoc mihi saepe meus retulit Camutius, arteis  
Mirandas tecum dum canit ille tuas.*

Sed haec tenus de Abduensi; noster vero Majoragius tanti te facit, quanti meritò debet. Is scribere instituit libros aliquot epistolarum (a), quarum quælibet quæstionem aliquam complectatur. Earum vero nonnullas sub tuo nomine apparere velle constituit, quod eò libentius faciet, quod eam rem tibi non injuncundam fore arbitretur. Habet a me epistolam, quæ si ea non est, quam expectares, cogites velim, me longioris taciturnitatis impatientem inaneis potius, quam nullas tibi mittere literas satius existimasse. Vale, III. Nonas Septembr. Mediolani. Salutem dic Patri, & Fratri tuo, (b) viris ornatissimis, quibus, quenadmodum & tibi, tantum debedo, ut solvendo futurum me nunquam sperem.

(a) Majoragii *Epiſtolicarum Quæſitionum* libri II. Mediolani per Moschenium impressi fuere in 4. 1563.

(b) Andreæ Camutii pater fuit Franciscus, de quo pag. 68., ac frater Albertus, de quo epift. 20. lib. 8.

“ (1) Qui Mediolani Illustris Patricius fuit, ac varia typis impressa reliquit, quæ videlicet apud Argelatum. Oratio autographa Francisci Alciati, postea Cardinalis pro cooptatione in Collegium Ferdinandi Abduensis, servatur in Archivo Belgiojoliano, ubi multa sunt eruditissimi illius Cardinalis autographa opera.

Ejusdem Ferdinandi Abdvensis *Oratio pro jure civili contra Jurisprudentia vituperatores* una cum adjectis epigrammatibus, Venetiis apud Aldum 1546 in 8., eademque *Oratio sine epigrammatibus* impressa Bononiae per Bonardum in Bibliotheca Braydensi extant. Hanc tantum orationis editionem omissa alia enuntiat Argelatus, ubi de Ferdinando Abdua; quamvis tamen, quum sermonem habet de Andrea Alciato, ibique carmen indicat Abdua ad Alciatum, priorem illam orationis, & epigrammatum Abdua editionem commemorat, fere ac antea loco suo, ubi de Abdua libris, indicaverit. Epistola \* ad eundem est Lucæ Contilis inter epistolas italicas hujuscce Vol. I.

(2) Ferdinandi Abdvensis Carmen ad Madruccium Mediolani excusum est anno 1563 Kal. Novembris. (a) Carmen istud in Ambrosiana Bibliotheca inspexi, eidemque adjunctum epigramma \* animadverti Majoragii in laudem Ferdinandi Abdvensis. Christophorus Madruccius Tridenti Patriæ suæ Episcopus fuit, idemque Princeps, creatusque Cardinalis a Paulo III., tum etiani Mediolani Praefecturam obiit Philippi II. Hispaniarum Regis vices gerens. V. Ughellum, Cianonum, *Museum Mazzuchellianum*, ubi tria ejus numismata.

(c) Vide Argelati *Biblioth.*

## E P I S T O L A X V I I I .

### B A S I L I O F E R R A R I O S . P . D .

**A**RGUM. *Gratias de numismatibus agit pro Stephani Filii ejus instituzione sibi missis. Stephani hujuscce litteras proprio Marte ab ipsomet fuisse confectas affirmat.*

**A**D IV. Kalend. Septemb. ex te mihi redditæ fuerunt literæ, non solum verborum, & sententiarum pondere, verum etiam argento graves: quæ quām mihi gratæ fuerint, cogitatione complecti longè facilius, quām ullis verbis satis assequi me posse considerem. Declararunt enim illæ, quod vehementer mihi exceptandum fuit: tibi satis notum esse, me non parum laborare, ut Stephanus noster in literis proficiat. Quod quoniam te agnosceré video, tibi etiam illud persuadeas velim, me imposterum nequaquam defuturum Stephano, donec & me duce ibi sistatur, quod eum pervenire & tu, & reliqui omnes, a quibus amatur, valde cupitis. Quod vero dubitas an suo ipsiusque, quod ajunt, Marte literas, quas mittit, componat; idque fortasse te, pro tuo erga illum amore, sollicitat, fieri non potest, quin hoc mihi molestum sit. Nam, si mihi quicquam fidei adhibuisses, jam tibi scrupulum hunc exensem. Cum non semel atque iterum & jam fortasse tertio te de profectu Stephani admonuerim, in coque tecum sane quam libere egerim, nihil erat amplius, quod de ea re dubitares. Hoc tamen ideo æquius fero,

quod noverim eorum, qui aliquos vehementer amant, consuetudinem: semper enim sollicitudine, atque anxietate quadam detinentur; sed tamen magni refert cogitare, quibus eum, qui tibi carus est, commiserris. Nam quemadmodum futurum illud magnæ mihi laudi auguror, si Stephanus & per me quicquam profecerit, cum ei Majoragius, instituenda juventutis verus, atque ingenuus artifex, nusquam desit, hortetur, edoceat: ita valde turpe esset si te velle inani spe lactare, adeo ut literas ego ejus nomine invenirem, dictarem, ille literas quascumque ex eo legis, exciperet, & pro suis mitteret. Adest quotidie Jacobus Abduensis Presbyter, ejus avunculus, cuius curam, & studium erga ejus institutionem mirari soleo. Est enim pene incredibile, quam sit hujus rei diligens. Videt hic quid fiat, convenit, alloquitur, rationem, atque constitutum nostrum omnem novit. Quare fit, ut, quemadmodum plane falleretur, si quisquam crederet literas ejus, quas tu sub nomine Stephani legis, aliunde quam ex ejus officina prodire, ita, si ego illum a me nihil adjuvari affirmarem, splendide mentirer. Sed volo plane intelligas, si modò tibi gravioribus negotiis occupato non ita molestum est, quo pacto in componendo mea utatur operâ, ut scias, an ejus literis possis fidere, an illæ testes sint ejus, an cujusquam alias eruditionis. Accedet ad me Stephanus, & dicet: volo ad Basiliū scribere; ego vero, quid inquam scribes? quare ille statim mihi paucis explicat quid significare instituerit. Raro accedit, quin mihi probanda sit ejus inventio; aliquando tamen illum admoneo, ut aliquid addat, aut immutet, aut etiam adimat, quod, ut verum dicam, in dies feriorius. Mox literas scriptas adfert, laudo quidquid in eis bene repuit, contra vitupero, si quid non recte cohæret; quin etiam quod elegans est, quomodo elegantius, & convenientius reddi possit edoceo. Hoc vere latinum est, nec illud abhorrent boni Scriptores, potest tamen hoc, atque illo modo idem melius dici; rursus hoc barbare dicitur, illud probati Authores respuunt. Cæterum si quid est quod orthographia legibus non obediatur (nam in hoc facilis est cujuslibet fere scribentis lapsus) corigo, atque admoneo, hic addenda erat aspiratio, contra illuc supervacanea est; atque hic geminanda erat consonans, illuc verò simplex reponenda, & reliqua id genus, quæ hoc tempore in ejus literarum perpaucis locis usu veniunt. Habes quomodo Stephano in scribendis epistolis sim adjumento; quod eò pluribus tecum agere volui, ut tibi persuadeas illum parum quidem hactenus profecisse, sed quicquid profecit, ex ejus epistolis, qualescumque sunt, te vere posse cognoscere. Ego vero quicquid id est, quod possum (nam sane quam

quām parum est) Stephano meritō præstare debo, cum videam quām gratis animis accipiatur. Imo vero, Basili ornatissime, non video, quomodo tuis erga me meritis par esse possim. Unde enim tibi in mentem venit? quidve promerui, ut me hoc tempore tam pulchro ornares munere? quasi non satis superque a te aliàs donatus fuerim. Evidem non erat, quod amplius tuum erga me animum muneribus declarares, satis enim id superioribus diebus præstiteras. Ego, ut verum dicam, pro pudore meo, meaque verecundia oblatum munus libenter recusafsem: nolbam enim plus tibi debere, quām solvendo esse possem, nisi (quæ tua est liberalitas, atque humanitas) id te nequaquam probatum intellexisse. Quod cum ita sit, maximas tibi gratias & habeo, & ago; tua namque quatuor hæc præclari operis numisnata tam cari mihi sunt, ut nihil magis esse possit. Nam, si quando evenit, ut amicorum meorum aliquis mihi dono det unum, atque alterum antiquum ex ære numisma, in quo impressa sit Augusti Cæsaris, aut Claudi Tiberii Neronis, aut alias cujusquam Romani Imperatoris effigies, omnibus lætitii incedere soleo. Si quid enim me post literas delectat, pictura, sculptura, & conflatura delectant. Sed cum tua numismata ea sint, ut vere affirmare possim, me nihil in eo genere unquam vidisse pulchrius (possunt enim & conflaturæ nobilitate, & signorum pulchritudine cum antiquis illis & certare, & longe excellere) quid faciam? quantum læter? Certe, si mihi regium munus aliquod misisses, hoc mihi gratius nequaquam esse potuisset. Quid? in illis erant Ethnicorum Principes imagines, nostrum vivendi institutum nescientiū; in his vero Christi ipsius Servatoris, Petri, & Pauli Apostolorum, & Pauli III. Pontificis Maximi effigies cernuntur. Tantò itaque mihi & gratiore, & cariores sunt tui nummi, quantò majoris æstimanda sunt ea, quæ nobis sancta, quām quæ profana repræsentant. Accedit, quodd illi præter inanem conflaturam, qua pascas oculos, nihil habent, quod aut utile sit, aut jucundum, utpote ex ære perfecti, tui vero nummi, præter operis elegantiam, quæ cujusquam oculos posset detinere, ex ea sunt materia, ut & expendi, & ad usum domesticum traduci possint. Postremò & aliquid dignitatis ideo debet illis accedere, quodd a te profiscantur, quem cùm propter singularem erga me benevolentiam, tum propter summas virtutes, egregiaque animi ornamenta vehementer & colo, & observo. Est istic Hieronymus Vulpius (1) Novocomensis, juvenis ornatissimus mihique amicissimus, cui, si forte nosti, salutem dicas oro; si tamen id sine tuo incommodo fieri potest. Vale, xiv. Kal. Octobris  
MDXLIX. Mediolano.

Ec

(1) Frater fuit Joannis Antonii Vulpii, de quo supra epistola 9. hujus, ubi & ejusdem Hieronymi laudavi distichon. Utriusque, seu Antonii, seu Hieronymi Vulpiorum Carmina simul impressa sunt, Patavii 1725 una cum aliis carminibus Jo. Antonii Vulpii junioris, aliorumque eruditorum. Varia jam antea, ac sparsim legebantur dicti Hieronymi Carmina, nempe tom. 1. *Delic. Poet.*, Pauli Jovii *Elog.*, *Collect. Toscani*, & in *Carminibus Nobilium Mediol.*

## EPISTOLA XIX.

GASPARI BARCHINO S. P. D.

**ARGUM.** *De oblatā cuidam docendi provincia.*

**C**REDO tē memoria tenere, me superioribus diebus tibi scripsisse Majoragium vehementer gratificari cupere Simoni Marachio, cumque cum tua, tum Fratris ejus causa valde commendatum habere. Quod cum ita sit, nunquam cogitare destitit, quomodo id re ipsa declararet; quare tandem oblatus est, qui velit uti Simonis opera in instituendis filiis, unde Majoragius sperat fore, ut ille quod cupit, assequatur. Sed quid illi faciendum sit, attende. Ego enim tibi ejus amantissimo scribo hęc Majoragii nomine, qui mehercule ipse tibi eadem scripsisset, nisi res in hoc tempus incidisset, quo distringitur occupationibus. Cum primum Simon audierit Gonzagam (1) Mediolanensium Principem esse Placentię, cumque reverti Mantua, quod nunc profectus est, eō se conferat, & conveniat Mutium (2) Justinopolitanum, hominem nobilissimum, atque eruditissimum, quod non erit factu difficile. Is enim est inter nobiles eos homines, qui Principem comitantur, & propter egregia ingenii sui monumenta est notissimus. Cum igitur eum adierit, rem narret, dicatque se literis Majoragii admonitionum ad eum accessisse, qui sciat esse nobilem virum quendam, qui se uti velit in edocendis filiis; adjungat etiam reliqua, quae ipse per se dicenda intelliget. Quod si Placentiam ire non placuerit, aut fortasse Mutium illic non invenerit, exspectet donec Princeps huc revertatur, & ad nos advolet. De hoc enim ita inter Majoragium, & ipsum Mutium convenit. Habes igitur, quid Marachio sit agendum, si is adhuc cupit esse Mediolani, & hęc literis operam dare; nam si cui operam suam addixit, me commoneat, sed de hoc ille deliberabit; tu vero cum hac de re certiorem quam primum facies. Vale, iii. Idus Octobris MDXLIx. Mediolani.

(1) Scilicet Ferdinandum Gonzagam Federici Ducis Mantuae fratrem, & Caroli V. Cæsaris summum bellum Ducem, ac Gubernatorem Mediolani, cuius nu-

misma est in *Museo Septaliano*, ejusdemque vita typis edita est Mediolani 1574 auctore Juliano Goseino. Latinam autographam Ferdinandi Gonzagæ epistolam vidi in Belgiojosoano Archivo ad Franciscum Sfondratum scriptam 1539.

(2) Nempe Heronymum, cuius brevem exhibit vitam Jo. Thomas Rocaberti in *Bibliotheca maxima* tom. 13., ubi ejusdem opus extat *de Romana Ecclesia*, atque hoc tantum, si fides habenda Rocaberto, latine conscripsit Mutius; cetera omnia, quæ vulgavit ingenii sui monumenta italico patro sermone exaravit. Addictus primò fuit Mutius Aulæ, & obsequiis Alphonsi Davali Marchionis Vasthi, dein Aulicis se adjunxit Ferdinandi Gonzagæ, tum verò curator, rectorque fuit junioris Principis Urbinate, postea Francisci II. Ducis. (a) Plura de Mutio sparsum dicta reperies in Epistolis Apostoli Zeni, & apud Justum Fontanini. (b) Mutii vitam literis consigilare cogitaverat Zenus, atque in id multa jam collegerat nionumenta; verùm adversa valetudine, senioque affectus consilium suum ad exitum perducere haud potuit; quæ verò ad ejus vitam sibi conflandam paraverat, Cl. viro tradidit (c) Comiti Excmo Joanni Rinaldo Carli ab intimis Consiliis Josephi II. Augusti, & Magistratus Cameralis emerito Præsidi, a quo in manus deuererunt Hieronymi Gravisi, qui plura nionumenta collegit circa litteratos viros Istriæ, sicuti præstitere Vergerius, Sanctori-Sanctorius, & alii.

(a) *Tirabosch.* tom. 7. part. I. *Letteras. Ital.*

(b) *Dell'Eloquenza Italiana.*

(c) V. Zeni *Lettere*, ac præfertim ultim. lib. 2.

## E P I S T O L A XX.

ANTONIO VULPIO J.C. S. P. D.

**A R G U M.** *Duos minit libros, quorum alterum Jovio tradendum mandat.*

**N**UPER ex Helvetia huc ad nos allata sunt *Reprehensiones*, quæ nunc primum a Majoragio nostro contra Nizolium eduntur. Eas ego, quoniam satis dignæ visæ sunt, quæ a te legantur, ad te mittere non dubitavi, & duobus quidem exemplis conscriptas, ut & Jovius (1) patriæ nostræ verum decus ac ornamentum, quem istic esse audio, novum librum habeat, cui legendo, si tamen ei a scribenda historia quæ sine dubio immortalis est futura, parumper animum avertere voluerit, aliquot horas impendat. Quod si fecerit, se quoque in illis honorissime appellatum esse cognoscet, licet quantum ego intelligo, in eo sibi non satisficerit Majoragius, quod speret brevi futurum, ut & opportuniore loco, & tempore meritis laudibus doctissimum Jovium prosequatur, in eoque suum erga talem ac tantum virum apertius animum declareret. Ego vero, pro mea erga hunc ipsum observantia, moleste tuli, quod cum superioribus diebus a Gonzaga Mediolanensium Princepe hic hospitio suscepimus esset, ego ad eum accedens nomine Majo-

E e ij

ragii, qui tum forte adversa valetudine impeditabatur, nescio quem hujus libellum obtulisse, longiori sermone apud eum uti non potuerim, ut licet tenuis, aliquo tamen pacto declarasse, quantum eum amem, colam, & observem. Sed, quod tunc mihi non licuit, aliquando tamen, si Dii probabunt, concedetur. Thomæ Cicereio nostro s. d. Vale, Mediol. xvii. Kal. . . . MDL.

(1) Jovius, quem historicum, & in vivis agentem hic commemorat, certe est Paulus, nam Benedictus ejus frater, historiæ Novocomensis auctor, anno eo, quo hæc scripta Epistola, dies suos obierat. V. superius p. 118. Paulus vero ad annum usque 1552 vixit. Tatti Decade 3. pag. 627.

## E P I S T O L A XXI.

ANDREÆ CAMUTIO PHILOSOPHO S. P. D.

**ARGUM.** Quemadmodum Andreæ Camutii Filius litteris se exerceat, tum de libro, quem mittit.

**R**ESPONDISSEM jam antea tuis diteris, quas una cum Eugenio (1) filio tuo libenter vidi, nisi arbitratus fuisset tibi multò gratius futurum si non statim rescriberem: me quæcumque velles, sedulò curaturum, & tuum mihi Filium tantæ curæ, quantæ debet esse, futurum; hæc enim tum erant scribenda, sed potius serius admonereris, jam hæc, quæ cuperes, curari diligenter. Has igitur literas, non sine causa in hunc usque diem distuli. Quare jam tandem quid agat Eugenius filius, ex eis cognosce. Is enim in latinis literis tantum, quando tu ita vis, exercetur. Habet itaque præ manibus treis præstantissimos latinæ linguæ authores, Terentium, M. Tullium Ciceronem, & Virgilium, quibus magistris, nobisque ducibus profecturum tantum in literis eum speramus, ut nec te unquam pœniteat, quodd ipsum meæ fidei commiseris, & eam ille sibi comparet eruditionem, ut aliquando ex his castris emissus tale de se specimen præbeat, ut eum sub Majoragio institutorum omnium nostri temporis facile principe meruisse liquido appareat. Sed de hoc plura scribam aliàs. Nuper ex Joannis Oporini nostri prælo huc allatæ sunt ad nos Majoragii *Reprehensiones* contra Nizolium editæ, quas, quoniam mihi dignæ visæ sunt, quæ a te legantur, ad te mittere volui, cùm præsertim in eis Majoragius te sane quām honorifice appellari, (a) idque meritò fecerit, cum is sis, qui, cùm propter

(a) Ibi scilicet libro 2. cap. 13. in fine.

singularem probitatem, tum propter summam multarum scientiarum cognitionem ab omnibus bonis & amari, & observari merearis. Ego profecto si nactus fuisset aliquot exempla (tantum enim viginti, quæ vix sufficiunt donandis Italis rei literariæ principibus, ipsi authori adhuc transmissæ sunt) hujusmodi opere aliquot istic amicos donare decreveram, quos sciam avide & legere, & vehementer probare quæcumque a Majoragio nostro proficiuntur, quod quoniam non licuit, te oratum velim, ut, cum primum tu illud legeris, iis, quorum nomina epistolæ subjungam, legendum concedas. Sed quodd hic de Patre, & Fratre tuo amantissimis nullam mentionem faciam, non est quod mireris, cùm enim tibi a me quicquam scribitur, non vereor, quin idem illi sibi quoque nunciari literis arbitrentur. Vale, Mediol., XII. Kal. Febr. MDL.

(1) Is verd fuit, qui cum Ecclesiastice vitæ se dederit, ad eum honoris gradum ascendit, ut Bobiensis Episcopus electus fuerit a Pio V. an. 1568. 19 decembris, & Romæ, ubi obiit anno 1602, sepulturæ datum est. (a) Fallitur autem Ballarinus (b) tum in eo, quo inauguratus Episcopus fuit Eugenius, adsignando tempore, tum in notatione anni, quo ex hac vita cessit, tum etiam in signando tumuli loco; nam electum Episcopum ait a Gregorio XIII., [quod & perperam afferit Argelatus] (c) mortem vero oppetiisse tradit anno 1596, & in Bobiensi majore templo tumulatum fuisse.

(a) V. Ughellium *Italia Sacra* tom. 4. & Tatti pag. 664. Decade 31.

(b) *Croniche di Como* pag. 197.

(c) *De Scriptoribus Exteris* pag. 2076.

## L I B E R O C T A V U S.

### EPISTOLA I.

ANTONIO VULPIO J.C. S. P. D.

**ARGUM.** *Lætatur grata fuisse, quæ miserat, exopeatum a Vulpio librum reperire haud potuisse, inquit, quem librum subdit conviciis quidem abundare, desitutum autem rationibus.*

**N**ON possum non vehementer lætari, cùm videam vel levia quædam tibi, quoniam a nobis missa sunt, esse grata. Nihil enim magis cupio, quam tibi, cuius summas virtutes jandiu suspicio, aliquo modo gratificari, & arrepta occasione declarare, quantum te propter egregia animi tui ornamenta colam, ac observem. Verum, cum jam hoc assequi videar, mihi ipsi gratulor, & humanitatem agnosco tuam, quæ tanta

est, ut etiam in re levissima id mihi dare nequaquam dubites, quod ego magno aliquo beneficio venari conatus fuisset. Quod igitur tua mihi morum facilitas hactenus dedit, libenter accipio, donec aliquando tuam in gratiam aliquid efficiam, quare me illo præmio dignum judices, qui in tuorum amicorum numero sim habendus; sed quod præterea me usum erga te liberalitate dicas, ideoque mihi gratias agas, ego id omne tuis candidissimis moribus condonandum arbitror: meum enim est, non tuum tibi ingenteis gratias agere, & habere. Cæterum illud quidem mihi molestum accidit, quod Nizolii *Antapologiam*, quam petis, tibi mittere, non possum; eam enim neque ego habeo, neque eorum quisquam, quibuscum in hac urbe mihi magnus est usus: quin etiam quæsivi de Bibliopolis omnibus, an illis esset, & nullum unquam ejus exemplum inventum est; atque ea de causa tibi fortasse serius scribo. Sperabam enim fore, ut a Bibliopolis saltem eam acciperemus, cum tamen ejus libelli nomen ne nosse quidem se ingenue fateantur; ego vero memini me aliquando, hanc, de qua loquimur, *Antapologiam* legere, (1) idque antequam eam una cum *Reprehensionibus Majoragii* imprimendis Basileam transmitteremus. Ea profecto mihi visa est talis, ut vix tolerabiliter legi possit, adeo contumeliis undique scatet. Quid? nonne in ipso primo ejus versu Nizolius Majoragium, virum, quemadmodum & in aliis, ita etiam in potu sibi valde temperantem, ebrium appellare audet, & in eum paulò post omni contumeliarum genere debacchatur? Quem ille tenorem fere usque ad finem in eo servat opere, ut maledictis potius, quam rationibus certet. Quod quam ab homine literato alienum esse debeat, omnes intelligunt. Quod eò dico, ut minus doleas, si ea tibi fuerit carendum. Evidem (quod ad me ipsum attinet) summopere optarem, ut illa alicunde corraderetur, atque tibi traderetur. Nam ex ejus lectione cognosceres non levem fuisse causam, quæ Majoragium ad scribendum impulerit, & ejus modestia longe major appareret, cum pro Nizolii meritis multò acrior esse debuisset: quæ omnia a me libere dici velim arbitraris. Quanvis enim Majoragium, quemadmodum debeo, & amem & plurimi faciam, non tamen ita affectionibus me vinci patior, ut in hac re longe fallar, neque meus erga ipsum Majoragium amor me impedit, quod minus manifeste videam, uter eorum laudandus, & jure victor sit, quod provocatus nihil, quod responderit, non comprobarit firmis rationibus, atque argumentis; an contra vituperandus, & meritò dare manus debear, cum nulla lacesitus injuria inimice agere cœperit, & multa scriperit, quæ nullis, aut certe paucis, iisque imbecillibus rationibus con-

firmata contumeliosis verbis refererit. Nam illud sane quam manifestum est, eorum alterum ita in animum induxisse suum, ut maledictionibus potius quam rationibus, si posset, vinceret; alterum contra veritate ipsa in arenam descendere, seque ipsum, quantum datur, ea protetum tueri, ac defendere. Quae omnia multo melius apparerent, si *Antapologia* ipsam cum *Reprehensionibus* conferre posset, idque aures tuæ paterentur; novi enim quam non libenter tui similes eos legant libros, in quibus *charta* (quod ajunt) *dentata*<sup>(a)</sup> res agitur. Hæc eò longius tecum egi, ne nihil ei epistole tuæ parti, in qua tu de his agebas, responderem. Majoragium tuo nomine salutavi, quod ei gratum fuit; ideo te resalutat. Tu vicissim mihi & Thomam Cicereum meum, & Fratres tuos salutabis, & opera mea, quotiescumque tibi commodum fuerit, uti libere memineris. Vale, xiv. Kal. Martii, Mediolano.

(a) Ciceronis locutio lib. 3. ad Quintum fratrem ep. 14..

(1) Legere pro legisse, sicuti Cicero memini dicere inquit pro dixisse Verri na VI. hoc memini dicere.: idemque de Legibus: primò juri studere te memini.

## EPISTOLA II.

### JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *De absoluta Reprehensionum impressione gratias agit, quid de Arluni Historia statuendum censeat, scire optat.*

ACCEPI tuas literas, & eas quas tu Francofordia (a) dederas, & quas una cum xxx. *Reprehensionum* exemplis misisti. Quarum prioribus nihil ideo rescripsi, quia nihil opus erat; jubebas enim me expectare *Reprehensiones*, quas brevi te absolutum esse pollicebaris, quod postea in posterioribus præstitisti, quæ Basileæ Idib. Octobris scriptæ, non ante xvii. Kalend. Febr. mihi redditæ fuerunt. Quare & ego, & Majoragius tibi eas, quas debemus, gratias agimus, quod utcunque licuerit, nobis satisfeceris. Nam eti multa sunt in illis *Reprehensionibus*, quæ te absentem fuisse declarant; tamen cum excusationem tuam, qua usus es, libenter accipiamus, ea omnia æqui bonique facimus, speramusque fore, ut ea, qua soles, diligentia utaris, ubi ea tibi trididerimus invulganda, quorum editione neminem te offensurum esse suspiceris. Eorum autem jam aliquam partem accepisses, si literas tuas,

(a) Quas vide apud Gudium pag. 169.

quas ad Majoragium te missurum pollicebaris, vidissemus, ex quibus is plane intelligeret, quid ex suis lucubrationibus potissimum hoc tempore velles prælo tuo subiucere; sed cum adhuc nullæ ad eum perlatæ fuerint, nolui ego prætermittere, quin saltem interim admonereris, nobis probe pro tempore satisfactum esse, & quicquid a te in hac re curatum est, nobis gratum evenisse. Cæterum quoniam Arlunus maxime cupidus est intelligendi, quid de Fratris sui *Historia* statuendum censeas; mihi gratissimum feceris, si cum primùm ad nos scribere volueris, me de eo plane admonueris. Constituit enim, si tu ejus editionem minus probaveris, ad Sebastianum Gryphium eam transmittere, qui, quemadmodum tibi alias scripsi, se illam excudendam curaturum jam est pollicitus. Majoragius tibi salutem dicit. Vale, Mediolano, Kal. Mart. MDL.

Quod hæ literæ tibi serius, quam par est, redditæ fuerint, ne mirere; id enim accidit ejus, quem Kalend. Martii ad te profecturum putabamus, negligentia, qui cum omnem ejus profectionis curam abjeccisset, eas, me omnino imprudente, hactenus detinuerit. vii. Idus Maji.

### E P I S T O L A III.

J O A N N I O P O R I N O S. P. D.

**ARGUM.** *Arluni Historiam prælo ne subjecerit, iterum petitz.*

**P**OSTRIDIE ejus diei, quo eas literas ad te dedi, quibus tuis, quas cum *Reprehensionibus* misisti, respondebam, invisi Franciscum Arlunum, virum optimum, & medicum excellentissimum. Quem cum non leviter ægrotantem ostendissem (eram enim hujus rei nesciens) non mediocriter dolui, præsertim cum morbum ei graviorem illud redderet, quod nihil adhuc intellexisset, quid a te de Fratris sui *Historia* constitutum esset. Ajebat enim ex componendis rebus suis nihil hoc gravius sibi videri, neque sibi quicquam molestius futurum, quam si prius fuerit excudendum e vita (est enim ut scio te intellexisse senio confactus) quam aut initium aliquod ejus excudendæ *Historiae* videret, aut saltem te, cum primùm liceret, eam editurum intelligeret; est enim, ut antea tibi scripsi, valde cupidus, ut Fratris sui nomen legentibus innotescat, & si fieri potest, perpetuò vivat. Hac de causa ille, quanvis tremulæ essent manus, & caput lecto vix posset attollere, tamen me præsente has tibi literas sua ipsius manu scribere voluit, quibus te etiam, atque etiam orat, ut se quam primùm admonecas de eo, quod facere

facere institueris, ne sibi forte obeundum sit, antequam quicquam de eo, quod maxime cupit, audiat. Quapropter licet superioribus literis de hac re satis tibi scripserim, & te facturum quicquid opus est, etiamsi nihil adjungerem, nequaquam dubitem; tamen, quoniam hujus præstantis viri desiderium me non parum movet, te oratum velim, ut si quid ego apud te possum, me quamprimum certiorem facias, an adhuc historiam illam, quam superioribus diebus te censuræ subjecisse scribebas, edere cogites. Hoc mihi, si feceris, gratissimum fore credas velim. Vale, pridie Idus Martii, Mediolano.

## E P I S T O L A IV.

## FRANCISCO CARRONENSI S. P. D.

**ARGUM.** *Litteris haud respondisse, quod minime acceperit. Quo tempore Mediolanum proficiunt Carronensis velit, significari cupit. De pifcibus gratias reddit.*

**T**ERNAS tu quidem jam ad me deditis litteras scribis, cum quæ tertio loco misisti, tantum hoc ipso die ante aliquot horas acceperim cum munere sane quam egregio, de quo tibi rescribam post. Prius enim de litteris tuis agendum videtur, mi Francise, ne cogites tuas ad me litteras, quenquam præter postremas attulisse. An fieri posset unquam, ut si quisquam mihi tuas litteras reddidisset, ego nihil tibi respondissem, quem merito & amo, & vehementer observo? Imo, nisi tot obruerer occupationibus, dum in his scholasticis exercitationibus versor, ut vix aliquando tantum temporis suppetat, quantum ad purgandas aureis sit satis, jam aliquot a me litteras accepisses. Itaque ne credas quicquam mihi literarum tuarum unquam esse redditum, ex quo ego istinc discessi, præter illam epistolam, quam Besnato ad me dedisti, cuius responsum te accepisse mihi significare videntur tuæ literæ, cum alicubi in eis sint hæc verba: *Quemadmodum & tu ipse liberaliter* (quod tuæ humanitatis fuit) *alias pollicitus es.* Sed cum postea nihil unquam de te audierim, credebam te sententiam immutasse, neque amplius quicquam cogitare de istinc emigrando. Sed cum te in ea adhuc perstare scribas, possum hoc tempore tibi idem respondere, quod antea, dum Besnati ägeres: ut scilicet me admoneas, quando te huc conferre cogites, & interim prospicium studiis, ac rationibus tuis. Qua quidem in re adjutorem habebo Majoragium nostrum, qui tantum

F f

abest, ut tui immemor sit factus, ut adhuc te valde amet. Huic quidem aded gratum evenit, quod sibi salutem dixeris, ut te iterum atque iterum resalutet. In summa, quin tuis rationibus sim faturus, non debes dubitare; licet enim cum hominibus nostri ordinis hic tenuiter agam, aliqua tamen ad ejus vitæ genus in te fiet accessio, idque propter ea, quæ præter mediocrem literarum cognitionem probe tenes. Sed de hoc jam satis. Quam vero mihi gratum fuisse munus tuum arbitraris? Primum enim hoc tempore, quo a carnibus abstinetur, hic pisces non possunt non esse gratissimi: deinde eos, ac tantos misisti, ut me non valde delectare non potuerint; sunt enim tincæ duæ adeo magnæ, ut alterutra sit bilibris, quod quidem piscium genus helveolis, nucibus tenuiter truciditatis, uisque passis fartum, multo pipere conditum, & in patellis demum operculo rectis lento igni coctum, magno mensis his delicatioribus ornamento esse consuevit, adeo ut mihi ipsi gratuler, quod in cœna apud Majoragium tui unius beneficio tale cibi genus jam jam mihi sit apponendum. Accedit quod is, quem misisti, adeo vivaces attulit, ut adhuc saltitanteis vix manibus containerentur, & ex tunc primum ex suis fontibus erepti viderentur; pro quibus tibi profecto gratias agerem, si satis dignas invenirem. Itaque interim animi mei gratitudinem boni consule. Vale, Mediolano, vii. Kal. Aprilis.

## E P I S T O L A V. (a)

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. *De Majoragii libris, deque Arluni Historia responsum petit*

**Q**UANTUM ex tuis ad me literis omnibus intellexi, semper mihi cupere libros Majoragii nostri typis tuis invulgare visus es. Verum id, si quando alias manifestum fuit, certe in his literis apparuit, quas cum xxx. *Reprehensionum* exemplis misisti. In his enim, te quam primum ad nos scripturum pollicebare, & admoniturum, quid ex Majoragii Musæo tibi depromi velles, quod elegantissimis formis tuis exprimeres; sed nunquam postea quicquam nobis ex te redditum fuit: cum tamen interim ego ad te sèpius scripserim, & tibi gratias egerim, neque de Majoragii erga te animo, atque *Reprehensionum* editione pauca verba fecerim. Ego tamen nullo pacto adduci possum, ut putem te aliquando non scripsisse, nosque tandiu esse sine tuis literis paucum fuisse: potest

(a) *Responsio Oporini apud Gudium: Non male*, pag. 170.

enim fieri, ut, quod non raro accidit, literæ tuæ fuerint ab aliquo interceptæ. Quoniam igitur, ut opinor, Tabellariorum negligentia hactenus literis tuis caruimus, curavi, ut Mercator hic, a quo meas literas acceperis, a te earundem responsum poscat, & quam primum transmittat. Nos enim cum primum cognoverimus, quid tibi hac in re velis; statim libros, quosecumque voles, ad te dabimus. Hactenus de Majoragii libris. De Arluni *Historia* cùm tandiu nihil audiam, quid ad te scribam, penitus ignoro, nisi ea repeto, quæ alias ex meis literis intellexisti. Illud tamen scias, me totum pudore suffundi, quotiescunque Franciscus Arlunus fit mihi obvius. Nam nihil jam mihi relatum est, unde tarditatem hanc excusem, nam alias *Historiam* & te cognoscere dicebam, & cogitare velle, num digna editione videretur. Nunc vero hæc mihi sublata sunt, neque te adhuc eam aliquo modo lexitare non potuisse, cùm tandem jam habeas, illi fit verisimile, neque te cogitare quicquam de ea edenda, cùm ejus rei sim ignarus, possum polliceri. Quod illi persuadere conor, putandum esse, te semel adhuc, atque iterum quidem scripsisse, sed non perlatas literas fuisse; nihil minus quam hoc ipsum probare videtur. Quæ cùm ita sint, Arlunus de me graviter queritur: neque id immeritò facit, cùm istuc libros cohortatione mea miserit, arbitratus fore, ut cum primum rem cognovisses de consilio tuo nos admoneres. Ego verò, si tibi hac in re forte videor importunus, velim cogites, quod optime nosti, multò honestius esse aliquando de rebus amicorum, quām de suis laborare, nam si tibi quicquam meum commissem, multò me æquiore haberes, quod intelligam quantis occupationibus detinearis, dum dies, noctesque versaris in ista laboriosissima ornandarum literarum provincia. Te igitur oratum velim, mi Oporine, ne amplius committas, ut de *Historia* nos nihil admoneas. Nam, si forte non videtur excudenda, eam transmittere ne graveris; Arlunus enim impensam omnem vecturæ faciet. Majoragius noster tibi salutem dicit. Vale, vii. Kal. Sextilis MDL. Mediolano.

## E P I S T O L A VI.

GASPARI BARCHINO S. P. D.

**A R C U M.** *De juvēne sibi commendato verba facit, tum de litterariis Majoragii laboribus.*

**Q**UONIAM Sissonios nostros ad te venturos sciebam, non committendum putavi, ut nullas ad te literas darem, cum præfertim tandem ni-

F f ij

hil ad te scripsiferim. Balthasar noster, quem scio a te vehementer amari, nunquam arbitror, quandiu apud nos fuit, expertus est (ira enim par erat facere) commendationem tuam apud me parum valuisse. Ego enim, ut is proficeret, semper plurimi feci; & certe id & tibi, & aliis omnibus, quibus hoc ipsum curæ est, plane appareret, nisi per illum stetisset; ut enim diligentia mea bonis hominibus probaretur, eum mihi a te commendari cupivissem, qui discendi, non vagandi esset cupidus, qui laborem, quem gloriae parentem esse dicebat Plato, non ocium, quod hominum mentes perdere consuevit, amaret, quique Majoragum non solum sequeretur, quicunque vocaret, sed etiam præcurrere conaretur. Nam si talem Balthasarem, qualem se præbere debebat, habuissem, non dubitarem, quin & tibi, & aliis in hoc plane satisficerem. Nollem tamen ita perditum eum esse arbitrareris, ut hic tempus omne frustra consumpsferit. Id fieri siquidem potest; nosti enim scholasticas exercitationes nostras. Nam licet id sane quam parum sit, aliquid tamen profecit; neque ita se gessit, ut ejus erudiendi spem omnem abjece-  
rim. Quare, si in posterum studiis suis melius consultum iri cupit, opus est ei firma atque constanti deliberatione. Ad hoc autem tu magno illi-  
adiumento esse poteris, si ubi cognoveris, quantum profecerit, eum reprehenderis, quod se præstiterit negligentiem, & cætera, quæ tu op-  
time nosti, addideris. Evidem vix possum dicere quantum cupiam,  
ut puer iste ad bonam frugem perducatur: quod facio, cum officii mei  
memor, tum & parentis viri optimi, & Francisci fratris patruelis ejus,  
precibus commotus; mirum est enim, quām sit ex hac re solicitus.  
Sed illud facilius consequemur, si arbitratus fuerit, omnem ornandi ani-  
mi sui facultatem sibi esse in manibus, & ex sese, non ex quo vis alio  
pendere, & hactenus quidem de Balthasare. Majoragius noster studia sua  
tandem colligere constituit, ut quietiore animo, quæ jam instituit, per-  
poliat, & lectiones suas laboriosius perseguatur. Itaque posthac *Rhetorici-  
corum* Aristotelis libros, quos ipse nuper latinos fecit, est interpretatu-  
rus. (1) Inter legendum autem in translationem hanc suam accuratas  
quasdam annotationes conscribere decrevit. (2) Cum vero ad quæstiones  
per ocium manum appelleat, memineris illum nequaquam fore tui im-  
memorem, imo hactenus fortasse nomen tuum non tacuit. (a) Sed quod  
ad Majoragium nostrum attinet, verbosius ad te scriberem, nisi id te posse  
ex Balthasare nostro facilius cognoscere intelligerem, Francisco (b) patri  
tuo viro quām ornatissimo. s. d. Vale, vi. Kal. Sextilis MDL. Mediol.

(1) Epistola revera legitur Majoragii ad Gasparem Barchinum, Epist. Quæst. de qua annot. ep. 16. l. 7.

(2) Epistolam italicam Cicerei ad Franciscum Barchinum legere est in Codice Belgiojohanno.

(1) Aristotelis *stagiritæ Rhetoricor.* lib. 2. quos M. Antonius Majoragius verebat \* in 8. Venet. per Jo. Patavinum 1552. extant in Ambrosiana. De hoc opere evulgato vide infra epistola 5. lib. 9. Idem lib. Venet. impress. 1575. in 8, ut ex collectione librorum Francofurti venalium ibid. impressa 1592.

(2) *Commentaria* in 3. lib. Aristotelis *de Arte Rhetorica* conscripsit Majoragius, quæ Venetiis primum sunt edita in fol. 1571, tunc deinceps ibidem, & alibi recusa. Quod prima horum *Commentariorum* editio Venetiis eo anno facta fuerit, verba ostendunt, quæ in fronte, & epistola nuncupatoria operis leguntur. Aliam ea priorem editionem factam Basileæ per Oporinum indicat quidem Argelatus; quomodo tamen hæc ipsi explorata esse potuerit, me prorsus latet, cùm hujuscem impressionis *Rheticam* nusquam viderim, nec ab ullo laudatam Bibliographo legerim.

## E P I S T O L A VII.

ANDREÆ CAMUTIO S. P. D.

**ARGUM.** *Fili profectum in litteris ut, & quo modo explorer, monee.*

**E**UGENIUS Filius tuus ad te redit, ejus autem adventum, eò tibi gratiorem spero fore, quod eum magis in literis profecisse cognoveris. Sed quomodo hujus rei periculum a te fieri velim, paucis te admonendum esse arbitror. Licet enim doctrina atque eruditione tantum valreas, ut patria ista tua te uno maxime sit illustris; tamen te semper eum esse cognovi, qui libenter unicuique in arte sua concedas. Velim igitur ita cum filio tuo agas, ut proposito themate aliquo, jubeas eum conscribere vel epistolam aliquam, vel chriam: nam nec orationem, neque versus audeo dicere, cùm ad illud scribendi genus nondum aptus sit, & hujus mensuram tantum hactenus percepitur. Neque velim alium quempiam huic adhiheri negocio; te enim candidum judicem eligo, quem spero fore nostrorum laborum æquum æstimatorem. Cæterum mihi valde gratum erit, si quandiu ille iste erit, eum continuensis in relegendis iis omnibus, quæ non nisi ex veteribus, iisdemque optimis Authoribus apud nos recitavit. Majoragius noster tibi, Patri, & Fratri tuis s. d. Vale, Mediolano MDL.

## E P I S T O L A VIII.

M. ANTONIO MAJORAGIO S. P. D.

**ARGUM.** *Ejus opera se indigere.*

**S**i T. TT. Q. VV. B. E. E. Q. V. Nullo pacto fieri potest, ut quod feliciter cœpimus, facere pergamus te absente, adeo in hoc secundo li-

bro exemplorum refertissimo (1) multa mihi se se offerunt, quibus me explicare nequeo. Tu igitur ad nos revola quam primū, ut opus ex officina in tempore perfectum exeat. Dum redis, quaternionem x. absolvemus: mox, si quid temporis superfuerit, id imprimendis Ferdinandi carminibus (2) dabimus. Vale, III. Nonas Octobr. Mediolano.

(1) Nempe *Commentaria in Rheticam Aristotelis*, de quibus in epistola 6. hujus, ac revera ejus operis secundus liber exemplis plurimum abundat.

(2) Quem Abdensem esse intelligo, de quo annot. I. epistola 17. lib. 7. Ejusdem carmina, quæ Cicereius memorat, aut ea sunt, de quibus supra in eadem epistola, aut alia, quæ ipsius vulgata laudat Argelatus.

## EPISTOLA IX.

ANDREÆ CAMUTIO S. P. D.

ARGUM. Andreæ Filium rediisse lætatur. Majoragii librum mittit.

**E**UGENIUM tuum ad nos redeuntem eò libentius vidi, quod scribas tibi non parum probari operam nostram, qua in eo instituendo hactenus usi fuimus. Majoragius noster Rheticos Aristotelis libros latinitate donavit, eosque a me ita interpunctos, atque distinctos, ut & commodius legi, & facilius intelligi possint, prælo subjicit; quare factum est, ut nudius tertius plane absolutos acceperit. Horum itaque exemplum unum ad te dedi, quod cum semel, atque iterum inspexeris, Josepho Ossutio nostro dones velim. Nihil enim tibi commune esse debet cum Rhetoribus, qui, quod Philosophum decet, non probabilia, sed vera tantum secteris, at Ossutius est

*Natus ad insanis verba diserta fori.*

Vale, ix. Novembris, Mediolano.

## EPISTOLA X. (a)

JOANNI OPORINO S. P. D.

ARGUM. Oporini litteris de Arluni Historia quidpiam nunciantibus respondet, de libris aliis prælo paratis adscribit; de statu, rebusque suis adjungit. Ad frequentiam litterarum extimulat.

**T**UAS ad me literæ sene quāni gratæ esse consueverunt; verū proximæ eo mihi gratiōres visæ sunt, quod illæ non parva molestia me liberaverint. Non enim poterat non molestum mihi esse, quod tandiu

(a) Responso est ad illam apud Gudium, pag. 170. Retulit mibi.

nihil audirem de Bernardini Arluni *Historia*, quam vir ornatissimus, idemque gravissimus Franciscus hujus frater meæ fidei commissseret. Nunc vero spero fore, ut brevi ejus jam incepit aliquod specimen per te mihi transmittatur, quò me officio meo sumptum esse testari possim. Sed, quòd in ea *Historia* perlegenda in locum quendam incideris, qui tibi non nihil cunctationis attulerit, ideoque cogites eidem manum adhibere medicam (a), ut tolerabilius ab omnibus legi possit, arbitror fore, ut, si quicquam immutaveris, id commode sis facturus, utque pro prudentia, atque eruditione tua sis curatus, ne historiæ veritas quicquam detrimenti patiatur. Quod verò ad Majoragium nostrum attinet, scito eum, ut ad te tritteret, exornasse commentaria, quæ multis sane vigiliis, ac laboribus in *Oratorem Ciceronis* (1) ad Brutum, & ejusdem *Oratorias Partitiones* (2) conscripsit, quorum utraque ad justi voluminis magnitudinem accedunt, & jam a plurimis nostratisbus desiderantur. Sed unum illud eum moratur, quòd vellet illa non aliter, quām seorsum pimum edi, mox tuo arbitratu cum cæteris conjungi, quæ in Rhetoricos Ciceronis libros conscripta a te colligi dicas, ut iterum excudas. Itaque scire cuperet, an hoc probes: quòd cum cognoverit, nullam moram mittendi ad te libros interponet. Tu vero, si me amas, quam primum rescribe: quid faciendum ceas, neque tam vereor, quin sis morem gesturus Majoragio, quem jam amare, & tibi totum devincire cœpisti. Habet præterea, ut te scire arbitror, multa alia, quæ, nisi me animus meus fallit, digna judicabis typis tuis, & singulari illa diligentia tua, qua in bonis libris excudendis uti consuevisti.

Est mihi aliquis usus cum quibusdam juvenibus, qui hic formis exprimunt libellos italicò sermone conscriptos. Hi cùm characteribus pene ineptis utantur, taleis enim a Patre acceperunt, cuperent opuscula sua aliquibus inscriptionibus, aut titulis ornare, quæ elegantiam aliquam præferrent; itaque arbitrati sunt id se præstare posse, si nacti fuissent genus illud formularum, quo exprimuntur literæ illæ pendentes in dextram, quibus tu usus es in describendis carminibus a Mariano in *Urbis Topographia* (3) ex Poetis Latinis, citatis. Quapropter petierunt a me (noverant enim te istic esse, quem ego amicum habeam), idque summis preciis, ut ad te quam primum scriberem, quæ reremque, num quisquam istic esset, qui quicquid attinet ad id genus characteris fundendum venale haberet, hoc est conjunctas ac colligatas literas majusculas, minusculas, abbreviations, accentus vocalibus

(a) V. Annot. 3. epist. 17. hujus.

impositos, distinctiones, & ejusmodi reliqua, addideruntque se curaturos, ut cum primum viderint exemplum aliquod earum literarum in charta expressum, & de precio quicquid opus fuerit, cognoverint, Hannonii Mercatores, qui istic negociantur, quod satis erit, adnumerent, antequam quicquam huc transmitant. Feceris itaque mihi gratissimum, si curaveris, ut & hoc ex literis tuis brevi intelligamus, utque Juvenes hi plane videant, me nequaquam mentiri, qui dixerim me, quæ tua est humanitas, apud te non parum posse. De his autem omnibus constitueram ad te multò ante scribere, & certe ita factum fuisset, nisi rerum domesticarum componendarum cura me a scribendo haecenus deterruisset. Nam usque ad Kal. Octobris cum Majoragio. vixi, eique meam operam præstisti, & una cum eo grave erudiendæ juvenitatis onus sustinui, nunc autem (cum ille ludo literario salutem dixerit, sua, dum publice profitetur, studia collecturus) cum matre, & fratre meis vivo; & licet nuper ludum literarium aperuerim, sum tamen aliquo in pretio. apud nonnullos nobilissimos homines, qui mihi filios suos instituendos tradiderunt. Hæc ed, mi Oporine, dixi, cum ut scires, quid in hac florentissima Civitate agamus, tum ut dispiceres, num quicquam sit, in quo nostra utaris opera, & tibi gratificari possumus. Cupio enim aliqua in re tibi declarare, quantum te meritò amem, colam, & observem.

Cæterum illud etiam, atque etiam te oro, ut posthac aliquantò sp̄pius ad me scribas, meque de eo, quod prælo subjeceris, cùm per multas ac magnas occupationes tuas licet, admoneas. Vix enim dicere possum, quām mihi gratum fuerit, quod proximis literis tuis mihi significaveris, quos nam libros tunc temporis absolveres. Eos nanque postea apud nostrates Mercatores agnovi, neque minus elegantiam, quām diligentiam tuam admiratus sum. Mirum enim, quām præclare in illis (ita enim tuus est mos) te gesseris. Quare licet imprimendi provinciam præsertim homini diligenti non ignorem esse laboriosissimam, optime tamen tecum agitur; qui operam tuam tam bene ponas, qui que tam præclara ex officina, tua in rem communem depromas monumenta. Faxint igitur Superi, ut ita diu felix vivas, ut strenue in rem literariam exornandam incubabis. Longius me provexit dulcedo quædam tecum loquendi; quare si tibi visus fuero nullam occupationum tuarum rationem habuisse, id non mihi criminis, sed potius meo erga te amoris velim. Majoragio nostro tuo nomine s. p. dixi; tu vicissim, cùm ad doctissimum virum Hieronymum Friccium scribes, χάριν ἀποδίδω; (a) illum

(a) Gratiam vedderis.

illum ex me salutare memineris. Vale, Mediolano, viii. Kal. Decembris MDL.

Harum literarum alterum exemplum suo tempore ad te dederam, quod cum veritus essem, ne non accepisses, rursus alterum hoc ipsum transmisi, ut intelligeres me summopere cupere, ut rescribas mihi ad ea quae quero. Mediolani, Nonis Februarii MDLI.

(1) Commentarius Majoragii in *Oratorem Basileæ* prodiit in Fol. typis Oporini 1552 mense Martii. Extat in Bibliotheca nostra.

(2) Hujusmodi opus citat tantum Argelatus ex editione Veneta sine notatione anni. Albertus Fabricius in *Bibliot. Latina* citat editionem Venetam 1587. At vero hujus libri editio antea Mediolani facta est per Pacificum Pontium 1569, quam Bibliotheca nostra possidet.

(3) Nempe Mariani Bartholomæj Patricii Mediolanensis *Topographia urbis Romæ*, impressa apud Gryphium 1534, iterum Romæ 1544., Basileæ 1550 & alibi deinde. Mirandum vero est Paulum Morigiam, ubi de Marianis, seu Marlianis (qui iidem sunt ipsomet docente) (a) doctrina præclaris loquitur, (b) Bartholomæum hunc siluisse, quem tamen, ac meritisimo jure litteratorum Mediolanensium albo adscribere non omiserunt Picinellus, & Argelatus. Quo tempore hasce conscribebat litteras Cicereius, in vivis adhuc extabat Bartholomæus Marlianus, opus enim aliud, quod is ipse confecit in *Annales Consulum, Didictrumque Romanorum*, typis edidit Romæ 1560 Pio IV. Pontifici dicatum.

Duorum maxime illustrium Marlianorum Mediolanensium MSS. apud nos servantur litteraria monumenta, nempe Jo. Francisci Senatoris, ac Senatus Præsidis sub initium saeculi 16, & Petri Antonii, qui Senator pariter fuit, ac Præses Quæstorum Extraord. (c) Codex n. 230. orationem exhibet, quam Joannes Franciscus dixit Genuensibus Legatis responsurus Mediolanum missis anno 1487: ibi insunt etiam res gestæ, & orationes habitæ a Genuensibus, necnon deditio urbis Genuæ, & reliquarum Liguriæ Civitatum in potestatem Ducis Mediolani missa an. 1488. Codex vero 245 Orationem continet, quam Petrus Antonius habuit in funere Mariæ Britannorum Reginæ, Philippi II. uxoris, Henrici VIII. Angliae Regis filiæ. Joannes Franciscus Marlianus supremum diem clausit anno 1525, sepultusque est in Templo S. Mariæ Pacis, ubi ejus extat Epitaphium, quod vide etiam apud Sitonum, & Argelatum. Petrus vero Antonius vita functus est anno 1685, ac in Templo S. Mariæ Gratiarum cum sepulchrali inscriptione tumulatus, quam post alios refert Allegrantia. (d) In hujus obitu carmen dixit Bernardinus Baldinus, editumque legitur in ejus *Lusibus* pag. 88.

(a) *Historia di Milano* lib. 4. c. 32.

(b) *Della Nobiltà di Milano* lib. 3. c. 12.

(c) V. Sitonum & Argelatum.

(d) *De Sepulchris Christianis* pag. 232.

## EPISTOLA XI.

ANDREÆ CAMUTIO S. P. D.

**ARGUM.** *De nummis gratias agit. Orationes duas mittit, Declamationem brevi missurus,*

**V**EREBARE fortasse, ne non satis fuisset, quod proxime Augustinus Planta mihi coronatos vi. annumerasset; ideo nunc xii. adjunxisti, idque per Baptisam Torricellam (*a*) hominem honestum, cum tamen non opus esset; sed quoniam ita tibi visum est, concedo, & gratias ago. Dabo operam, ne tempus, una cum ceteris impensis, tuo Filio male dispereat. Ad Natale Christi celeberrimum accipies declamationem, ex qua, qualiscumque fuerit, apparebit, quid Eugenius proficiat, meliora alias ad te daturus. Interim habe veræ orationis exempla duo, quorum alterum Augustino Plantæ præstanti viro ex me dabis, alterum tibi habebis. Vale, xii. Kal. Januarias MDL. Mediolani.

(*a*) In Belgiojofiano Codice italica ad hunc Cicereii epistola extat.

## EPISTOLA XII.

NICOLAO VICECOMITI S. P. D.

**ARGUM.** *De silentio conqueritur. Multa esse in Nicolao agnoscit, enumeratique, quæ ipsi ad scientias comparandas maximo adjumento esse queunt, Ad Religionis officia, ac pia vivendi instituta adhortatur.*

**E**ST quod de te conquerar, idque non leviter. Facta est parva loci mutatio, & tamen ita te geris, ut & animum tuum immutatum esse suspicari mihi in mentem veniat. Quid, si te non Ticinum, sed ad Antipodes contulisses? Quod si factum fuisset, non tamen committere debuisses, ut te immemorem putarem mei. Nam quomodo pateris, ut tandiū nihil ad me scribas, cuius immemorem, quocumque te contulisses, te nunquam futurum præsens pollicebare? Neque quicquam est, quod in hoc, præter te ipsum, accuses: non enim jure vel temporis augustiam, vel valetudinem excusabis, neque aliud quippiam, quo satisfactionem tuam accipiam, adferre meritò poteris. Hæc tamen a me

non ed dicta velim arbitris, quod verear, ne quam expectationem tui concitasti, licet incredibilem, sustinere, ac tueri non possis. Tria enim sunt, quantum ego existimare possum, quae, cum ad discendi cupiditatem tuam mirabilem accesserint, te vel longe superaturum maximam cunusque spem pollicentur. Quorum quidem unum est amplissimum majorum tuorum memoria, quae cum in animo tuo vigeat, & mentis oculis se se offerat, obverseturque, tibi in quovis negocio tuo adest, te excitat, & impellit, & diligentissimi Institutoris vice fungitur, & in summa illud semper tibi prescribit, ne quicquam conteris, quod tantorum viorum imitatione dignum non censeatur. Hec porro te talem esse vult, ubicumque vivas, sed cum alterum ejus generis accedat, ut te Ticinum Pater tuus vir honestissimus miserit, teque omnibus iis rebus ornarit, quibus studiolo sit opus, quid est quod vereamur, ne tuorum votis respondeas? Ad nobilissimum enim, idemque celeberrimum quoddam praestantissimarum scientiarum emporium istuc missus es; quare turpe esset, si istinc vacuus aliquando ad nos revertereris. Restat tertium illud, quod videtur tantam in se vim habere, ut pene plus possit, quam reliqua illa duo, quae sunt a me commemorata; atque ea est consuetudo: magni enim interest, quo quis familiariter utatur; verum tibi in hac parte videntur Dii, Deaque omnes maxime favisse, qui tibi eum, quicum conjuncte vivas tradiderunt, cuius vel videndi desiderio plurimi tenentur, qui, si per aetatem liceret, non intelligendo modò, verum etiam agendo jam maiores suos, clarissima hujus Civitatis lumina, longe superasset. Atque is est Georgius Trivultius, (1) praestantis ingenii juvenis, & morum candore insignis, qui (quod tu qui propius accedis, multò melius perspicis) nihil unquam aliud cogitat, quam quomodo animus iis artibus exornandus sit, quae nobilissimum adolescentem, mox Reipublicæ maximo ornamento futurum, deceant. Sed quod progredior? Quasi confidam me posse hujus adolescentis eximias virtutes epistola complecti, quae librum & eum quidem longum desiderarent? Me igitur colligam, & quo volebam, ed meam orationem intendam. Hujus igitur mores, quod ut arbitror facis, si æmulari volueris, omnia summa in te erunt, nihil in te desiderari poterit, quod ad optimum civem, & Reipublicæ utilissimum pertineat, is denique eris, imo & longe major, quem tui omnes sperant. Sed, ut ed revertar, unde exii, haec ea sunt, mi Nicolae, quae me in eam sententiam ducunt, ut, etiam si nihil ad me scribas, te tamen putem (quod ad te attinet) officio tuo cumulate satisfacere. Quod cum ita sit, cuperem tamen id animo meo dares, id meo erga te amori concederes, ut aliquando ex literis tuis intelligerem

Gg ij

quantopere te istud legum studium delectet, & quantum in eo jam profeceris. Hoc quanvis præter illud, quod debebas, hactenus non præstiteris, concedo tamen, & hoc negligentia crimen tibi condono, sed ea lege, ut posthac velis amicitiam nostram, quæ non ita levibus de causis inter nos coaluit, hoc saltem officio prosequi. His perscriptis, huic epistolæ finem imponere constitueram, sed meus erga te incre-dibilis amor me admonet, ut unum illud præcipiam, ne scilicet ullum diem prætermittas, in quo cæteris curis solutus pie vivendi institutis aliquantis per non vaces. Ita enim ab optimis Parentibus es institutus, ut religionis, quoad ejus facere potes, sis studiosus. Sic enim fiet, ut nihil in te sit, quod merito culpari possit, & animus tuus actionibus Superis gratissimus exercitus, multò aptior sit ad omne ornamentorum genus capessendum. Gaspari Barchino, & P. Æmilio, duobus juvenibus omni honorum genere probe cumulatis, s. p. dices. Vale, iv. Idus Jan. MDLI. Mediolano.

(1) Quæ de hoc Trivultio Cicereius afferit, quod nobilissimus fuerit, ac præstantis ingenii juvenis, mire convenient cum Georgio Trivultio, de quo Sitonius, Morigia, Crescentius, Argelatus, & alii. Hic enim ex nobilissima Mediolanensi Trivultiorum familia progenitus, in hanc lucem prodiit an. 1534, ut propterea ætate adolescens, scribente hasce litteras Cicero, revera is fuerit. Quantum vero ingenio valuerit illud indicio est, quod celsissimos honorum gradus concenderit; uti enim laudati Auctores litterarum monumentis consignarunt, Georgius Trivultius Datarius fuit in Regno Gallie, Prothonotarius Apostolicus, utriusque, ut ajunt, subscriptionis Referendarius, Cardinalis insuper a Pio V. designatus, verum ex præpropera Pontificis morte honorem hunc consequi non potuit; dein ab Ecclesiastico instituto se subducens civili curia se dedit, nec multò post Regius Ducalis Senator effectus est. Fuit vero ideni Trivultius humanioribus litteris admodum excultus. Laudant quædam ejus opera Picinellus, & Argelatus, servanturque adhuc aliqua ingenii ipsius monumenta apud Princip. Belgiosum, ea nempe, quæ apud Fratres Marchiones Vicecomites Gregorium, & Eriprandum extare olim scriperat Argelatus.

Ad Georgium Trivultium J.C., & Senatorem Distichon \* legitur in *Lusibus Baldini* pag. 105. Eidem pariter opus suum dicavit Thomas Porcacchi, *dell'Isole più famose del Mondo*, \* Venetiis 1576. Singulari studio prosecutus est Trivultius Paulum Morigiam Jesuatum, Patriæ nostræ historiographum, quem in S. Hieronymi Templo depositum prope Sacellum sub titulo Præsepis, illustri epigra-phe decorari curavit. Apposita insuper ibi ejusdem fuit effigies thorace tenus affabre ex ligno confecta.

## EPISTOLA XIII.

PETRUS VARRO JOANNI COSTÆO (1) S. P. D.

*ABGUM. Dolet de absentia amici.*

**P**ro brevibus literis tuis breviorem epistolam accipe: ita enim nostræ occupationes postulant. Quod absim cruciaris? id facile crediderim, idem in me expertus. Videor namque isthic tecum esse, te alloqui, tecum suaviter fabulari, fructus denique nostræ consuetudinis suavissimos capere. Hoc autem commune desiderium eò æquiore animo ambo ferre debemus, quod ea pars nostri est melior, qua juncti sumus, quam qua locorum iniuritate disjungimur. Vale, iii. Kal. Martias, Mediol.

(1) Haud dubium, quin is fuerit, cuius tumulus Bononiæ in Templo Monialium S. Agnetis extat, sequenti decoratus elogio. *Joanni Costæo Laudensi Medico ætatis suæ facile principi, viro moribus candidissimis prædicto, ingenio, eloquentia, multiplicique eruditione præstanti, qui vitas hominum, studia, scholas medendo, edendo, legendo juvit, auxit, exornavit, dum in Gymnasio Bononicæ medicinam de summo loco profiteretur, adempto, Laudensis Civitas, ut pro vivente gloriata est, defuncti memoriam honorificentius recolat, publico decreto posuit anno Domini 1603.* Si quis uberioris de eo edoceri cupiat, Ghilinum (a) adeat, Molossum, (b) & Brambillam. (c) In rarioribus haud paucis Bibliothecæ nostræ opusculis, Joannis Costæi *Disputatio est, quod ex arte Coriariorum infici aer possit, ac pestis procreari*, Venetiis apud Dominicum Farreum 1580. Præcedit epistola ejusdem ad virum nobilissimum, & J.C. optimum Camillum Micollum Laudensem. Alia ejusdem Costæi opera vide apud laudatos Scriptores.

Joannis Costæi filius Joannes Franciscus fuit philosophiani pariter, ac medicinam edoctus, quem, una cum ipsius Genitore laudant Ghilinus, & Molossum, qui unicum quoddam ipsius opus commemorant, *de voluntariis involuntariis, & non voluntariis actibus*, silent autem ejusdem Hendecasyllabon, quod tom. 3. *Carmen Illust. Poet.* continetur.

(a) *Teatro d'Uomini letterati* parte 1. pag. 80.(b) *Memorie di Lodi* pag. 100.(c) *Stor. Fisic. Medic. Anst. Chirurg.* tom. 2. par. 1.

## EPISTOLA XIV.

FRANC. CICEREIUS CHRISTOPHORO LEPORARIO S. P. D.

**ARGUM.** *Ejus studia laudat. Opörino commendaturum spondet. Liber cuidam falsò adscriptus. Pauca quædam nunciat.*

Vix cogitatione ipsa assequereris, quām lēto atque hilari vultu tuas exceperim literas, idque **xiii.** Kalend. Febr., cūm tu eas Basilea (ita enim scribis) **vii.** Idus Novembris. Evidem, quod Friburgi Brisgoiz̄ treis annos te in sacrarum literarum studiis exercere decreveris, non possum non vehementer tuum consilium probare; futurum enim video, si hoc præstiteris, ut Luganensi Ecclesiæ magnum per te ornamentum, immo lumen accedat. Nam quid convenientius esse potest Sacerdoti, quām ut sacrarum rerum sit peritissimus? Itaque tuum erit in hac laudatissima sententia permanere. Illud etiam non potuit non mihi esse gratissimum, quđd Joannem Oporinum, ornatissimum hominem, conuenieris, & apud eum de me honorifice verba feceris; hoe enim non solum ex tuis, verum etiam ex ipsius literis facile cognovi. Itaque, cum rescribere libuerit, non vulgariter te vicissim illi commendabo. Quod autem scribis, extare Jovii librum quendam, cui titulus est *de Mirabilibus Romæ*, id falsum esse scias; nam diligenter inquisivi, cum tam optimè nossem quæcumque vir ille clarissimus haētenus edidit. Quare fieri potest, ut is, qui in hoc tua utitur opera, memoria lapsus librum illum, qui de *Piscibus Romæ capiendis* (a) est inscriptus *de Mirabilibus* esse putaverit. Novi hic nihil est, nisi quđd Majoragius noster, quem proxime ex te salutavi, panegyricum conscripsit; hujus vero exemplum unum ad te dedi, qui qualis sit, tu ex ejus lectione facile cognosces. Est & illud novum, Antonium Vulpium nostrum non sine magna laude Novocomensis Episcopi vicem gerere. (1) Quæ volebas, Antonio Sessæ dixi. Cæterum is te salutat, seque tibi commendat, ac totum tradit. Rescripsisse tibi multò ante, nisi cum tuas accepi literas, Mater mea ita male se haberet, ut vererer, ne me desereret. Nunc convaluit, & te etiam atque etiam valere cupit, non leviter lætata, quđd se salutare non gravatus fueris. Nunciabis Henrico Glareano, homini doctissimo, ejus *de Afse* librum per eruditorum manus, & sinus volitare. Kalend. Martii **MDLI.** Mediolano.

(a) Hic Pauli Jovii liber *de Piscibus Romanis* primū Roma impressus est 1527, & alibi.

(1) Antonius Vulpius patriam Ecclesiam loco Bernardini Crucis absentis longo tempore administravit: vide Auctorem vitæ Antonii Vulpii in editione Vulpiorum Patavii 1725.

## EPISTOLA XV.

MICHAELI ISINGRINIO S. P. D.

*ARGUM. Commendat quendam, ut in librorum commercio, & mercatura solum jungat.*

CREDO te memoria tenere, cum abhinc duos annos, & treis mensis, plus minus, ad te scripsi, de quibusdam Majoragii libris excudendis. Quo tempore, cum te amarem plurimum, cum quia ita & diligenter, & eleganter in libris excudendis verseris, ut nihil ad tuam diligentiam addi posse videatur, tum quia non vulgarem in te eruditionem esse intelligebam; verum, cum ad illas meas literas perhumanius respondisses, vix potest dici, quantum ad meum erga te amorem accesseris. Videor itaque alias te amasse, nunc vero colere. Hæc eò dicta esse volui, Isingrini doctissime, ne omnino tibi ignotum meum nomen occurreret, cum amici, de quo audies, precibus commotus tibi scribam. Est enim hic Hieronymus Landrianus Bibliopola vir & fide, & probitate insignis, bonis etiam fortunæ non leviter ornatus, qui cum non parvo commercio conjunctus esset cum Bebellio homine optimo, & sua virtute claro, tuo, ut audio, socero, non possum dicere, quam moleste ejus mortem tulerit. Amabat enim eum, non ut eum, quicunque mercari consueisset, sed, ut fratrem. Hanc autem doloris sui causam, familiaritate fretus, mecum communicavit, addiditque se nescire, Bebellio amisso, quo cum sibi agendum istuc sit. Hoc cum intellegarem, cœpi eum ita confirmare, ut mihi agere gratias non dubitarit, & te illi obtuli, addidique, si uti tua opera instituisset, futurum, ut plane intellicheret, secum præclare actum, qui te cognoverit. Is vero cœpit consilium meum vehementer probare, meque rogare, ut se tibi per literas commendarem. Habes quare ad te scribam; commendabo tibi igitur hunc hominem quam possum diligentissime. Hunc vel mea causa adjuves velim; huic cum opus fuerit, operam des, libros tuos, & alienos hic vendendos impertas, & in summa ei in iis omnibus obtemperes, de quibus eum ad te scribentem cognosces. Quod eò audentius peto, quod sperem hujus hominis commercium nihil aut dedecoris, aut detrimenti allaturum. Vale, & me ama. Mediol. Kal. Mart. MDLI.

## EPISTOLA XVI.

LILIO GREGORIO GYRALDO S. P. D.

**ARGUM.** *Libros misisse significat.*

CUM heri (serius quidem quam sperabam, idque vectorum negligentia) Oporini nostri jussu, huc advehti fuerint libri quidam, tibi inscripti, cum aliquot meis conjuncti, adhibui quantam potui diligentiam, ut alicui illos recte ad te darem, idque libenter feci, cum quia ita eram jussus ab Oporino, cui plurimum deberem, tum etiam quia fasciculus ille ad te attineret, quem cum ex editis plurimis operibus doctissimum esse cognovissem, jandiu valde & amarem, & observarem. Sed dum fasciculus ille tuus rursus colligitur, & ita componitur, ut veatur sit aptus, tuum libellum (1) nuper editum, quem mihi, qua est Oporinus liberalitate, dono miserat, is mihi visus est, de quo dici meritò possit: (a)

*Hic meret æra liber, Sofis, bis & mare transi,*

*Et longum noto scriptori prorogat ævum.*

Vale, vii. Kal. Aprilis MDLI. Mediolano.

(a) Horat. *de Arte Poet.*

(1) Varia elucubravit opera Gregorius Gyraldus, quæ simul omnia collecta primùm impressa fuisse Basileæ anno 1588 Nicerorius affirmat; quiique etiam animadvertisit aliqua separatim ejusdem opera ante id temporis typis commissa, ex quibus proinde unum fuisse oporteat libellum hunc, quem in hac memorat Cicereius epistola. Et sane anno illo 1551, quo hanc ipse conscriperat, Gregorii Gyraldi libellos duos de *Ænigmatibus antiquis*, & *Symbolis Pythagoræ*, Basileæ, mense Januario per Joannem Oporinum excusos extare vidi in Bibliotheca Ambrosiana, ubi alios quoque Gregorii Gyraldi libros Oporianis formis impressos inspexi.

In MSS. epigrammatis Andreæ Alciati in Archivo Belgiojosoiano unum est ad Lilium Gregorium Gyraldum sic exordiens:

*Cur tam sœva podagra, & immodesta  
Nostrum nunc male Lilium lacefis.*

EPI-

## EPISTOLA XVII.

JOANNI OPORINO S. P. D.

**ARGUM.** *Cur serius responderit. Cujusdam commendatio. De scriptis, quæ excudenda tradiderat sermonem habet, aliquique, quæ de novo nunc tradit; de libris dono missis gratias agit. In additamento, quandam historię locum immutari postulat.*

**H**ABEO duas ex te epistolas, quarum alteram III. Nonas Novembris, (1) ut ex ea apparet, scriptam, IV. Kal. Februarii accepi; alteram vero pridie Kal. Febr. (2), ad me cum librorum fasce IX. Kal. Martii solum vectores reddiderunt, mox etiam libros attulerunt, idque XI. Kal. Aprilis; quæ omnia tempora ideo assignare volui, ut mè non mea culpa serius tibi r̄escribere, quām opus sit, intelligeres; nam in priore epistola, quod tibi responderem, nihil fuit, cūm posterior aperte declareret, meas tibi literas, quas paulò ante hanc acceptam dederam ad te, in eo, quod volebas, tibi satisfecisse. Illud tamen nolim hic pr̄termissum, ut si tibi per occasionem sese obtulerit Christophorus Leporarius ille italus, cuius mentionem fecisti in tuis literis, quod sine tuo incommodo fiat, ei aliquo modo declares, me illum tibi non vulgariter commendasse; est enim domi suæ nobilis, & satis dives, meique, & studiosorum omnium amantissimus. Postiores literæ tuæ ed mihi gratiore fuerunt, quodd erant longiores. Evidēt, si paterentur occupationes tuæ, his nihil breviores s̄epius mihi scribi flagitarem, sed cūm te occupatissimum esse intelligam, æquo animo patior, quod aut rarius quām vellem, aut certe brevius quām cuperem, scribas. Quæcunque ad Arluni historiam te adhibuisse scribis, valde me delectarunt; aliquantò tamen gratius illud accidit, quod de doctissimis Majoragii commentariis scribis, non quodd de tuo erga nos animo quicquam dubitarem, nesciremque te, qua es humanitate, paratum esse, ut in omnibus morem nobis geras, sed quia cupiebam id evenire, quod evenit, ut scilicet probaretur tibi consilium nostrum, & seorsum hæc commentaria edenda esse cogitares; Nunc vero dantur ad te uno colligata fasciculo, in quibus, ut te diligenter præbeas, non hortabor: tantum illud a te petam, ut ita rem cures, ut ex Oporini officina prodiisse meritò dici possint. Præterea illud etiam tibi persuades velim, ea nobis fore gratiora, si ampliori forma, & majori characterum dignitate fuerint impressa. Illud autem

H h

Majoragio non parum dolet, quod hoc tempore more suo his suis scriptis interpongendi laborem adhiberé non potuerit, gravioribus studiis impeditus: aggressus est enim scribere commentaria in treis Aristotelis rhetoricos libros a se in latinum versos. Sed tamen librarii tui hoc gnaviter curabunt. In *Oratorem* ad Brutum commentaria sunt ipsius Majoragii manu conscripta, & in duas parteis ideo secta, ut dum scriberentur, facilius versari possent. In *Partitiones* vero oratorias amanuensis pueri manu sunt descripta, in quibus illud te tantum admonebo, Ciceronis verba duabus lineis esse inclusa, appositis interim in margine a sinistra totidem lineolis. De characteribus mihi satis habeo, cùm juvenes hos, quid factō opus sit edocuerim. Nihil enim esse dixerunt, quod velint, si *matres*, quas vocant, istic venales non sunt. Quod autem non gravatus fueris eorum catalogum astruere, quæ nunc tuis formis exprimuntur, mihi sane quām jucundum fuit. Quod vero non paucos libros, & eos quidem novos omneis mihi dono miseris, facis tu quidem, quod est hominis liberalissimi, at ego interim rubore non parvo suffundor; vellem enim, mi Oporine, tantum tibi debere, quantum exsolvere posse me aliquando confiderem, gratiæ tamen debitione perpetuo remanente. Atqui tu me antea satis obseratum tanto nunc ære alieno tibi astrinxisti, ut quando tibi satis sim facturus, non videam. Sed quoniam tibi ita visum est, interim gratiarum actione contentus esto. Porro hos libros omneis Majoragio nostro obtuli, admonuique de eo, quod scribebas; quare factum est, ut tam grato animo eos exceperit, quām si ad eum ipsum misisses; sed cognitis eorum inscriptionibus, unoque, aut altero perlecto omneis mihi reddidit, maluitque tenuem bibliothecam meam illis exornari, quām suam resertissimam sarciri. Fasciculum, quem curari volebas, rursus collectum, & itineri vecturæque aptius redditum statim iis, per quos advectus fuerat, (non enim meliores inveni) ad Gyraldum dedi, adjecique epistolium, quod testaretur, quām diligenter illum hinc Ferrariani perferri voluisses. Vale, ix. Kal. Aprilis MDL. Mediolano.

Illud perscripta jam epistola libuit adjicere, ut eō tenacius tuo ipsius adhæreret animo, ut scilicet (si commode tamen fieri potest) historiæ Arluni eandem medelam (3) adhibeas, qua in Helvetiis te usum fuisse scribis, ubi incideris in eum locum, ubi Scriptor, ut opinor, agens de iis, quæ gesta sunt ad Clavenam (4) multa atrocius dicit in Jacobum Medicen olim Mussii Marchionem. (5) Hoc velle intelligo Franciscum ipsius fratrem.

(1) Extat hæc in Epistolis Gudii pag. 170., atque hisce exorditur verbis: *Retulit mihi; ubi 4. Novembris per errorem positum est, ejus loco poni debuit 3. Novembris, ut responderet 3. Nonas Novembris, quod in Codice nostro legitur.*

(2) Et hæc alia epistola ibidem extat pag. 171. incipitque. *Utinam vero mi.*

(3) De eodem hoc Arlunianæ Historiæ loco vel immutando, vel omittendo semel, & iterum agit Oporinus in epistolis ad Franciscum Cicereum inter Gudianas pag. 170. & 171. Historicum factum illud est Jacobi Medices, quod Eri- cius Puteanus describit *Histor. Cisalp.* lib. 1. pag. 26.

(4) Clavenensem scilicet Arcem a Rhetis cepit, occupavitque Jacobus Medices, de qua occupatione vide laudatum Puteanum, *Comment. Capellæ*, (a) & M. Antonium Missaliam. (b) Porro audire etiam hac in re juverit, quod in Codice nostro 136 Gaudentius Merula de *Clar. Famil. scriptis consignavit*. *Hic* (Jacobus Medices) Rhetorum, qui in castris Regiis sub Ticino merebant, sex millia hoc anno confilio domum revocavit. *Clavena Oppidum est eorundem, dispositis enim in dumetis, qui Præfectum interciperent, militibus, ad votum ei successere omnia. Præfector siquidem ab iis captus ostensus est uxori, quæ conjugis vitæ timens arcem tradidit. Rheti ergo rebus suis diffidentes, qui regiis stipendiis militabant, edicto ad propria tutanda revocant. Quæ res plurimam calamitatem Regi australit. Eorum enim discessus a castris cæterorum animos fregit. Ex nobili, & per-* vertusto in primis genere Mediolani ortus est Jacobus Medices, fuitque S. Caroli Borromæi avunculus, Pii IV. Pontificis frater, ac bellica virtute præstantissimus. V. Morigiam, Missaliam, & alios. In æde majori hujus urbis sepultus Medices fuit per insigni, augustoque decoratus tumulo, ad cuius utrinque latera inscriptio-nes duæ leguntur, altera ipsius Jacobi Medices nomine, & elogio constans, al- tera vero memoriam, laudemque pæsfert Gabrielis Medices ejusdem fratris, quæ inscriptiones a pluribus afferuntur, veluti Missalia, Puccinello, Turrio, Latuada, extantque etiam in Codice MS. Jacobi Valerii n. 304 Bibliothæcæ nostræ, in quo legere est insuper ejusdem Distichon ad Gabrielem Medicem, & epigramma ad Joannem Jacobum fratrem. Sic autem canit in Gabrielem:

*Tu Gabriel male cinctus eras, ceu Cæsar in armis,*

*Par mors, nam vicit or glande petitus obis.*

Epigramma vero in Jacobum Medicen horum titulum præfert: *De fortuna ejus- dem a Rhetis, & Venetis impedita contra Ducem Mediolani.*

*Sfortiadas odi patriæ, non jure, tenentes*

*Sceptra, quibus fuerat fraude positus avus.*

*Subdideram Muffum, Incinum, colleisque (c) Brigantum,*

*Morbonium, & summis oppida clara jugis.*

*Cum Rhetus, & Venetus nostris perterritus armis*

*Maluit, ignavum scepera tenere ducem.*

Adjunxit ibidem Valerius sequens Bernardini Baldini in obitum, & tumu- lum Medices Distichon, quod inter impressa ejusdem non competi.

*Jacobus Medices, vel si fas nomina Divum*

*Imposuisse viris, Mars jacet hoc tumulo.*

Præter indicatam supra inscriptionem ad tumulum Jacobi Medices nunc ex- tantem alia olim ibi legebatur versibus expressa, quam Valerius adducit pag. ea-

(a) Lib. 4. pag. 129.

(b) *Vita di Gio. Giacomo Medici.*

(c) Fortasse *Briantum*.

dem 33. Hæc autem carmina ea sunt, quæ sub Annibalis Cruceii (de quo à nobis infra ad epistolam 4. lib. 12.) nomine extant inter *Carmina Poetarum Nobilium Mediolani 1563. pag. 13.*, iisque exordiuntur verbis: *Quod magni hoc Medices.* Inscriptionem hanc notat ibi Valerius unacum urna a S. Carolo Borromæo sublatas fuisse ob sacras Concilii Tridentini constitutiones, quod pariter afferuit Carolus Turrius. (a) S. Caroli decretum de amovendis, quæ excelfo loco in Templis extabant, sepulchris conditum est in Concilio Mediolanensi Provinc. I., titulo *de Sepulturis*.

(s) Quia, cùm hanc scribebat Cicereius epistolam, dimisso jam ab anno 1539 Mulfii dominio, Jacobus Medices Meliniani Marchio constitutus a Carolo V. fuerat. V. Historiam Morigiæ, Mulfaliæ, & alios.

(e) *Ritratto di Milano* pag. 163.

## E P I S T O L A XVIII.

JOSEPHO SACCIO (I) S. P. D.

**ARGUM.** *Gratas fuisse litteras, quibus respondere citius per occupationes non posuisse. Dialecticæ studentem laudat.*

**A**D XIV. Kal. Aprilis mihi tuæ redditæ fuere literæ, quæ quām mihi gratae fuerint, vel Pater tuus, vir optimus, testari poterit, apud quem antea sæpe questus eram, quodd diutius me sine literis tuis esse patereris. Sed quod serius fortasse, quām par sit, ad rescribendum veniam, in causa sunt multæ & docendi, & scribendi occupationes, quibus sæpe ita impeditior, ut vix respirandi tempus detur; si quid tamen interim mihi cupide expectanti se se obtulisset, omnia mea vel gravissima rejecissem, ut tuis commodis inservirem. Ita enim & tuum ingenium, & discendi cupiditas, & Patris tui amor est meritus. Quod si nos in posterum Fortuna benignius respexerit, & aliquid obvenerit, quod tibi utile esse possit, & in quo tuis rationibus prodesse possim, me tui memorem futurum cogitare debes. Interim, qua licet, utere conditione, meliora sperans. Sed quodd dialecticæ multam operam des, facis tu quidem, quod eum deceat, qui in scientiis gravioribus sine errore versari velit; aditum enim tibi ad eas patefacis, & quidem facilium. Itaque ne te pigeat huic insudasse, brevi nanque capies laborum tuorum fructus uberrimos. Nosti enim illud: τῷ πόνῳ ἀποκρίνεται τύχη (a). Cardano (2) πολυίστωρι, (b) & Saccio fratri patruei tuo, & Luganensibus omnibus meo nomine s. p. d. Vale, XVI. Kalend. Jun. MDLII. Mediolano.

(a) Labori respondet eventus.

(b) Multiscio. \*

(1) Filius hic fuit Aloysii, & Frater Joannis Baptiste, & Bonifacii, ut ex Testamento istius confecto a Carolo Corio, Mediolani Notario, sub die 10 Januar. 1629. Josephus in Eustorgiano Templo tumulatus est cum inscriptione memorata a Puccinello, (a) & Allegrantia, (b) qui etiam referunt monumentum ibidem positum Joanni, & Bonifacio, aliudque iisdem fratribus erectum in Templo S. Alexandri recenset Argelatus.

Ad Joannem Baptistam Saccium, seu Saccum epistolam \* dedit M. Antonius Bonciarius, ad quem altera respondet Sacus. Ad eundem epistolam etiam scriptis Cardinalis Barberinus sub die 30 Maij 1629, quæ typis impressa habetur in Miscellaneis nostris, Codice 261. Hæc porro epistola illius non est argumenti, quod ei affingit Argelatus, sed ibi admonetur Sacus de Indulgentiis a Summio Pontifice pro Templo ab eo extructo erogatis, quod non aliud arbitror, quam Tempulum S. Marie Angelorum in Oppido Lonati, quod revera ipsum a fundamentis excitasse compertum est (c).

Tres, quos hic laudavimus Sacci fratres, prænepotes fuisse videntur Cæsaris Sacci, cuius elogium extat in Bibliotheca Argelati; qui duo laudat Lancini Curtii. Carmina ad Cæsarem Saccum; si tamen totum bujuscè Carminum volumen evolvas, alia plura ibi esse ad eundem Saccum inscripta offendes. Ad ipsum pariter tetraasticon \* est Platini Plati.

Nec omittendum in libello Francisci Arbillii Senogalliensis *de Poetis Urbanis ad Paulum Jovium*, quem primus vulgavit Tiraboschius, (d) de nostro Cæsare sic cani:

*Saccius invicti celebret nunc gesta Triulti,*

*Invictasque Aquilas, magnanimumque Duce.*

(2) Annus, quo sive natus, sive ex hac vita ereptus Cardanus fuerit, variè traditur a Scriptoribus. Non videtur verò dubitandum, quin cum Tiraboschius (e) sentiamus in lucem fuisse editum anno 1501. 24 Septembris, cum annum, diemque natalitium hunc suum ipsem Cardanus prodat: (f) annum vero, quo ex hac vita cesserit Cardanus, quemque minime pronunciandum duxit Tiraboschius, nobis certò aperit Joannes Baptista Sylvaticus eidem Cardano coævus, (g) hæc scribens: *mortuus est (Cardanus) Romæ anno salutis humanæ 1576, vixit autem annos sex, & septuaginta.* Fine autem hujus anni mortem obiit Cardanus, cùm ipse (h) scribat: *Testamenta plura condidi ad hanc usque diem, quæ est Kalend. mensis Octobris 1576.* Non est hic prætereundum silentio Cardani (i) memorare suas epistolas ad Cicereum, inter quas illa \* reponenda est, quæ legitur apud Gudium pag. 117, in cujus Bibliotheca alias ejusdem epistolas ad eundem servari asserit Morhofius. (k) Moneo insuper Cardani autographum haberi in Archivo Belgiosiano, nempe ejus *Artem magnam Arithmeticæ*, sive 40. *Capitulorum*, & 40. *Quæstionum*, quod extat inter opera impressa tom. 4. Numisma Cardani in Musæo Septaliano, & Mazzuchelliano habetur. De celeberrimo hoe viro post multos egit etiam Brambilla. (l)

(a) Mem. ant. di Milano pag. 92.

(b) De Sepulchris Christian. pag. 94.

(c) V. Argelatum pag. 1271.

(d) Letterat. Ital. Tom. 7. parte 3.

(e) Ibid. par. 1.

(f) Tom. 5. suorum operum de Exemplis geniturarum n. 19. & lib. 12. Geniture-

rum n. 8.

(g) De College Medicorum Mediol. Origine, Nobil., & Antiq.

(h) De Vita sua pag. 26.

(i) De Libris propriis pag. 120.

(k) Polybister tom. 1. pag. 306.

(l) Stor. Med. Fisic. Anat. Chirurg. T. 2. P. 1.

## EPISTOLA XIX.

BASILIO FERRARIO S. P. D.

**ARGUM.** *Numismata dono accepta describit, eaque plurimum aestimanda sibique gratissima fuisse inquit. Tum de Stephano Basili filio, quem in litteris multum proficere asseverat.*

**E**go is sum, qui singulari humanitate tua fretus & rarius ad te scribo, & cum scribendum est, temporis occasionem expecto, ut per docendi occupationes mihi licet, animum ad scribendum appellere. Quod cum faciam, non sum tamen tui immemor existimandus, Basili ornatussime. Vel enim homines illi, qui propter sensus imbecillitatem, medium quandam naturam inter homines, & belluas sortiti sunt, eorum memoriam grato animo complectuntur, a quibus aut amantur, aut beneficium aliquod acceperunt; qui verò nomine ipso sunt hominis digni, ii siquem vel in remotissimis orbis terrarum regionibus esse audierint, qui & prudentia, & probitate sit insignis, statim vel ignotum amant, ejusque nomen memoria custodiunt. Quod cum verum sit, num ego immemor tui vivere possim, tu ipse cogita; nam, ut interim prætermittam, quas summopere admirari soleo, egregias illas animi tui dotes, ut etiam hic taceam, qua me benevolentia prosequaris, quā ego te liberalem expertus sum? Cum enim quibusdam verbis vix tibi significassem, me Stephani tui eruditionem in melius provehere cupere, effecisti, ut tantum tibi debeam, quantum vix me unquam exolvere posse confidam. Neque tamen te continere voluisti, quin, ut tuam mei obligandi cupiditatem incredibilem esse declarares, proxime etiam me non leviter donaveris. Quæ cùm ita sint, quid est quodd dubites, quin,

*Dum pecori lupus, & nautis infestus Orion  
Turbabit hybernum mare,*

*Intonosque agitabit Apollinis aura capillos, (a)*  
tui sim memor futurus? Quid, quodd locupletissimus meæ erga te ob-servantiaz testis esse potest Jacobus Abduensis Presbyter, vir optimus? nam quotiescumque hunc video, video autem sèpius, tu is es, qui mihi diutius cùm eo colloquendi materiam præbes, adeo frequentem sui mentionem facio. Sed quid ego hæc pluribus ago, quasi quicquam de meo erga te animo dubites, ac non potius, quæ tua fuit urbanitas

(a) Horatius Epod. 25.

hinc occasionem arriueris, ut me novo munere satis superque jam a te liberalissimo homine donatum afficeres? Quare hac parte omissa, ad munus tuum venio, hoc est ad sex illos denarios, qui mihi una cum proximis literis tuis allati sunt. Nam in his tria potissimum me mirum in modum delectant, primum enim ita nuper cuisi sunt, ut fulgentissimo argenti nitore oculorum aciem perstringant; deinde, quod est jucundissimum, sunt quidem hæc numismata omnia una, atque eadem magnitudine, ac pondere, sed tamen diversa inter se forma perfecta; postremò illis ea impressa sunt signa, quæ Sanctissimo Pontifici (1) maxime convenient. Est enim videre patentem portam illam Angelorum custodia munitam, per quam aditum ad veræ felicitatis arcem fluctuantis cymbæ prudens, ac bonus Gubernator mortalibus omnibus patefecit; apparet etiam Pontificis Maximi insigne, novem colles, urbis Romanæ incrementi indices, & duas coronas oleaginas ambitu suo complectens, quarum quidem coronarum utraque Christianæ Reipublicæ diuturnam pacem portendit; inferior tamen id in rebus humanis pollicetur, superior vero inter immortalem ipsum Deum, & homines, tanto Pontifice rem bene gerente, magnam futuram conjunctionem denunciat. Quod ipsum ostendit etiam hominis illius ingeniose expressa effigies, dum super urbe collibus undique vallata sedens quiescit:

*Paciferæque manu ramum prætendit olivæ. (a)*

Qui quodd armatus sit, hanc humanarum, divinarumque rerum tranquillitatem virtute partam armis Christianæ persuasionis munitam diuturniorum futuram indicat, idque etiam apertius facit hujusmodi super additum hemistichion: *omnia tutæ vides.* (b) Porro hæc, & alia quam plurima veneranda Sanctissimi ipsius Pontificis imago, præclarari animi tacitus index, intuentibus omnibus large polliceri videtur. Nulla est enim (dicam id quod sentio, & spero) tam densa erroris nebula mortalium mentibus circumfusa, quam hic eo, quem præfert, vultu discussurum non promittat, adeo latus vel ex ipso numismate apparet ejus conspectus. Quæ omnia, cùm in præclarissimo munere tuo sim contemplatus, decrevi illud mihi ipsi, quandiu vixero, adservare, ut sit tui erga me amoris non vulgare monumentum. Sed hæc haec tenus. De Stephano tuo tibi gratulor, & mihi gaudeo, quodd haec tenus tantum profecerit, ut & tibi, & mihi in scribendo satisfaciat. Nam & proximis diebus legit mihi aliquot epistolas, quas merito laudavi, neque tibi homini ad unguem factò si misisset, non probatum iri judicavi. Meliora tamen, mihi crede, in dies præstabit, cùni frequens sit in auditoriis.

(a) *Eneid.* 8.

(b) *Ibid.* 1.

& quandiu datur, ne latum quidem (quod ajunt) culmum a libris discedat. Me autem quandoque invisit, idque quod frequentius facit, eō gratius esse consuevit. In quem, si quid per virium nostrarum imbellitatem conferre licet, quod ejus augendae eruditioni conducere posse, non est, quod dubites, quin quantum possim, omnibus intendam nervos. Quid enim id omnia non coner, quae & tibi homini præstantissimo, & de me bene meritissimo, & Stephano mihi carissimo grata esse sentiam? Vale, xiv. Kal. Junii MDL. Mediolano.

(1) Nempē Julii III. ex familia de Monte Etrusca, tunc Summi Pontificis, cuius illud gentilium stemma, quod numismati per Cicereianam hanc epistolam descripto insculptum erat.

## E P I S T O L A XX.

ANDREÆ CAMUTIO S. P. D.

**ARGUM.** *De nummis pro filii ejus institutione missis gratias agit. Adolescentis alius mentionem adjicit.*

**A**CCEPERAM paulò ante a Bernardo Roscio literas tuas, unà cum cx. denariis, hoc est, coronatis italicis decem, in quibus omnia mihi fuere grata, præter unum illud, quod scilicet tardior in his mittendis tibi fuisse videbaris. Quare tecum sic agam oportet, Camuti optime, & rationem instituti mei paulò altius repetam. Ego instituendi Eugenii tui occasionem vel magno mercatus fuisse, nisi Deorum immortalium munere mihi oblata fuisse. Quo quidem tempore, si per rei familiaris tenuitatem licuisset, omnibus te bellicis machinis, pudore probe munatum aggressus fuisse, & expugnassem tandem, mihiique concessisses, ut Filii tui eruditio aliqua parte ejus æris alieni pensaretur, quod jam pridem tecum magnum conflavi, neque mihi aurum poposcissem, neque ullum aliud præmium dedisses. Sed quoniam Fortuna mecum ini quis egit, meque semper torvis oculis aspexit, cogor impudens fieri, eum inter Filium tuum, & alios qui mihi crediti sunt, nullum apud me sit discrimin. Rationes itaque, quae mihi tecum sunt, remanent integræ, & meum nomen in tuis tabulis inveterascit. Sed non agam pluribus, ne forte videar iniquo animo ferre, quod tibi præstantissimo viro plurimum debeam, cum id securus apud me se habeat, & non nisi gratum sit. Non enim possem creditorem quenquam habere te aut mitiorem, aut leniorem. Quidquid autem attigi, feci, ne singularem humanitatem

manitatem tuam , liberalitatemque incredibilem agnoscere non viderer , qui æquo animo patiaris & me tandiu , quod debo , non persolvere , & te interim ex tam ampla sorte nihil scenoris percipere . Responde-rem tuis literis , quas superioribus diebus Stephanus Brochus lectissimus adolescens mihi reddidit , sed unum obstat , nam & illæ obscuriores sunt , & *craffa Minerva mea est* . (a)

De Abundio admonui filium tuum quæ volebas , eundem etiam ad Ferrandum Abduensem adduxi , a quo hilari fronte exceptus est , & libenter cognitus . Sed quòd hic suppallidus Alberto Fratri tuo , viro ornatissimo , sit visus , nihil est , quod te moveat ; valet enim omnino , neque quandiu apud nos fuit , haetenus vel leviter semel ægrotavit . Quocirca non est , quòd quicquam ei timeas a studiis . Nullus enim apud nos labor insumitur , qui maxima jucunditate non condia- tur . Volo nanque discipulos meos summa cum alacritate , quod inge-nuis convenit , in ludo exerceri , non autem invitos , quod servorum semper fuit , in ergastulo detineri ; atque ea causa est , quòd cum consuefeci , ut mecum rarius sit , quam vellem , ut liberius & confabu-landi , & jocandi cùm æqualibus , atque commilitonibus occasionem ar-ripiat . Vale , xi. Kal. Junii MDL . Mediolano .

(a) Horat. 2. Sermon.

## E P I S T O L A XXI.

NICOLAO VICECOMITI BAPTISTÆ F. S. P. D.

**ARGUM.** *Jucundas fuisse litteras profitetur , quod tamen diu a scri-bendo abstinuerit , amice conqueritur , atque ad frequentiores sibi dein-ceps mittendas excitat .*

**Q**UARE tuæ me literæ mirum in modum delectarint , multæ sunt cau-sæ , quas hic non commemorabo , cùm non ita multis tecum agere de-creverim : illud tamen attingam , fuisse illas èo gratiore quòd diutius a me fuerunt expectatae , & jucundiores , quòd magis expectationi satisfec-erunt . Erant enim eo orationis filo contextæ , quo debent esse elegan-tissimæ literæ , & quæ a te nobilissimis Parentibus progenito , & bene instituto adolescentे proficiuntur ; serius tamen hoc officium , quam par fuit , mi Nicolae , præstítisse videri potes ; non enim committam , quin te admoneam de eo , in quo mihi peccare videris , cum præser-tim & loqui libere , & scribere liberius consueverim . At tu , quod tuum

I i

est ingenium, & hanc tarditatem, & diuturnum silentium pudori cui-dam tribuendum putas. Facis tu quidem quod tuum est; nam cum pudor hanc tuam etatem maxime decet, tum ordinis tui adulescenteis plurimum exornare potest. Facile itaque hoc tibi, si ita vis, concesse-ro, modò & tu mihi concedas, te, si verum fateri vis, nunquam pu-tasse mea negocia tibi obstatre posse, quod minus literas tuas, quanvis creberrimas, & longissimas misisses, & avide legerem, atque illis alaci animo responderem. Quid ergo revera te a scribendo deterruit? dicam, quod res est. Tu quicquid erit æqui, bonique facias velim. Licet enim nunquam mihi in mentem venerit credere fieri posse, ut nostræ neces-situdinis obliviscereris, neque tu id unquam facere cogitaveris, tamen semper mihi molestum visum est, & te studiis immersum tot menseis a nobis abesse, & gravari ad eum præsertim, qui tui studiosissimus semper fuit, quique valde familiaris, aliquid literarum dare. Quæ res quid aliud habet argumenti, nisi aut te negligentiorem fuisse, aut su-perbiorem? Quod levius fortasse fuerit, si in quenpiam alium potius, quam in me peccasses. Sed hujus criminis tamen notam facile delebis, si posthac tarditatem, taciturnitatemque tuam & longitudine, & multi-tudine epistolarum sarcire volueris. Quod ut libentius facias, illud etiam non parum apud te valere debet, quod intelligas, id Patri tuo homi-ni præstantissimo fore non injucundum, cujus etiam cohortatione, hæc ad te scribere non dubitavi. Cæterum nihil est, quod inepias illas posthac commemores, veniamque deprecere, si literæ tuæ non satis fuerint ornatæ, hortereque, ut læta fronte scripta tua legam, quasi & aliorum quorumque corrugatâ consueverim, neque denique precere, ut rescribam, quod me facilius in scribendo imitari possis. Satis enim or-nate scribis, satis me delectant tuæ literæ, satis libenter leguntur. Neque est quod me calcaribus ad scribendum adigas, cum id potius ego in te faciam, neque me rudem imiteris, cum id in vetustioribus, iisque paucissimis faciendum sit, neque quicquam magis me cupere arbitre-ris, quam ut me, modò per studia tua liceat, vel obruas literis.... Scribe ad me de studiis tuis, hoc est, de itinere isto, quod feliciter ingressus es, salebroso quidem, sed tamen honorificentissimo, quo-usque adhuc progressus, & quo duce usus fueris; vel si tibi in his (quod vix fieri posse existimo) verba defuerint, scribe ad me de Georgio Triultio aliquid, nam, si hujus studia, dicta, actiones intueri volueris, tot, ac tanta sepe tibi offerent in hoc adulescente admiranda, scienda, audienda, ut unus tibi suppeditare possit, unde probe chartas expreas. Itaque vel hunc unum, si cætera desint, intuere, contemplare, & observa, & saepius ad me scribe. Vale.

## EPISTOLA XXII.

JOANNI OPORINO S. P. D.

**ARGUM.** *Responsum petit in re amici & sua; libellum se eidem Oporino transmissurum pollicetur.*

**I**NVISIT me proximis diebus ornatissimus juvenis Christophorus Mylæus, (1) quod mihi valde gratum fuit. Primo, quod cognoverim hominem doctissimum, deinde, quod eundem tui studioissimum esse perspexerim. Is cum ægre ferret, nondum esse redditia sibi ex te *Universitatis* suæ exempla, neque tamen te incusaret, quæsivit de me, nunquid novarum literarum ex te accepisset. Quare respondi id, quod erat, me nihil ex te accepisse jam fere menseis quinque, neque, quod ad me attineret, quicquam mirari cum scirem te esse occupatissimum: non negare tamen, quin interim tuas literas desideravissim, cum illæ, non nisi gratissimæ esse possent, & intelligere cupivissim, an acceperisses Majoragii *Commentarij*. Paulò vero post quam hoc actum est, pervenit ad manus meas libellus græcus manuscriptus, in quo erant tres declamationes, quarum inscriptiones & initia adjiciam, (2) cum finem scribendi fecero. Quæ si forte tibi græcarum literarum peritissimo nondum editæ videntur, (me enim nusquam impressas vidisse, aut a quopiam audivisse memini) proximis vacationibus describam fideliter, & ad te transmittam, ut vel solas edas, vel alicui crassiori libro accessionem facias. Nam, quanvis earum una solia integra quinque, altera sex, tertia totidem non excedat, sunt tamen, nisi me animus fallit, dignæ, quæ legantur. Gratum itaque mihi feceris, si me de hoc admonueris ante xvi. Kalend. Sextil., ut, quid mihi in hoc agendum sit, scire possim in tempore. Vale, Kal. Quintil. MDL. Mediolano. Velim, mi Oporine, in memoria habeas, quod proxime ad te scripsi de Marchione Mussi; vix enim crederes, quam magni id mea intersit.

(1) Mylæi, cuius nulla mentio apud Maittaire, quinque sunt libri *De Scripta Universitatis Rerum Historia*, de quo opere & in hac epistola fit sermo. Plures hi Mylæi libri excusi fuere, primum in fol. per Oporinum Basileæ, 1551, qui in Bibliotheca nostra sunt, Florentiæ per Torrentium, in 4. 1548, itemque Florentiæ per eundem in 4. anno 1557, quos vidi in Bibliotheca Braydensi, tum denique Jenæ 1625 in 8. sub titulo *Hermetis Academici*, sicut docet

Morhofius, (a) qui in Mylæi opere elegantem laudat & concinnam orationem, fugillat autem, quod non satis ordinatam servaverit methodum, nec opinia, quæ in præmio pollicitus fuerat, in opere præstiterit, cum tamen ex hac Cicerei epistola intelligat Lector, Mylæum juvenem opus istud confecisse: si quid minus accurate actum, id facile dandum ejus adolescentiæ judicaverit.

Dies quatuor Mediolani unacum Cicereio moratus fuit Mylæus. Audiamus Cicereum ipsum in MS. *Antiq. Monum. autographo apud Principem Belgiojositum* (in quo aliqua sunt, quæ in nostro ipsorum exemplo non habentur) de hac re verba facientem. *Ineunte proxime superiore autumno divertit ad me Christophorus Mylæus homo eruditus, meque pro ea, qua jungimur, amicitia rogavit, cum pro anni tempore otiosus essem, ut quatuor eos dies, quos Mediolani erat futurus, fibi operam darem; itaque, cum id me libenter facturum, essem pollicitus, si quid esset, in quo ego ei usui esse possem, ejus arbiteratu, meaque monstrazione viris eruditione insignibus salutandis, atque appellandis diem primum dedimus, alterum in magnificis hujus urbis substructionibus sacris, & profanis, publicis, & privatis consumpsimus, tertium spectandis marmoribus operis antiqui, quartum contemplandis iis picturis hujus urbis, quas ego quidem eruditus hominis cura, atque animadversione dignas putabam. Subdit vero Mylæum architectonices fuisse peritissimum; tum mentionem de libro habet, quem Mylæus de itinere suo Constantinopolim erat fakturus.*

(2) Cum in nostro Codice harum declamationum tituli, atque initia desiderentur, communè erit nobis æque ac Lectoribus eorum desiderium. Fortasse hæ declamationes eadem sunt ac Demetrii Moschi *Orationes*, de quibus infra epistola 24 ad eundem Oporinum.

(a) *Polybius* tom. 1. lib. 1. pag. 10.

## E P I S T O L A XXIII.

ANDREÆ CAMUTIO S. P. D.

**ARGUM.** *De Andreæ Filio auditore suo, cuius profectum in studiis, ut exploret, cupit. Tum de sui mutatione domicilii, & aliis.*

**D**II boni, quām doctum, quāmque eruditum Eugenium tuum ad te mitterem, si aut qualem tu de me meritus es, aut qualem ego cuperem, mittere liceret! Sed quoniam horum neutrum nostrarum est virium, talem mittimus, qualem possumus, neque dubitamus, quin & hoc tempore nobis sis æquior, cum superiori anno ea tibi in parte plane satisfactum fuisse declaraveris. Quantò autem longius hac sua peregrinatione Filius tuus, quām alias me duce progressus fuerit, ex eo ipso cognoscere poteris, si, quemadmodum faciendum esse intelligis, eum jusserris in sententiam aliquam, aut epistolam conscribere, aut versiculos aliquot condere, aut denique oratiunculam quanpiam com-

ponere. Sed quoniam non est nostri instituti, ut ab iis studiis istic ferietur, in quibus cohortatione nostra versatur, ideo ex iis declamationibus, quas jam aliquot scripsit, unam, atque alteram secum habet, quam rescribat, & cui visum fuerit, ex instituto, moreque majorum dedicet. Asportavit etiam secum libros aliquot, ut recenseat per ocium aliqua eorum, quæ apud nos didicit. Niſi enim hoc a nobis probe curatum fuerit, non satis consuluerimus Eugenii eruditioni. Nam quod tu omnium optime pro incredibili eruditione tua intelligis, non minus frangit animos nimia remissio, quam vehemens intensio. Quid? quod ego ſæpe expertus sum, pueros id ætatis quadriduo plura disperdere, si omnino a literis avocentur, quam toto mense didicerint? Si itaque pro prudentia tua illum in studiis aliqua ratione continueris, & animum remittet, quod hoc tempus postulat, & nullam jaeturam literarum fecerit, quod diligenter a nobis curandum eſt. Essem fortasse hac in re tibi adjumento, niſi me curæ, & negotia hic detinerent. Mutandæ nanque nobis sedes sunt, & in alias ædeis immigrandum. Porro hujus rei, si quid temporis superfuerit, id omne dare constitui describendis græcis libellis quibusdam lectu dignissimis. Sed quoniam in græcorum mentionem incidi, libet addere, quod tacere nullo modo possum. Videor mihi non leviter peccasse, qui Filium tuum, vel te in-vito, in literis græcis non exercuerim: adeo visus eſt mihi semper ei studiorum generi aptus; cogente enim nemine jam & legere scit, & græce scribere, & in nominum inflectionibus nescio quid balbutit. Amis̄is, quos mihi istic eſſe noſti, si lubet, s. p. d.

## EPISTOLA XXIV.

JOANNI OPORINO S. P. D.

*ARGUM. Gaudet de Majoragii libris nitide excusis: quidpiam de Ar-luni Historia ac de epistola non accepta.*

Cum Christophorus Leporarius noster eſſet ad vos reversurus, facere non potui, quin illi literarum aliquid ad te dederim. Duabus igitur tuis epistolis (a) respondebo, idque paucis faciam, ut tuarum occupationum aliquam rationem habeam. Earum una eſt, qua specimen *Commentariorum Majoragii* involvisti, altera, qua mecum egisti de libris Mylæi. Ex prioribus literis tuis intellexi, quantæ curæ tibi sit, ut Ma-

(a) *Geminæ hæ litteræ apud Gudium suat pag. 172. & 173.*

joragii libri emendate, magnifice, atque eleganter expressi ex officina tua prodeant, & scriptori suo ævum prorogent. Quod cum non minus mihi, quam Majoratio gratum sit, agimus utrique immortaleis tibi gratias, & absolutum opus summo cum desiderio expectamus. Vix enim crederes quantum ampla illa, & pulchra libri facies nos delectet. Illud etiam non potuit non me delectare, quod illis adjeceras, te scilicet curaturum probe id, de quo te admonueram in Arluni *Historia*, ubi opus fuerit. Quod licet sperem te facturum, iterum tamen te admono, ut ita rem cures, ut, si fieri potest, Marchio ille in eo nihil offendatur, &, dum licet, hoc est nundum excusa est, medearis. Vidissim libentissime hujus *Historiæ* specimen aliquod, ut Arluno, qui precibus quotidie enecat, tandem satisfacerem, quod eò dico, quia jam illam te cœpisse, mihi alias significare visus es. Quod autem alterâ epistolâ dicis, te alias ad me scripsisse de Mylæi libris, id facile crediderim, sed, quemadmodum intelligis, ad me perlatæ non sunt. Si nossem, ubinam esset Mylæus, facerem libenter, quod præcipes; sed adhuc id intelligere non potui. Demetrii Moschi (*a*) orationes illas treis excubere aggressus sum, atque utinam triplo longiores essent, libentius enim illarum descriptioni operam do. Vale.

(*a*) V. Tiraboschium *Letterat. Ital.* Tom. 7. par. 2.

